# EPIGRAMMATUM FAUSTI SABAEI BRIXIANI CUSTODIS BIBLIOTHECAE VATICANAE. LIBRI...

Fausto Sabeo

# EPIGRAMMAT

FAVSTI SABAEI BRIX

CVSTODIS BIBLIOTHEC

VATICANAE.

LIBRI QVINQVE.

AD

HENRICVM REGEM

GALLIAE.



- Primus de Dijs.
- Secundus de Heroibus.
- Tertius de Amicis.
- Quartus de Amoribus.
- Quintus de Miscellaneis.

Romæ apud Valerium, & Aloisium D icos
fratres Brixien. M D. LVI.

Pomp Danz.

## AD LIBRVM.

è manibus nostris sic niteris? exi,
Sed quid agis uideas ambitiose liber.
Liuidulo in te ungues arrident, mille lituras
Culpa erit, & plagas si patiere, tua.
Quam præstas maiora audes, sic decidit alto
Icarus, & Phaeton ustus in Eridano.
Acceptum referas, aliter si contigit, auræ,
Præsidio & tanti Principis, & studio.

# EPIGRAMMATVM FAVSTI SABAEI BRIXIANI CVSTODIS BIBLIOTHECAE VATICANAE

## Liber Primus de Dijs.



## AD HENRICVM REGEM GALLIAE.

Princeps optime temporum tuorum,
Immo ut uerius, altiusq; dicam
Præstantissime Dux, & Imperator,
Nostri & gloria, & orbis uniuersi:
Quem fortuna soror, parensq; uirtus
Vsque ad sidera deuehunt merentem.
Hos nostros Proceres, Deos, Deasq;,
Quos iam concinimus, tibi & dicamus
HENRICE, accipias manu benigna.
Istos & lege, fronte sed serena.
Admirabere, forsitanq; dices,
Cur tot Numina, nomina atque Regum
Excellentia, Principum, & Sophorum
Nostro nomine publicas sub ipso?
Quòd sis ille uocatus Orbe ab omni,
Diuum Numina cui fauent, parantq;
Claues ex Oriente, purpuramq;,
Vt sis unicus Orbis Imperator.

## AD IOVEM.

*Credita cui rerum discors concordia, & ignes*
*Suspensi unde ardent noxq́; diesq́; Deus,*
*Cui Diana triplex, & Cerberus ore trifauci,*
*Fulmen & alatum subiacet, atque tridens.*
*Cui sylua omnipara, & fatum, ternæq́; Sorores,*
*Germinat, obsequitur, ferrea pensa trahunt,*
*Lux inacessæ non enarrabile nomen,*
*Da, rogo, præsentes in mea uela notos.*
*Sic hominum, & Diuum te summa silentia laudent,*
*Expugnet cœlum sic uiolenta manus.*
*Altera delectos Proceres, messemq́; Sabæam*
*Quæ uehit hæc Argo est, cœlicolasq́; Deos.*
*Quum nihil infidum his mage sit, fallaxq́; duobus*
*Spes mea de uentis, & sua pendet aquis.*

## E GRAECO.

*Arua Amor inuertens, fœcunda hæc Iuppiter, inquit,*
*Vel iuga te faciam ferre, & aratra bouem.*

## E GRAECO IVPPITER.

*Taurus, olor, satyrus, Europam, diligo Lædam*
*Antiopen, tranans æquora, inane solum.*

## DE VENERE.

*Carpit odoratis spatians dum Cypria ab hortis*
*Roscidulas primo sub Phaetonte rosas.*
*Sancta cruentarunt uepres sua brachia acuti,*
*Palluit inspecto sanguine pulchra Venus.*
*Erubuere Deam flores læsisse cruenti.*
*Constat adhuc facti pœnituisse rosas.*

E' GRAECO.

*Virgo opulenta uirum fallentem in littore ponti*
*Squammigeras pecudes uidit arundinibus*
*Vidit, & incaluit, positoq; rubore hymenæos.*
*Tunc celebrat, sponsus diues opum intumuit.*
*Quum Veneri arridens blandæ Rhanusia uirgo,*
*Hæc mea pugna, & opus, non tua, dixit, erit.*

AD DEOS.

*Dij quibus imperia, atque urbes iam stare solebant,*
*Arbitrio quorum rectus & orbis erat.*
*Non taurum, accensis qui iactet naribus ignem,*
*Phœbe timende arcu, fulmine Rexq; Deum.*
*Nec tibi Bacche pater mactandum adducimus hircum,*
*Ingentem aut scrofam legifera alma Ceres,*
*Artemidi aut uitulam intactam tauroq;, iugoq;,*
*Persephone nigras nec iugulamus oues.*
*Terrestres Diui mortalia numina dantur*
*Non thus, lac, flores, liba, faui, temetum.*
*Sed uota, atque preces, quæ uera est uictima, & illa*
*Vos super astra locat, & facit esse Deos.*

E GRAECO.

*Egit Apollo boues, & equus Neptune fuisti,*
*Iuppiter imber erat, Iuppiter hydrus, olor.*
*Fœmineam ob charitem sunt transformata Deorum*
*Corpora, amatrices decipiuntq; dolis.*
*Euagoras autem non fraude, sed ore decenti,*
*Eloquioq; nurus allicit, & pueros.*

AD APOLLINEM.

Pone sonantem humeris pharetrā Phœbe, exue et arma,
Spicula nam Daphne tam uiolenta timet.
Hac ratione fugam arripuit perterrita tenso
Virgo arcu, non te, sed tua tela fugit.

E GRAECO.

IN LAVRVM INCISAM.

Phœbe timende arcu, sed plus metuende sagittis,
Dedecus hoc, ubi nam, quum patereris, eras?
Ignis, amorq; tuus Daphne est uim passa, Gradiuo
Victaq; succubuit, & uiolata iacet.

ORACVLVM.

Quid pariat mea me gestans in uentre creatrix
Mauortem, Paphiam consulit, atque Themim.
Mas Themis est, inquit, Mars fœmina, Cypria neutrū,
Matre mea androginus parturiente fui.
Mars ferro, saxóq; Themis, Dea & altera in undis,
Quærenti funus emorietur, ait.
Ponte cadens, unco laceratus, corruo in undas,
Et scopulo infractus naufragus occubui.
Mars, Paphia, atque Themis non est mentita, ferebam,
Vir, mulier, neutrum, spicula, marmor, aquas.

E GRAECO.

Ad sua uota parens peperit tua nate Deorum
Mauorti, & Phœbo te, similemq; Ioui.
Donarunt perfecta tibi, & regalia Parcæ
Cuncta, poëtarum es materia, atque labor.
Sceptra Iouis, Phœbi & species, Mauortis et hasta est,
Hæc tria, sceptra, hastam, tu speciem unus habes.

## DE ECHO.

*Saxosam audi hospes prudenter* Panos *amicam,*
*Non sua, sed quæ audit, dicere uerba sole.*
*Garrula enim est* Echo, *uerum obsequiosa*
*Si retices, reticet, si loqueris, loquitur.*

## IN EANDEM.

*Littore arenoso prope concaua saxa sedebam,*
*Quum turbam, inq; maris sentio murmur aquis.*
*Quis nam clamor?* Amor, *quidam mihi spiritus antro*
*Rettulit, exquiro, quid furit, urit,* Amor?
*Vrere, rere. putat num* Diuos *æquoris? oris,*
*Et gelidum facibus uult ne cremare? mare.*
*Num* Rex *mersit aquis? quis? ponti extrema* [illegible]*,*
*Nando, puer plorat, orat, & orat opem.*
*Cur matrem auxilio non inuocat? inuocat, olli*
*Mulciber accurrit, currit, & ipsa parens.*
*At faber accelerans cadit, & lauat ipse fauillas,*
*Illas, & mersus æquore oberrat, erat.*
*Cypride conspecta, specta, num pugna sopita?*
*Sopita, aligero pax solidata, data,*
*Ast* Amphitrite *puero maiora minata.*
*Nata, mari si quid tale parabit, abit.*
*Tunc ego, qui sensi memet deludier à me,*
*Et læsus risi, lusus & erubui.*

## E GRAECO.

*Iuppiter audaci puero dum tela minatur*
*Frangere,* Amor *dixit, intona, abibis olor.*

## IN LVNAM.

*Secretum nemus hoc, habitantq́; silentia fida,*
*Luna sigillato dedicat* Harpocrati.
*Aura susurratrix leuibus non sibilat alis,*
*Garrula non* Echo, *ne'ue queruntur aues.*
Non *hic longæui* Panes, Fauniq́, *procaces,*
Dendriadumq́; *chori, turba & Amadryadum.*
*Tuq́; securigere hinc frondator abesto, proculq́;*
*Sordidule* Vpilio, *tu & caprimulga olida,*
*Credula candidula lana te hic* Luna *fefellit,*
*Quum te* Pan *blanda uoce uocaret amans.*
*Tu quoque amatorem non aspernata uocantem,*
*Secreta accedis nocte silente* Dea.
Passa Deum *informem, promisso & munere læsa,*
*Ira & adhuc palles, crimine & ipsa rubes.*

E GRAECO.

*Orba erat & natis, & dulci lumine* Phœbes
*Sollicitis precibus fœmina poscit opem.*
Artemis *auxilio poscenti haud defuit, illa*
*Vt solem, natos, hauriat, & pariat.*

IN IMAGINEM AENEAM SATYRI
*dextra uuam, & sinistra utriculum tenentis,*
*& cœlum suspicientis.*

*Quid Satyrisce rogas oculis in sidera? aperto*
*Ore Ioui hæc uellem dicere, & æra uetant.*
*Vua, merumq́; mihi est, sitio, Rex solue, ligauit*
*Labra, manusq́; Myron, arcet & ære sitim.*

IN EANDEM.

Cantharon una grauem manus, altera continet uuam,
Quam dum offert, & dat corniger iste Ioui,
Liuiduli subita quadam arte Myronis & uua,
Et Satyrus, grauis & cantharus, obriguit.

IN EANDEM.

Dextra meri utriculum tenet, atque sinistra racemum,
Pro Fauno est uinum, pro Ioue & uua manet.
Dum suaues gemmas nuper de uite recisas.
Semideus porgit dulcia dona Deo.
Libaretq; Myron, tu & numina Faune uocares,
Ora tibi ut taceas, perstruit ære Myron.

IN EANDEM.

Qui male olentis eras pecudis uitiator, amansq;,
Cur nunc sic torpes, suspicis atque Deos?
Quid ue racemiferam sic tollis in aera leuam,
Nebride contectum quid ue geris Bromium?
Prouoco dum Superos uini ad certamen, & amens
Aebrius inq; illos obloquor, obrigui.
Ora, manus, plantas, totum & me, & denique Bacchū,
Præter nequitiam uincula ahena tenent.

IN EANDEM.

Capripes incultis barba, Satyrusq; capillis,
Sic titubans soluit guttura ahena Deis.
Nectare uos Superi uenas inflate madentes,
Dum non deficiant uua merumq; mihi.
Quam Plastes sacer hic, spirare, uidere, moueri,
Quiq; loqui, nec sat, ebria, & æra facit.

E GRAECO.

*Aera uel ingressus Deus est uiuentia agrestis,*
*Aut animam Satyri clausit in ære Myron.*

AD RIVVM DECVRRENTEM *per arua suæ Charitis.*

*Riuule oborte sinu Nympharum blandule dulci,*
*Qui tremulo excurris gemmea prata gradu.*
*Allude ô Veneri nostræ, quum pronula palmas*
*Concauat, illimes ebibit & latices.*
*Nam qui de roseis digitis argenteus humor,*
*Et superest ori, uel cadit ore suo.*
*Hic tibi coniunctus communicat illa beata*
*Basia, quæ suxit, sensit & ore rosas.*

ECHO.

*Deserti custos agri miserabilis Echo*
*Præruptum hunc montem, saxaq; dura colo.*
*Inter enim rupes de uoce, atque aere oborta*
*Garrula uerba sequor, concaua & antra placent.*
*Hi lapides nudi torus est meus, atque cubile,*
*Hicq; fero soles, flamina, frigus, aquas.*
*Non uaga sola habito, quia uirginitatis amica,*
*Vimq;, dolosq; timens usque uigil maneo.*
*Fracta tot ærumnis, tenuata sitiq; fameq;,*
*In tenuem demum sum resoluta sonum.*

ECHO. E' GRAECO.

*Crine decens, sed sum fex, cauda, & mimula uocis.*

DE SOLE.

*Et tener orbis erat, tristi & caligine mersus,*
*Et male diuisi nox erat, atque dies.*

Scandit inauratum rutilans diademate currum
  Phœbus, & igniuomos extimulauit equos.
Tunc Phaetontei flatu, hinnituq; iugales
  Aeoum complent, hesperiumq; latus.
Et iaculis pater arcitenens diuerberat auras.
  Aera, aquas tenuans consolidauit humum.
Naiades emergunt lætæ Dryadesq; puellæ,
  Fontibus è nitidis arboribusq; cauis.
Dij maris in summis ludunt, Neptunus in imis,
  Ast Amphitriten quærit, & ardet aquis.
Plaudit, & una Thetis, miratur & altera Tethys
  Orta mari egreditur nuda, pudensq; Venus.
Rara per incultos errant animalia campos,
  Et picturatæ dulce queruntur aues.
Nos uero altorem, & patrem Regemq; uocamus
  Te lyra, & auratis Phœbe superbe comis.

E GRAECO.

IN QVATVOR CERTAMINA.

Bis duo apud Danaos sacri celebrantur agones.
  Pars sub honore hominum, pars sub honore Deum.
Archemori, atq; Iouis, Phœbi, atq; Palemonis, insunt,
  Pinus, oliuaster, præmia, mala, apium.

ALITER.

Græcia sacrauit ludos mortalibus, & Dis,
  Phœbi tibi geminos, sydereoq; Ioui.
Archemoro & binos, necnon tibi parue Palemon,
  Præmia, poma, oleam, pinea serta, apium.

DE CVPIDINE COELESTI.

Ante orbem, incuruo & pendentia sydera olympo
Et uolucres superos, non tamen ante chaos.
Anceps stabat adhuc confusa educere ab aluo
Mundi opus, & terram pingere, & astra pater.
Quum caput ambrosium quassans produxit Amorem,
Cuius ab exortu prosiliere Dei.
Lux micat, unda fluit, tellus grauat, hinc animantum
Sunt genera, & plantæ, saxa, metalla, & homo.
Dius homo postremum animal, sed imago superni
Vera Dei, immo hæres filius, atque Deus.

IMITATIO GRAECA.

Mitis erat, nam depositis feralibus armis
Serta manu artifici conficiebat Amor.
Astra soli halabant, puerorum & nomina flores
Pallentes uiolæ, purpureæq; rosæ.
Vna caput, dextram & ternæ implicuere coronæ,
Quum causam peterem, rettulit ipse puer.
Non mihi uulgaris Venus est, nec terra creatrix,
Vnde oriar, rari me didicere uiri.
Ad cælum mentem succendo cupidine honesti
Sinceram, est uirtus quæq; corolla nitens.
Quarum, quæ caput exornat sapientia prima est,
Hæcq; coronatum me facit, atque Deum.

DE VENERE.

Aura serenato spirabat ab aere dulcis
Ridebat uultu splendidiore dies.
Instrepuere cauis Tritones ab æquore conchis,
Ludebant hilares Nereidumq; chori.

*Ecce capistratos inter delphinas amicis*
*Fluctibus, inuebitur nequitiosa Venus.*
*Quam uo'itant circum, teneriq; iocantur Amores,*
*Sirenes solito dulcius ore canunt.*
*Visitat orta mari prima incunabula Cypris,*
*Hinc Dea cognatis sic spatiatur aquis.*

E GRAECO.

*Hæc Venus in Musas, Venerem celebrate Puellæ,*
*Filius aut in uos diriget arma meus.*
*Tunc Musæ ad Cyprim, nugatia, inania Marti hæc,*
*Nos circum haud pennas uentilat iste puer.*

DE MARTE.

*Dum sua magnanimis extollit facta triumphis*
*Mars ferus, ut Venerem conciliaret amans.*
*Et propriæ laudis nimio succensus amore*
*Bellorum longas inserit iliadas.*
*Seq; super Superos inuicto robore iactat,*
*Et minus horrifici tela timere Iouis.*
*Quotquot erant, Diui siluere, superuenit Heros*
*Lemnius ob fastum non tulit impatiens.*
*Quid tu te iactas, ait, ò temerarie, uinctus*
*A' sene, & à claudo nexibus indomitis?*
*Vinculaq; ostentans, hæc est tua gloria, dixit,*
*Tunc Mars inspectis retibus erubuit.*

E' GRAECO.

*Ardentes clypeos, quis robora & integra, & istas*
*Quisnam inconcussas hic posuit galeas?*
*Indecores Marti exuuias pendere cruento,*

Arma meo hæc ne aliquis limine proijciet?
Imbelles, uinoq́; graues decorentur ab istis
Quippe domus, non hæc martia templa decent.
Sed fractæ exuuiæ, mixtus sanguisq́; cadentum
Puluere, si sum Mars, morsq́; cruenta hominum.

DE VVLCANO.

Finxerat argilla è tenui Venerem, atque Gradiuum
Artificis iunctos ingeniosa manus.
Hos siccare uolens soli, flammisq́; propinquat,
Duruit, ut flammas sensit, uterque Deus.
Tunc bis stulte senex Vulcano protulit Hermes,
Durare obprobrium cur facis ipse tuum?
Quondam ostentasti pudibundum, & dulce duellum
Cœlo, & Dis, & nunc gentibus, atque mari.

E GRAECO.

Nympharum seruam pluuias cantando cientem
Ranam, cui lymphæ perplacuere leues.
Ob uotum quidam posuit uenator ahenam
Depulsa ardenti sub Phaetonte siti.
Nanq́; coaxantem, & latitantem in ualle sequutus
Ebibit inuentis, quas sitiebat, aquis.

DE PALLADE.

Fecerat ignipotens miranda ex arte Tonanti
Fulmina, quæ superant, uiribus, igne, sono.
Robora, saxa, metalla, adamanta, uirosq́; Deosq́;
Forma, acies, terror, perplacuere Ioui.
Tunc pater omnipotens stygis inuiolabile numen
Testatur nato se dare uelle suo.

Præmia, quæ petat, uxorem petit ille Mineruam,
Abnuit ast claudum bellica uirgo senem.
Nam Steropes nudus, sudantia uerbera, et ardor
Non decet intactam Pallada, sed Venerem.

E GRAECO.

Matutinarum recinentem uoce uolucrum
Telarum radium Palladis Alcyonem.
Prægnantem licet & fusum, capite atque grauatum
Cursorem, inflexæ qui micat usque uiæ.
Arte laborati sub tegminis, & calathiscum,
Custodem socium lanigeræq; coli.
Nata operosa boni Telesilla Diocleos artis
Lanificæ intactæ deposuit dominæ.



DE DIANA.

Sub nemore umbroso releuata Diana calore,
Laurus ubi redolens, & cyparissus, erant.
Hic ubi cognatos hyacinthus sparsit odores,
Vnde leui applaudit gratior aura sono.
Vincite amici ignes, qui dispare frigore, & æstu
Fratrem incendistis, me & recreastis, ait.

E' GRAECO.

Nacta procum impubem sapienti & mente modesta,
Quem uoluit, nati denique facta parens.
Sacrauit uobis ò Delia, Cypri, Minerua
Dona hæc Calliroe, cingula, serta, comam.

DE CVPIDINE.

Arbore ab una aliam Veneris puer ipse uolabat,
Credit auem lincus, retia rara parat.

*Aliger insidias eludere gestit, & illis*
*Se implicitum fingit, conqueriturq́; ut auis.*
*Pastor adest, capere & uolucrem dum tentat Amorem*
*Nouit, Amor risit, lyncus & erubuit.*

E GRAECO.

*Repperit in uiridi saltu formosus Iolas*
*Flexanimæ Veneris puerum, malo ore rubenti*
*Purpureo similem, gelida dormire sub umbra*
*Inter acidalios flores ridere putasses.*
*Arma refulgebant pendentia ab arbore opaca*
*Nectareæq́; super uolucres hinc inde uolantes*
*Stillabant roseis flauentia mella labellis.*

DE PRIAPO.

*Hæc pater ò nostri generis multralia lactis*
*Pinguia, & ista tibi liba Priape fero.*
*Pro grege tam raro, sed si fœcunde secundo*
*Vt potes, has partu multiplicabis oues.*
*Ipse inter Diuos medius tunc stabis agrestes*
*Aureus, & superis inuidiosus eris.*

E GRAECO.

*Sit licet hoc frustra, posuit de more Priapum*
*Custodem sicci palmitis Eutychides.*
*Præcipitem ipse locum tueor, si euaseris huc, nil*
*Præter custodem, quod populeris habes.*

DE CVPIDINE.

*Arma rogabat Amor Vulcanum factus inermis,*
*Cui faber in matrem dem ne, ait, arma tibi?*
*Exagitas etiam tanquam ferus hostis & illam,*

Hac

*Hac, Veneri ut parcas, conditione dabo.*
*Tunc puer, illa meo non amplius indiget arcu,*
*Nuda quidem tractat martia tela parens.*

E' GRAECO.

*Impie quis nam te deprehensum in uincla coercens*
*Euinxit palmas sæue Cupido tuas?*
*Asperat & uultus, ubi sunt tua spicula, & arcus*
*Paruule, & exardens dic ubi sit pharetra?*
*Non bene formauit plastes, qui in uincla teneris*
*Insanire Deos perniciose facis.*

DE SATVRNO.

*Quem cernis baculo innixum marcentibus annis*
*Falce adamantea terret, & ore truci.*
*Deuorat æs ferrum, chalybem, montesq; superbos,*
*Ebibit & fontes, flumina, stagna, lacus,*
*Quum desunt alia, absumit tum nomina rerum,*
*Nec parcit factis, pignoribusq; suis.*
*Tam licet antiquus currit uelocior euro,*
*Quoque magis teneas, effugit ille magis.*

E' GRAECO.

*Omnia fert ætas, uafer & chronos omnia mutat,*
*Fortunam, speciem, corpus, & ingenium.*

AD IOVEM.

*Pone tuum fulmen Rex maxime, & ægida, postquam*
*Tuta giganteo sunt tua regna metu.*
*Nanq; patrem in natos crudelem in uincla coerces,*
*Titanas diros tartara & ima tenent.*
*Nectare lætandum, Iunonia misceat Hebe*

Cantet Apollo choros ducat & alma Venus.
Totq; modis saltet, quot nomina possidet Euan.
Mortales, Diuos gaudia & ipsa trahant.
Pastores, armenta, & aues, lætentur & imbres
Iactet Amor faculas per sola, & astra, & aquas

E GRAECO.

Vsque meis precibus dederis quum Iuppiter æquor
Me placidum facili currere remigio.
Hunc etiam cursum concede, labore ut ab ipso
Sospes agam grates in statione tibi.

DE NEPTVNO, ET MINERVA.

Commoda quid pacis, uel belli incommoda præstent,
Lis inter Superos denotat orta Deos.
Nomine Athenarum Diui sedere corona.
Emicat hæc hasta, fuscina at iste graui.
Virgo tridentiferum uicit Tritonia Regem.
Nanque oleam hæc fudit, cuspide & alter equum,

E GRAECO.

Arma gerens media quid stas Tritonia in urbe
Cede maris Princeps, Cecropidis timeo.

DE IVNONE.

Templa ubi prospexit cumulata, & honoribus aras
Incendi illius, quæ modo uacca fuit.
Dirigi & errantes nautas sub lumine ab arcto,
Quæ modo per montes tam gemebunda fuit.
Hæc indigna uidens Saturnia, proh dolor inquit
Quid mutasse illis membraq;, & ora iuuat?

*Immo ut ad incæstum currant toto orbe Puellæ*
*Altera stella nitens, altera facta Dea est.*

E' G R E C O.

SERMONES IVNONIS.

*Sudasti, uirtute tuus pater attulit ampla*
*Dona tibi Alcide hæc, quoniam laus alta labore*
*Lata uiris post immensum certaminis orbem.*

D E P R O S E R P I N A.

*Colchida, & Althæã, & Prognem Proserpina cernens*
*Maternum nomen consceleraslis, ait.*
*Ite nouercari esse pium fecistis, & ite hinc*
*Tam diras dira hæc odit & aula manus.*

E' G R Æ C O.

I N Cæcũ, qui ascenderat in Eleusinæ templũ.

*Duxerat ad templum baculus me forte profanum*
*Verum etiam solis quippe profanus eram*
*Vtraq; me Mysten fecit sibi Diua, & in illa*
*Nocte oculis noctem uidi abijsse meis.*
*Sacra canens Cereris lingua, quæ uerior ipso*
*Est oculo, urbem adij deposito baculo.*

A L L V S I O.

*Alma Ceres, nata & tantas ululata per urbes*
*Ambæ oculis noctem diripuere meis.*
*Mater ariflarum, quæ indulgentissima cunctis*
*Iam fueras, nunc es solis origo mei.*
*Non solum es mitis, grata & mortalibus ipsa,*
*Verum Erebi dominam tu facis esse piam.*

D E C V P I D I N E.

Te Dictynna petens Rhyphæis montibus olim
Obriguit Scythico frigore nudus Amor.
Pauperis hic tuguri dominam rogat igne leuari
Frigus iners, lachrymas addidit & precibus.
Cui mulier, periure puer, qui incendia iactas,
Oppositum flammis non patiare gelu.
Qui glaciale solum, & castum præuertere pectus
Tentasti in manibus diriguere manus.
Et qui supplicibus, surdasq; gementibus aures
Præbueras, uanas disce pati lachrymas
Ira Amor incaluit, telum & contorsit, at illa
Esurie opposita uulnus inane facit.

E' GRAECO.

Quis uinctum manibus lapidi coniunxit, Amorem
Ignem quis ue dolo cœpit, & igne dolum?
Ne lachrymare puer luctu corrumpis ocellos,
Namq; dolor iuuenum, te lachrymæq; iuuant.

AD BACHVM.

Quantum animi, quantum ingenij, tum nominis in te
Bacche domi, atque foris plurima signa docent.
Ipse giganteos fastus, eoas, & usque
Vicisti, & quos uis edomuisse domas.
Das animum, uires, formam, lætamq; iuuentam
Suggeris ingenium, suggeris eloquium.
Prospera cuncta adsunt per te pater optime, & ingens
Bis generate Deo, bis quoque nate Deus.
Inter mortales salue immortalis, & inter
Cœlestes hominum prima uocanda salus.

Da mihi, quæ restat lætam deducere uitam
Et Phœbum, & placidas da mihi pierides
Omnia nanque potes; tibi enim tibi maximus uni
Iuppiter est genitor, Iuppiter & genitrix.

E GRAECO.

Pisoni ausonio custos, defensor & idem
Bacchus in augusta prosperitate domus.
In tecta intrasti tibi congrua; conueniuntq;
Et Bromio amplæ ædes, ædibus & Bromius.

DE CVPIDINE.

In gremio Veneris post prælia multa Cupido
Carpebat requiem blandule somne tuam,
Quem uolitans circum dulci cum murmure, Amoris
Percussit morsu lactea colla culex.
Indoluit cum matre Puer, quod parua uolucris
Dulce canens ictu læserit ille Deum.
Cui genitrix, non tu risu fallisq;, ferisq;
Parue, ut auis, Superos, fulmineumq; Iouem

E GRAECO.

Perpetuo uinctus lachrymare ò numen iniquum,
Ex oculisq; tuis stillet amaricies.
Ereptor mentis, rationis prædo, uolantis
Flamma animi, illusor sæue pudicitiæ.
O cæcum uulnus, uinclum & mortale Cupido,
Quo uinctus surdis das pia uota notis.
Quam tu intentasti, lampas, mortalibus ægris,
Extincta est lachrymis, intueare, tuis.

DE HERCVLE ET MELEAGRO

Vritur Alcides, Meleager & uritur ecquis
Qui cremet Alciden, & Meleagron, erit?
Quis mage fœmineo audebit confidere sexu?
Altera enim coniux, altera mater erat.

E' GRAECO.

Attritum sulcis, confectum ætate senili,
Non trahit ad cædem rusticus ipse bouem.
Nanq; opera obseruans gaudet; quod arator in herba
Mugiat, atque iugo libera colla gerat.

DE VENERE ET DIOMEDE.

Verterat in uolucres sotios Diomedis, & ipsum
Expulerat patria uulnere læsa Venus.
Debebat peiora pati, nam læserat ense
Oenides Cyprim, Pallada palladio.

E' GRAECO.

Quæ coluit radijs opera, atque inuenta Mineruæ
Texuit, & neuit plurima Nicarete,
Artibus apta illis, Veneri cremat omnia in ipso
Vestibulo, calathum scilicet, & radios.
Docta puellarum facere intabescere florem,
Mendica & clamat, tam mala abite opera.
Atque inter choreas, lusus, conuiuia, & inter
Nequitias uiuit serta puella gerens.
Cypri & ait, decimam partem tibi consecro lucri,
Suscipe, da & partem, fac faueasq; operi.

DE IOVE ET DANAE.

Viderat inclusam ferrata turre puellam,
Virginis, atque loci captus amore Deus.

Ferrea claustra aperit, Danaenq́; expugnat, & implet,
Non armis pugnans uiribus, atque minis.
Sed uictore auro. Quid enim expugnatius auro?
Nam ferrum, & Reges edomat, atque Deos.

E GRAECO.

Scurræ aurum genitor, curæ fili, atque doloris,
Et te habuisse timor, non habuisse dolor.

ALITER.

Tu scurris genitor, tu curis filius aurum es,
Te retinere timor, teq́; carere dolor.

DE CVPIDINE.

Matris acidaliæ sub myrto dulcia Amorem
Somnia captantem repperit una Dryas.
Miratur crines crispos, uultusq́; decoros,
Labraq́, purpureis assimilanda rosis.
Et tremulas aura dulci stupet inscia pennas,
Mortalem incerta est, an putet esse Deum.
At postquam armatas telis cognouit, & arcu,
Indeuitatis ignibus atque manus.
Rettulit inde gradus celeres exterrita, & inquit,
Allicit aspectu, terret & iste manu.

E GRAECO.

Fle, geme, quæ palmas arctarunt uincula utrasque,
Hæc tibi debentur insidiose puer.
Non sit qui soluat, nec sis miserabilis ulli,
Tu luctum, & plagas, uirus & ipse facis.
O hominum dolor, & fletus, tibi risus amarus,
Quales fecisti, nunc patiare dolos.

## DE VENERE PALLADE ET DIANA.

Pignora confiteor quod sunt mihi plura, Cupido,
Harmonia, Aeneas, Hermaphroditus, eryx.
Quid manifesta negem? uos uirginitatis honorem
Fertis, at expertes quid ualuere Dei,
Quidue homines, nostis, si falsa, aut uana repono,
Testis Ericthonius, testis & Hippolytus.

## È GRAECO.

Formosam speciem deletam tempore cernens,
Aera senescentis temporis osa sui est.
Lais & indicium speculi execratur acerbum.
Vernantis formae dedicat & dominae.
Discum habeas teneris aptum Cytherea puellis.
Nam senium, & rugas non tua forma timet.

## AD NAIADES.

Hic ubi aues resonis concentibus omnia mulcent,
Et strepit aura leuis, & fugit unda nitens,
Sub myrto umbrosa dormit formosus Iolas,
Sub florum uestra sedulitate Deae.
Vos arcete lupos procul hinc, & Naiades ursos,
Quicquid & esse ferum, pestiferumq́; potest.
Illius & faciem uelate, relinquat amores
Vt ne Aurora suos, Luna, Venusq́; suos.

## È GRAECO.

Vernantem crinem ipse Charistenis, atque cicadam
Perpulchram posuit munus Amadryadis.
Cum boue, tam̄ equus excusso nam puluere, tan̄

*Stella ſerenato, & lucet in orbe puer.*

DE VIRBIO.

*Virbius à longe inſpiciens ueniſſe iugales*
*Pernicioſi iterum quo properatis? ait.*
*Lucus hic Aegeriæ, procul hinc diſcedite, tanquam*
*Et Diomedis equi, potbniades & equæ.*

E' GRAECO.

*Sacrat Ephytriades uobis hæc dona puellæ*
*Ob fontem Hermocreon dulce fluentis aquæ.*
*Gaudete, hæc plantis fluuitantia & atria amatis*
*Currite, nam nitidæ plus orientur aquæ.*

DE IANO.

*Tu, qui aperis, claudisq; diem gemino optime uultu,*
*Ante tuosq; oculos, & tua terga uidens,*
*Iane reuertentes profer feliciter annos,*
*Solus enim igniuomos qui moderaris equos.*
*Sic manibus ſceptrum, tibi & uſque corona niteſcant,*
*Aureum, in auratis, aurea, & auricomo.*

E' GRAECO.

*Gurgite par pelago, maior dulcedine, qui dum*
*Congrego aquas ſtrymon, meſſe beatur humus*
*Nile ſatam Cererem nutris cerealibus eſcis.*
*Aſt ego plus dulcem parturio tribulum.*

DE CLYMENE.

*Poſt nati inferias Clymene, ſub cortice natæ,*
*Subq; alis cycnus, quum tegerentur, ait.*
*Nate audi è tumulo, Ligurum Rex, atque ſorores,*
*Quam tibi dulce canit, quam precioſa gemunt.*

E' GRAECO.

*Hesperijs rediens uictor Marcellus ab armis*
*In celsam Ausoniam, tum spolia ampla ferens,*
*Deposuit pubem iussu genitoris, ut illum,*
*Quem puerum emisit, cernat habere senem.*

DE CVPIDINE ET VENERE.

*Exurgens somno uigilem prope uidit Amorem,*
*Gauisa est nati sedulitate parens,*
*Tunc Deus arma parat, sopitum & suscitat ignem,*
*Obuium enim ut quicquid concremet, & feriat.*
*Pulcher Adonis adest, uisóq; Cupidine, & arcu,*
*Et Paphia ardenti, palluit, & rubuit.*
*Cui Venus, aude, inquit, trepido & dedit oscula, at ille*
*Igne hausto ad pugnam tela animosa parat.*
*Hæc ubi Amor uidit, tegit ora rubentia, abitq;*
*Tunc primum est uisus erubuisse puer.*

E' GRAECO.

*Daphniacis Agathi è libris sum portio nona,*
*Me tibi sacrauit Cypria qui genuit.*
*Non tantum Musis, quantum iam debeo Amori,*
*Imperitas nostris nanq; cupidinibus.*
*Proq; labore petit, faueas, aut ille puellam*
*Nullam amet, aut facilem des in Amore Venus.*

DE APOLLINE.

*Inuita dum cæde manus lauat amne cruentas*
*Tristis Apollo, quibus perdidit Oebalidem.*
*Fata suorum animo euoluens crudelia amorum,*
*Protulit in casus talia uerba truces.*

Iam creuere meo nemora alta cruore, & eodem
Vulnere nunc humus est florida, & unda rubet.

E' GRAECO.

Sydera pulsantem dicat hunc ex ære colossum
Sol tibi sustollens dorica, & alta Rhodos.
Hostium ubi exuuijs ornata quieuit ab æstu
Aequoreo, & uictrix bellica serta tulit.
Non modo pro pelago, uerum in tellure refulgens
Hoc libertatis detulit indomitæ,
His, quorum Alcides pater est, & originis author,
In terra es Dominus patrius inque mari.

DE MARTE.

Iactantem Anchisen Veneris tam dulcia furta
Iuppiter afflauit fulminis igne leui
Cumq; eadem pater, & superi uidere iacentem
Mauórtem, & pœna est nulla secuta Deum.
Nil mirum, ipse ferox, et promptus ad arma Gradiuus
Nec Vulcani ignes, nec timet arma Iouis.

E' GRAECO.

Tela manu rapuit trepida, lunauit & arcum,
Inspiceret puerum dum pater angue premi.
Et iaculans Alcon tunc non errauit ab ictu,
Nam medium os colubri missa sagitta ferit.
In signum nati erepti, cæsiq; draconis,
Arcum sub quercu hac, et posuit pharetram.

DE GALATEA ET GLAVCO.

Quid me tam duram cogis deducere uitam,
Si mihi Trinacriæ florea rura placent.

*Si tepidum Alphei per frigida marmora amorem,*
*Si miror cyanes membra, & aquosa Deæ.*
*Et telluris, opes, lusus, & gaudia in undis*
*Ludus enim est nullus, gaudia nulla, & opes.*
*Me docuit Cypris, quàm præstat terra profundo,*
*Quæ fatuas in aquis nata reliquit aquas.*

E' GRAECO.

*Plenum oculis linum, uenatoremq; natantum*
*Funiculum, hamatis cum quoque arundinibus:*
*Indicium occultæ suberq; fidele sagenæ,*
*Et lapidem resonis pulsibus igniferum,*
*Anchoram & ad naues sub tempestate ligamen*
*Securum, iratis quum fremit æquor aquis.*
*Longæus Bæton uobis tremulusq; sacrauit*
*Gratæ & fautrices pontiuagæq; Deæ.*

DE VENERE ET CVPIDINE.

*Siccabat Veneris lachymas plorantis Adonim*
*Flens & Amor blanda sollicitaq; manu.*
*Lenibatq; necem quamuis puer ore diserto,*
*Quum sic suspirans retulit ista parens.*
*Hanc plagam, hos luctus, & causam cædis acerbam,*
*Tolle manum, ista tuæ cuncta dedere manus.*

E' GRAECO.

*Aurea lasciuis Cypri exoptanda papillis,*
*Iuno lota tibi cæston habere dedit.*
*Vt domites cunctos philtris mulcentibus, unum*
*Ast in me è cunctis acrius usa uiris.*

E' GRAECO.

Medorum Graij ualidas uicere phalanges
  Laidis, & Grai præda fuere proci.
Lais & euicta est senio, gratumq; iuuentæ
  Optulit indicium diua Erycina tibi.
Caniciem utq; odit, quæ uera est forma, figuram
  Sic detestatur, quam uidet, & speculum.

E' GRAECO.

Insomnis homicidæ olim prope tecta cubanti
  Iam ruitura Deus nocte Serapis ait.
Surge iacens, instat fatum, captato soporem
  Infelix alibi, tecta caduca fuge.
Hic autem somno excusso discessit, at illa
  Quam subito casu tecta caduca ruunt.
Sospite pro uita sceleratus mane uaporat
  Templa, putans cædes perplacuisse Deo.
Ast iterum uates Deus astans nocte profatur,
  Me scelerum infelix curam habuisse putas?
Si modo noluerim tali te occumbere fato.
  At te seruatum scito fuisse cruci.

DE CERERE PRO ROMA.

Mars pater, & dominus cunctorum Iuppiter, & tu,
  Quam non tutata es, Cypria sancta parens,
Exigua & iaculata Ceres seruauerat urbem,
  O mage diua potens Marte, Ioue, & Venere.

E' GRAECO.

Lora boum, stiuam, stimulum cum uomere arator
  Suspendit Cereri munera Callimenes.
Si gleba excisa annueris, quod terra racemos

Larga det, & falcem defero Diua tibi.

E' GRAECO.

Cuspidibus multis, & acutis undique tectum,
Vitisa'as dulces qui populatur opes,
Séq; rotantem uuas inter Comaulus echinnum
Suspendit uiuum, consecrat & Bromio.

IN IDEM.

Dorsa super portantem acinos Comaulus echinnum
Vinea in hac subito perdidit inspiciens,
Obtulit & siccum Dionyso uitis amico,
Quod Dionysi hostis, quod populator erat.

E' GRAECO.

Sepibus his olerum custodem pauperis horti
Denonomes statuens me uigilare iubet.
At sic fur tendor, rubrum intueare Priapum,
Propter olus rogitans, propter olus minimum.

DE INACHO, ET FILIA.

Quæsierat natam toto Inachus orbe, parentis
Ignota hæc notos stabat & ante oculos.
Lambebatq; manus uaccæ sub imagine patris
Bos precio ereptæ uirginitatis erat.
Sed pulchræ huic genitor flores porgebat, & herbas,
Bucula tum patri basia blanda dabat.
Dum tentat casum genitori pandere, mugit
Ioq; cúm nequeat, tum pede scripsit, eram.

E' GRAECO.

Syluarum cultor, desertæ coniugis Echo
Vir, custos fidus corrigeri ipse gregis.

Hirsuto Pan crure salax, speculator acutus,
Qui dum Melciades fulminat Assyrios,
Ad pugnam auxilio properaui, et sponte libensq;
Certaui, causa est, quod sacer hic maneam.
Contingant alijs arces, mihi denique, & ipsis,
Sat Marathon, cæsis in Marathone uiris.

E' GRAECO.

IN ATHENARVM NEMESIM.

Artifici quidam ferro de rupe uirenti
Me lapidem excindens liquerat hic niueum.
At quum certarent Medi in Marathone remansi
Classe cruentatis atq; agerentur aquis.
Tunc Adrasteam aduersum implacabile numen
Mopsopij tumidis composuere uiris.
Nunc sperata rependo illis uictoria sed sum
Clara ego Cecropijs, Assyrio Nemesis.

E' GRAECO DE EADEM.

Dum sibi me Persæ sperarent esse trophæum
Icona immuto factáq; sum Nemesis.
Iustitiæ præses Rhannuntis in urbe locata,
At palmæ, & sophiæ testis apud Danaos.

DE EADEM E' GRAECO.

Quare contineam frænum, si inquiris & ulnam,
Vt facti, & dicti sis memor ipse tui.

DE EADEM E' GRAECO.

Prædicit Nemesis fræno præsignis, & ulna
Ne normam excedas dum tu agis, & loqueris.

DE NEPTVNO, ET AMPHITRITE.

*Igne, & in auratis percussus corda sagittis*
*Vritur in medijs Ennosigæus aquis.*
*Causa Amphitrite fugiens, percussa timore*
*Terribilis teli, quod tenet ille manu.*
*Conscius at Delphin, quo uirgo lateret in antro*
*Detegit hoc Domino, prodidit & Dominum.*
*Succubuit deprensa Deo, & placata quieuit,*
*Tela manu & tractans, quæ fugiebat, amat.*

IN MVSAS E' GRECO.

*Pierides cunctæ sumus hic quarum una cicutam*
*Barbiton hæc manibus continet, hæc cytheram.*
*Huic, & Aristoclis chelys est, & barbitos isti*
*Stat gregis, impariles inflat & hæc calamos.*
*Miscet & ista tonum, modulatrix illa canori*
*Cromatis, inuentrix doctæ alia harmoniæ.*

E' GRECO.

*Fortunam urgentem est melius tolerare, Potentum*
*Quàm fastum elatum, & uerba superba pati.*

E' GRAECO

*Si Bacchus talis sacrum petysset olympum*
*Iam cum tyrsigeris, & saliens satyris.*
*Arte potens qualem Pylades saltauerat illum,*
*Lege poetarum legitima, & tragicum.*
*Iram exuta Iouis coniux dixisset, Iacchi*
*Tu falsa es Semele, uera ego sum genitrix.*

DE LATONA.

*Mitescas nostro cœli Regina dolori,*

*Quæ clausit mundi lumina uentre parens:*
*Ingeminabat, ei & serpens instabat ubique,*
*Et tanti urgebat pœna puerperij.*
*Cœlo, & aquis, & humo spoliata repellitur illa,*
*Quæ partu exornat cœlum, & aquas, & humum.*

E' G R A E C O.

*Quæ hæc talaria habens? Minecratis, altera uestem,*
*Phemonoe, Prexo est, quæ calicem retinet.*
*Cypridis & templum, & statua est, saltatio earum,*
*Est communis, opus Thracis Aristhomachi.*
*Omnes urbanæ meretrices nactæ at honestam*
*Hæ Venerem nunc sunt unius una uiri.*

E' G R A E C O.

*Carcere quis nam imberbem te collocat Hermes?*
*Me Daimonei filius Hermogenes.*
*Anthiocenus honos unde hic; ut fautor in Isthmo,*
*Et nemea in studijs subsidiumq; forem.*
*Pignora ter tria habens ad metam & primus adibat,*
*Nam uelut aerijs ille uolat pedibus.*

E' G R A E C O.

*Simplicibus lymphis saturato mi astitit ira*
*Plenus heri, atque minis, & mihi Bacchus ait.*
*Somnia digna cubas, quibus est irata Dione*
*Sobrie, noscebas Hippolytum, ne refer.*
*Talia posse pati formida, hæc dixit, abitq;,*
*Post hæc grata mihi non fuit unda magis.*

D E V E N E R E.

*Purpureum uulnusq; suum Cytherea papauer,*

Florigeræ dixit, dum populantur apes.
Inuideo uobis, solæ mea gaudia habetis,
Melq; meum rapitis, deliciasq; meas.

E GRAECO.

Albentem instillans spumam Cytherea capillis
Emersit salsis nuda decensq; undis.
Sic manibus crines in nodum colligit unum,
Et maris Aegei sic quoque tergit aquam.
Eminet, ut fas est, turgenti pectore talis
Illa decens Marti pœna; furensq; dolor.

DE CHARONTE ET PHAETONTHE.

Venerat horribilem Phaethon combustus ad orcum
Tranare infernam dum rate & instat aquam.
Te ne uebam? ipse Charon puer ô temerarie dixit,
Cuius ab igne mea est pene cremata ratis.
Cui puer, immo uehes bis, nam bis fata subiui
Saucius & mersus, fulmine, & Eridano.

E GRAECO.

Abiunges charos tu ne inuide Phosphore amores,
Turbabis nostri gaudia rara tori?
Sæuus eris, non sic solem sub nocte latentem
Infusum gremio prodideras Clymenes.
Aut piger, aut tenebris cinctum caput exere densis,
Tamquam à cimeriis egrediare, ueni.

E GRAECO.

Qui bene agunt, illis est uita breuissima tota,
Qui male quàm longi temporis una dies.

DE CVPIDINE.

Parue Puer Veneris quàm lata potentia, & ingens
Est tua, quum celeri corripis arma manu.
Fulmen ab iratis manibus Iouis eripis ardens,
Sceptra tridentiferi telaq; adunca Dei,
Tu potes infernæ sedis placare tyrannum;
Vltricesq; Deas reddere perplacitas.
Detrahis Herculea dextra clauamq; trinodem,
Et superas solus quicquid ubiq; ferum est.
Arma inuicta domas, cur Delia, teq; Mineruá,
Retibus una suis, altera terret acu?

DE HERCVLE, ET HYLA.

Littus Hylam, montes & Hylam, ualles'q; sonabant,
Marmoris ut liquidi est gurgite mersus Hylas.
Quid non tentasti Alcide, sed uana fuerunt
Omnia, nam puerum detinet alter amor.
Alter amor Nais formosa tenella tenellum
Formosum gremio suauiat in roseo.
Et puer æquæua lætatur uirgine, nam tu
Hispida membra ut habes, horridus asper eras,
Sat clamatus Hylas, in Hyla erubuere uolucres,
Cerua, aper, hydra, leo, tergeminusq; canis.

DE LVNA ET PANE.

Semicaper si te, ne cures, Luna fefellit
Velleris oblata conditione Deus.
Sat tua fraterno decorantur corpora amictu,
Neglige ueste tegi, nam mage nuda places.
Et quia, quid sit amans nosti, tege uellere amantes,
Illo etiam & foueas Endymiona tuum.

E GRAECO.

*Fulcra tori frustra posita, & sua stragula frustra*
*Obtulit Endymion candida Luna tibi.*
*Erubuit canos, & quod nitor ille iuuentæ,*
*Et forma, & uires deperiere sibi.*

DE PALLADE, ET ANTIGONE.

*Dardana palladias dum decutit arbore baccas,*
*Liquerat infantem mater inepta procul.*
*Impia anhelantis iucundum ut sensit odorem,*
*Serpit ad os pueri uipera lactis amans.*
*Implicita & collo siccando labra peremit,*
*Non impune, rapit nam pia auis colubrum,*
*Iam lacerum pullis portarat ad alta camini,*
*Quum patinæ in feruens lapsa cerasta oleum est.*
*Sic fructus est ulta suos, patriam, atque parentem,*
*Angue bis extincto Pallas, & Antigone.*

DE APOLLINE ET CVPIDINE.

*Pone tuos fastus, & uultum contege Apollo,*
*Extinguasq; faces cæce & inermis Amor.*
*Quæ fuerat uestri Charis, inclyta gloria regni,*
*Erepta est uestra tanta rapina manu.*
*Fronde nates cedi tanto tu errore mereris,*
*Tuq; iterum solitas extimulare boues.*

E GRAECO.

*Non tam Pleiadum occasus metuendus, iniqui*
*Nec circum scopulos unda agitata maris.*

Nec tantũ ira Iouis, quum fulgurat, ut malus est uir,
Et qui uerborum sit memor abstemius.

DE VENERE ET ADONIDE.

Prætereuntem undis sparsit Venus aurea Adonim,
Dum sua acidalys membra lauaret aquis.
Sensit odoratos latices, solitumq; calorem,
Purpureumq; iubar, ambrosiamq; uidens.
Iecit in amplexus roseos, niueasq; papillas
Se puer, atque illis basia mille dabat.
Cætera quum peterem tacuerunt Naiades, ipsæ
Virgineis Charites & rubuere genis.

DE CANE COELESTI.

Erigone, & canis incurui duo sydera cœli
Aethereis radiant, & saturantur aquis.
Causa fuit pietas, nam occulta morte peremptum
Vulgauit dominum fida catella suum.
Nata uidens patrem tam indigno uulnere uictum
Post fletus ramo triste pependit onus.
Et quia messores cædem sub messe patrastis,
Hinc uos adlatrat, terret & ore canis.

DE PALLADE, ET MERCVRIO.

Dum Fidei templum extruitur, pars nocte cadebat,
Sollicita hinc causa Roma latente fuit.
Materiam euoluit, perquirit, pensitat augur,
Aglauri, & Batti denique saxa uidet.
Vos adeo infidos non uult Dea, tollite clamat,
Prodidit ista Deam, prodidit iste Deum.

E GRAECO.

*Est Dea Calliope Musas uersantibus inter*
*Sed tuā Calliope, Tauliope est potius.*

E GRAECO.

*Qui callem hunc teritis, placidiq; uenitis ad agros*
*A populo, ac ab agris itis ad Acropolim.*
*Nos duo Di montes seruamus, Mercurius sum,*
*Iste est, quem uideas, Amphitrioniades.*
*Ambo aures dedimus faciles mortalibus, at quum*
*Immatura offert quis pira dura nimis.*
*Iste uorat, uirides rapit & de uite racemos,*
*Oris enim & subito mittit in ingluuiem.*
*Participem hunc odi, si quid commune duobus*
*Appones nobis, diuide, dicq; mihi.*
*Hæc tuā Athlantiade pars est, pars spectat & ad te*
*Ista unum Alcida, tunc sine lite erimus.*

DE CVPIDINE.

*Lumen odoratæ ad liquidum sua membra lucernæ*
*Aptarat somno uicta solutus Amor.*
*Quum tremulis scintilla ardens salit excita flammis*
*In pueri crispum, torret & igne caput.*
*Excitus & satagens palmis extinguere flammam,*
*Retulit exustas inde Cupido manus.*
*Quot scintilla ignes ulta est, quot uulnera, adurens*
*Igniuomumq; caput, uulnificasq; manus.*

E GRAECO.

*Pisoni Antipater genialem quum daret olim*
*Librum nocte una compositum, ista refert.*

*Mitis habe, & uatem lauda, nam thure uaporo*
*Placatur modico maximus ipse Deus.*

DE VENERE ET IOVE.

*Dulce ubi detexit Veneris cum Marte duellum,*
*Vxorem ignipotens arguit ante Iouem.*
*Conscia demisso dum staret Cypria uultu,*
*Addidit increpitans talia uerba pater.*
*Furta quis hæc docuit, toties tua filia dixit,*
*Quum desunt alij taurus, olor'q; docent.*

È GRAECO.

*Sol uidet e clara Paphiam, Martem'q; fenestra,*
*Quos finxit Plastes turpiter implicitos.*
*Non odij oblitus radijs liquefecit utrunq;,*
*Ceram & inexanimem tam grauis ira Dei est.*

DE PALISCIS.

*Terra aperi gremium, plenam placidissima & aluum,*
*Ilithyia adsis grata puerperio.*
*Luna uocat, luctu respondent, nona Paliscos,*
*Mater matri adsis, tu quoque Diua Deis.*
*Dixeram, & infantes geminos enixa creatrix,*
*Mortua quos aluit, contumulata parit.*

È GRAECO.

*Cruribus hirsutis, densato crine bicorni,*
*Caprino corio corpore dissimili.*
*Veloci ad cursum, latitanti, rura colenti*
*Ardenti Nymphas, nequitiam, scopulos,*
*Velleris hunc niuei caprum obtulit ipse chariclès*
*Barbatum, affinem, Pan tibi magne pater.*

E' GRAECO.

*Nabat aqua in pelagus per aquam non humida uastum.*

E' GRAECO.

*Nomine sum fluuius, uerum altis fluctibus æquor,*
*Dulce æquor Strymon turgidus Aemathiæ.*
*Dum fluo, fœcundam tellurem reddo, ferro'q;*
*Multo plus suauem pane quidem tribulum.*
*Sunt etiam nobis uada Nile feracia, ariston*
*Nanq; alere est meritum, quam peperisse minus.*

E' GRAECO.

*Pytho, & acidaliæ Veneri uiridantia ligna,*
*Mel'q; coronatæ Nymphius Heurymenes.*
*Villicus Hermophilas posuit, ne spernite; ob illam*
*Ligna quidem, pro me dulcia mella dedit.*

DE CVPIDINE ET MERCVRIO.

*In peplo certare simul iam pinxit Apelles,*
*Et Maiæ, & Paphiæ pignora chara Deæ.*
*Ambo ut erant pueri, sic sacro semine creti,*
*Ambo & amatores palmæ, & honoris erant.*
*Hic celer ob pennas, iste ob talaria uelox,*
*Huic inerant fraudes, huic inerant'q; doli.*
*Iactat Amor flammas, geminũ iste exasperat anguem,*
*Huic clypeus pharetra est, huic quoq; parma clamis.*
*Dum feruent animi, pugnam Cytherea diremit,*
*Tunc positis armis erubuere Dei.*
*Cum puero quod Amor certauerit omnia uincens,*
*Quod'q; Hermes agitet prœlia pacis amans.*

E' GRAECO.

*Qui fastus nostros pedibus conculcat, Amorem*
*Effinxit miris Praxiteles manibus.*
*Me'q; habitantem ipsum cæco sub pectore Phryne*
*Dilectæ tribuit pignus amicitiæ.*
*Illum nequitia captauerat, inter amantes*
*Aequum est, ut detur munus amoris amor.*

E' GRAECO.

*Hermes sum maribus, uideor Venus ipsa puellis,*
*Nam patris, & matris symbola contineo.*
*Hermaphroditum ideo me constituere lauacris,*
*Androgenis quod ego sum puer ambiguus.*

PRO NYMPHIS ET FAVSTO SABAEO.

*Viua uiator habe hunc fontem chrystalla fluentem,*
*Atque sitim extinguens illius esto memor.*
*Qui lassum inspiciens, iuuit, Nymphas'q; iacentes,*
*Te potu, has riuo sic fugientis aquæ,*

DE BACCHO, ET CERERE.

*Incaluere mero, demum ira Lyssus, & Agmon,*
*Iurgia post fortes conseruere manus.*
*Panis ibi astabat durus, uini'q; lagena,*
*His sua percutiunt tempora adusque necem.*
*Et iacuere ambo trita ceruice perempti,*
*Quam uaria ad manes est uia aperta Deos.*
*Credere quis posset? qui uitam, & gaudia fertis,*
*Bacche Ceres'q; reos sanguinis atque necis.*

E' GRAECO.

*Mollibus inſpirans calamis arguta canebat*
*Dorotheus miſeros Laomedontiadas.*
*Fulmineum & Semeles partũ, Charitum arte perenni,*
*Pergama, & inſidijs capta capacis equi.*
*Solus enim in ſacris Dionyſi uatibus alas.*
*Mome tuas potuit diffugere hic uolucres.*
*Thebanus patria ſoſiclis natus Iacchi*
*Delubro cytharam conſecrat, & calamos.*

DE CLORIDE ET ZEPHYRO

*Cyrene Zephyri Nymphis narrabat amores,*
*Marmore ſub molli ſerica penſa trahens.*
*Inter quos Cloris uiridantia prata colorans,*
*Quaq; parens celeres exoriuntur equi.*
*Cætera Ariſtei queſtus fregere parentis.*
*Stamina nanq; manu, carmina & ore cadunt.*

DE HERCVLE, ET DRACONE HESPERIDVM.

*Vidit ut exuſtum, Alciden, caluúmq́, ſenemq́,*
*Armatumq; draco tunc ait Heſperidum.*
*Hic te expectaui in ſomnis prædo improbe pœnas*
*Nunc furti, & noſtri ſanguinis ipſe dabis.*
*Monſtrorum excœpit domitor, iam nudus, & infans*
*Attriui eliſo gutture te geminum.*
*Et ſeptemgeminum fœcunda morte peremi,*
*Tertio, at effœtas experiare manus.*

E' GRAECO

*Quum uideas clauam, & crines, oculisq; timendum,*

Intrepidumq; animum, lumen & horribile.
Si reperis fuluum quærens ex ære leonem,
Alcides, si non Lysimachi est statua.

E' GRAECO.

Balnea, uina, Venus, præbent calcaria morti.

RESPONSVM.

Mortem etiam frænant balnea, uina, Venus.

DE ORITHYIA ET BOREA.

Aerio in tractu quum te glacialis amator
Portaret, uirgo es naufraga, & usta simul.
Feruido enim barba, & crines, alæq; uolatu,
Vtq; tua flamma concaluere fluunt.
Vnde hinc, flãmæ illinc, media inter utrunq; manebas,
Passa ignes, & aquas, naufraga, & usta simul.

DE VENERE ET IVNONE.

Inscia Elisa sinu Ascanij sub imagine Amorem
Dum fouet, & flammas imbibit, atque necem.
De Venere ante Iouem est coniux hoc questa Dione
Cui ob te, immo iterum pergama ut ædificem,
Tunc Iuno, ædifica, modo quæ destruxeris olim,
Per te est immo tuas diruta Troia nates.

E' GRAECO.

Mirum opus inspicias Venerem, quam pinxit Apelles,
Egressam nuper de genitrice mari.
Exprimit apprehensos crines ut rore madentes,
Vt spumas niuea tergit utraq; manu.
Nunc Dea bellipotens, & Iuno regia dicunt,
Cedimus extincta est lisq;, odiumq; Venus.

E' GRAECO.

*Imbracon, atque Samum moderans Saturnia Iuno.*
*Accipe natales annua dona tuos.*
*Sacra boum dilecta tibi quæ nouimus, inter*
*Hæc tibi cœlestes plus placuisse Deos.*
*Maximus hæc adolens rogat hoc, nanq; annuit, idem*
*Stamina Parcarum prospera non metuit.*

DE CVPIDINE.

*Te Puer o Veneris quæ tempora prima tulerunt,*
*Quum uernant uiolæ, quum redolentq; rosæ.*
*Quis te progenuit calor ardentissimus, & quæ*
*Mater, segnities desidiosa tulit.*
*Quæ te aluit nutrix? petulans lasciuia, & audax,*
*Dic ubi creuisti? mollibus in thalamis.*
*Qui tibi & affines? risus, dolus, atque lepores.*
*Forma, uenustates, deliciæ atque ioci.*
*Te quid adegit Amor tantum me urgere sagittis,*
*Et face? spes feruens, egelidusq; timor.*
*Vnde alimenta tibi? blandis dulcissima ocellis,*
*Irriguo & luctu, deq; dolore traho.*
*Semper eris ne puer? semper, nam nascor in horas,*
*Quæ domus? astra, salum, terra, & inane chaos.*

E' GRAECO.

*Intueare, polum ut læti popolantur Amores.*
*Cælicolum ornati tum grauia arma gerunt.*
*Fulmen inane Iouis, celeres & Apollinis arcus.*
*Neptuni telum, robur & herculeum.*
*Cassida Gradiui, Hermetis talaria, Bacchi*

Atque ferunt tyrsum, lampada & Artemidis.
Non ergo indignum est mortales cedere Amori,
Cui sua & æterni tela dedere Dei.

E' GRAECO.

Prætereunt homines hominum hæc mortalia cuncta,
Si non hæc saltem prætereunda homini.

DE IOVE, ET EVROPA.

Atque amor exicio tuus ac mortalibus ira est,
Europa obiecit per freta uecta Ioui.
Pace tua & dixit, perimis Rex maxime adurens
Tam Semelem aspectu, quam Phaethonta manu.

E' GRAECO.

Sic iacuisti olim ad longam suspensa columnam
Sacra panumpheo fraxinus aspra Ioui.
Iam ferrum uetus est, & tu detrita, frequenter
Dum uibrata hostes percutis, atque necas.

DE PALLADE, ET CVPIDINE.

Sæpe graui Pallas tentata Cupidinis arcu,
Impaciens pueri facta procacis, ait.
Vlterius si me tentaueris improbe, mergam
Ignibus aut tumido nil miserata mari.
Cui Deus arridens, quid fluctus, dixit, & ignes?
Victricus his, illis imperat alma parens.

E' GRAECO.

Ecquid palladiam plantam me astringis Iacchi
Planta, botros, tollas ebria non ego sum.

E' GRAECO.

DE BVCVLA MYRONIS.

Non præuenisti formans, præuenit at ars te,
Compactum, ò Plastes spiritum ut ipse dabas.

E' GRAECO.

Me rota confinxit figuli reuolubilis Hermem
Testaceum, pedibus compositumq; luto.
Terreus huncq; locum recolo, non mentiar hospes,
Diligo figlinum uile ministerium.

DE CVPIDINE, ET CHARITE.

Aere Amor ex nitido stabat placidissimus arcu
Et lento, & uacua post humeros pharetra.
Admirata Dei tam paruo in corpore uires
Visa fuit numen spernere nostra Charis.
Quum subito è pharetra iaculans se prosilit aspis,
Vindictam ob dominæ uirginis in faciem.
Di prohibete nefas, nil læsit ecthinna puellam,
Penè quidem at casu est exanimata Charis.
Sæue puer tua sit quàm lata potentia monstras,
Atque doces, qnantum spicula uirus habent.

E' GRAECO.

Ficus matura est; & ego hoc cognosco uiator.
Ne laudes arbor ne ue adeunda tibi.
Proxima nam tueor ficum, plantasq; Priapus,
His sum præpositus, conuenit hocq; mihi.
Si tanges ficus, moneo prius ipse uiator
Me reddes ficus par licet ipse pari.

E' GRAECO.

*Ex aere es tibi adunca trahebat aratra bubulcus*
*Mentitae, atque iugi triste ferebat onus.*
*Sed sapiens tunc arte Myron te bucula uiuam*
*Fecit aratorem tanquam operi esse suo.*

E' GRAECO.

*Exigui Alcimenes cultor sed fertilis horti*
*Gratus ob aestatis ditia dona fero.*
*Haec Pani pomum, & ficum, lymphamq́, bonorum*
*Quod uitae es custos, fautor & ipse mihi.*
*Ex horto partem, uestro & de uertice partem*
*Accipe, & aduerte, foeneror ista tibi.*

E' GRAECO.

*Si teneo sedem desertam in rupibus altis,*
*Archilochus causa est, non ego, me hic statuit.*
*Non equidem oblector aut colle aut monte supino*
*Non praerupta mihi, sed uia plana placet.*
*Impatiens hominum Archilochus, fugiens quoq; coetus*
*Collocat hic talem me modo qualis erat.*

DE NYMPHIS, ET PRIAPO.

*Vinctum adducebant Dryades tumidumq́; pudenda*
*Parte Deum hortorum, laetae. & Amadryades.*
*Dum festinarent trepidae cecidere, Priapus*
*His super irato penè timendus erat.*
*Et quum iam liber palmis ad tela paratus*
*Per medium teneras scindere uelle Deas.*
*Diffugiunt, & quae captiuum in uincla trahebant,*
*Vix salua excutiunt uirginitate Deum.*

E GRAECO

*Longa dies, audaxq́; fames extinguit Amorem,*
*Hæc duo si nequeunt, fune fugandus Amor.*

E GRAECO.

*Turba uiatorum è saxis construxit aceruum*
*Sacrum hunc Mercurio pro charite exigua.*
*Nanq; parum prodest Deus hic, sed fontis abesse*
*Capræ undam septem denotat hinc stadia.*

E GRAECO.

*Mi domus est simplex nigras erecta sub undas,*
*Humentisq́; gero littoris imperium.*
*At si aliquis timeat turbata mente profundum,*
*In me seruatis gaudeo remigibus.*
*Concilia Venerem, tibi ero uel prospera amori,*
*Vel nitido fautrix, atque secunda mari.*

E GRAECO.

*Cypria ait Musis, Musæ celebrate Cytheren,*
*Aut in uos facibus bella mouebit Amor.*
*Tunc Musæ hæc Veneri, iacta ista loquatia Marti,*
*Ad nos tantillus non uolat iste puer.*

DE ARETHVSA, ET ALPHEO.

*Iam lassata motu, & cursu pia numina dixi,*
*Me seruate, instat, me capit acer amans.*
*Circundor tenebris Arethusa, Arethusa uocabat*
*Circum me Alpheus luctibus ora rigans.*
*Dura licet luctu incalui, & miserata cadentem*
*In gremium excipio, contineoq́; sinu.*

Pectora

Pectora pectoribus dum iungimus, oribus ora,
Nil nisi sudor eram, nil nisi luctus erat.

E GRAECO.

Vnda Alphææ Iouis referens optate coronas
Puluere qui opletas, serpis piscosa per arua.
Nam placidus primum, ponto postquam obuius alto
Arduus immensi ipse cadens sub gurgitis undas
Sponte tua accedens, sponsus, tum ductor amoris,
Humidus ad siculam propera consors Arethusam,
Ipsa fatigatum excipiet te blanda, & anhelum,
Absterget salsos fluctus, atque æquoris algam,
Labra coaptabit labris, post præmia cursus
Dulciáq; infusus gremio gratum ipse soporem
Inuideo, capies.

DE AMPHITRITE ET NEPTVNO.

Vstus erat medijs ponti Neptunus in undis,
Dura Amphitrite causa caloris erat.
Nam sese in liquidis demens celauerat antris,
Inuenienda ullo non erat illa loco.
Incuruus delphin Dominum miseratus aquarum
Quærit, & inuenit, detegit hancq; Deo.
Rapta est erepta nam uirginitate dolebat
Non raptam erepta uirginitate prius.

E GRAECO.

Neptuno nauem sacrauit nauita Crantus
Ad templi hanc firmum dum trahit ille solum.
Securus uenti in terra, rate stratus in ipsa

Intrepida atque iacens somnia Crantus habet.

## DE CVPIDINE ET VENERE.

Inter Amadriades ludentem uidit Amorem
Gauisa est pueri fraudibus alma Parens.
Signa Dei exuerat, cæcum inspirabat & ignem
Nympharum uenis insidiosus Amor.
At postquam infrenes occultum hausere calorem,
Et nouere dolos, insidiasq; Deæ.
Improbe dixerunt, sic nos puer improbe ludis?
Tunc Deus aufugit, risit & ipsa Venus.

## DE COMO.

Nirea qui uincis, iuuenum pulcherrime, tollas
Lumina, & accendas semisopite faces.
Aebria Come hominum, Diuum & quandoq; uoluptas
Plausibus ecce sonant atria, & astra nouis.
Læte ueni, qui grata facis conuiuia uultu,
Te Venus alma uocat, Iuno, Hymeneus, Amor.

## E GRAECO.

Carmina sacra canas gregibus pascentibus ò Pan,
Labra caua auratis insere arundinibus.
Vt referant capræ distentas lacte papillas
Hæ dulcem Clymenes munera crebra domum.
Vir gregis ipse tibi caper astans imbuet aram,
Denso animam exalans pectore purpuream.

## E GRAECO.

Vmbrosi colles sileant & murmur aquarum,
Balatu enixæ ne ue querantur oues.

Quandoquidem arguta & dulci modulatur auena
Decurrens calamos Pan pater ore suos.
Hunc hilares circum placidæ instituere choreas
Hydriades Nymphæ, Nymphæ & Amadriades.

DE APOLLINE ET PHAETONTE.

Corrige uota puer, nato ingeminabat Apollo,
Non curru, at nostris utere consilijs.
Persistit, currum ascendit, iam pallet, habenas
Laxat, & ignipedes expatiantur equi.
Cuncta ardent, & cuncta queruntur, nec fuit autor
Liber ab igne, ustas lauit at amne manus.

È GRAECO.

Hermes est facilis pastores melle fluenti
Ilice placatur, lactéq; lætus erit.
At non Alcides, aries cui pinguis, & agnus.
Aut alia est illi uictima grata Deo.
Ille lupos arcet, seruatum perditur æque,
Nanque lupi, & custos una rapina eadem.

DE THETIDE ET PELEO.

Frænatis inuecta Thetis delphinibus æquor
Sulcabat placidum Peleos igne furens.
Ille uerecundus quum declinaret amantem,
Diua Deas recitat concubuisse uiris.
Et prece, & exemplis Peleus uix cessit amori,
Tam Thetidi rigidus, quam sibi amator erat.

È GRAECO.

Palmæ quadruplices humeris gestantibus alas

*Extensas portant pignora tot Superum.*
*Hæc bellatricem fert Pallada, & ista Cytheren,*
*Alcidem hæc, Martem hæc magnanimumq; gerit.*
*Hæc tua picta domus monstrat conscendere cælum,*
*Romanæ ò Cai nunc columem patriæ.*
*Robur enim Alcides, animos Mars, det tibi Pallas*
*Consilium, felix coniugiumq; Venus.*

E GRAECO.

*Mnemosine salue longum, & tu obliuio, salue,*
*Prospera tu ut renouans, tristia tu ut remouens.*

E GRAECO.

*Luna, Venus, Mars, Sol, Saturnus, Iuppiter, Hermes.*

DE HEBE.

*Quid pater ò Diuum formose irasceris Hebe?*
*Quod retegat Superis membra pudenda cadens.*
*Non fuit in culpa, quænam cecidisse libenter*
*Virgo, latusq; uelit detegere illa suum?*
*Spreta tamen, Phrygiusq; puer tibi pocula miscet,*
*Hoc nudasse nates, non fuit, atque fuit.*

AD NYMPHAS.

*Nymphæ, quæ nitidis christalla tenerrima plantis*
*Lasciuæ, & nudo curritis usque sinu.*
*Excipite hos luctus gremio pietatis amicæ,*
*Et seruate illi quum sitibunda uenit.*
*Potet amaritiem nostram, tepidosq; dolores*
*Frigidior glacie rusco, & amara magis.*
*At uos epoti Charitem, succendite fletus,*
*Solum etenim flammas spiro, loquor, lachrymo.*

E' GRAECO.

*Exagitata mero quis enim mea membra iuuabit?*
*Aebrius hac illac quum titubem ob bromium.*
*Quam prauum iuuenem Diuum te Bacche potentem*
*Dum fero te, è contra transferor ipse tibi.*

ALITER.

*Sum madidus, uarij gressus, & lingua fatetur,*
*Nam titubant cuncta, & membra grauata mero*
*Triste tuum occurrit numen mihi Bacche, uolentem*
*Dum fero te, & uebo te, deuebor, atque feror.*

E GRAECO.

*Optima mensura est bromij non parua, nec ingens*
*Ingens stultitiæ est, parua doloris erit.*
*Quum tribus est lymphis commixtus quartus Iacchus*
*Gaudet tunc thalamis, aptior & Veneri.*
*Nam si multus erit, multum auersatur amores,*
*Vicinæ & mortis mergitur in requiem.*

DE DIANA ET CVPIDINE.

*Non credis peruerse puer, dicebat Amori,*
*In caput infringam quod tua tela tuum?*
*Nec timuit tremulis quin circum luderet alis,*
*Inq; minantem audax sumeret arma Deam.*
*Tunc dextram in crispos iniecit Delia crines,*
*Altera & est pharetram depopulata manu.*
*At subito indoluit, nam sensit uulnus, & ignem,*
*Demisitq; illum saucia, & usta simul.*
*Vade, & ait monstrũ, monstrũ omni ex parte timendũ,*
*Captus, & imbellis percutis, atque cremas.*

E GRAECO.

*Prospera tum felix uobis uenatio, collem.*
*Montani Panos qui petijstis, eat.*
*Retibus & uobis ferro, & confiditis, & qui*
*Decipitis uolucres uisco, & arundinibus.*
*Meq; uocate, repente adero uenatibus ipsis,*
*Ferre hastam noui, linaq;, tum calamos.*

DE VENERE ET ADONIDE.

*Infusum gremio Veneris panopeus Adonim*
*Vidit, & erubuit, sed magis ipsa Venus.*
*Nam quae mortales oculos nec cernere, nec fas*
*Ora loqui, inspexit, pertimuitq; sinus.*
*Apponensq; manus capiti, nec cornua tangens,*
*Syluarum, & thalami quàm Dea distat, ait.*

E GRAECO.

*Praxiteles Phryne pro praemio amoris Amorem*
*Me dedit, & me idem fecerat arte Deum.*
*Phryne autem artificem non aspernata timebat*
*Ne pro arte assumat symacha tela Deus.*
*Non ultra natum Veneris timet illa, tuum sed*
*Praxiteles, nanque ars creditur esse parens.*

DE IOVE ET GANIMEDE.

*Aureum ut aurata puerum conspexit ab arce*
*Iuppiter ideum nequitiosus amat.*
*Ardet, & insanit, toto & sub pectore uersat*
*Illius & uultum, tum genus, & speciem.*
*Cuncta cupit, quia cuncta placent, proq; omnibus unum*
*Suspirat multo plus boue, & imbre, & aui.*

*Impatiens & amoris ait, miser usque ab amore*
*Vsque ab amore miser uincor, & excrucior.*
*Qui cœlum terramq; traho, retrahoq; catena,*
*Fulmino qui reges, territo qui Superos.*
*Ardeo, & excrucior manicis, & compede uinctus,*
*In puero omnipotens in Ganimede Deus.*

E GRAECO.

*Ipse uiam inueni, spes, & fortuna ualete,*
*Quid mihi uobiscum, procul à me abscedite longe,*
*Nam uestrum est nobis pro ueris somnia rebus*
*Obijcere, & uano mortales pascere lusu,*
*Præcipites noui illecebras, dulciq; ueneno*
*Pocula mixta, oculos demum, mentemq; recepi,*
*Ludite nunc alios, sat me lusistis inanem.*

DE PHOEBO ET DAPHNE.

*Vidit ut in truncum mutatos Phœbus amores*
*Esse suos, fusis rettulit hæc lachrymis.*
*Virgo mihi atque tibi crudelis, & improba Daphne,*
*Virgo tuæ nimium uirginitatis amans.*
*O Daphne infelix, & ego temerarius, immo*
*Ipse procax nimium, tu quoque dura nimis.*
*Dum refugis flammas es facta obnoxia flammis,*
*Quas mihi iam dederas experiare modo.*
*Excerpens ramum, & fructum dedit oscula, & igni*
*Tradidit, at strepitu prosiliere foco.*
*Tunc Phœbus miratus ait. fructum arida amarum*
*Vsque ferens flammis uicta repugnat adhuc.*

E GRAECO.

Actiacum Martem testantia signa iacemus,
Quæ bibimus salsos ærea rostra lacus.
Ecce autem resono cumulata examina in illis,
Nam uos nectareæ mellificatis apes.
Cæsaris excelsi Charis arma hostilia fructum
Pacis ferre, & opes, atque alere edocuit.

DE IRIDE.

Imbriferas inter nubes Hyperionis arcu
Circinat humentem uirgo decora polum.
Dimidium intexens fluuidisq; coloribus orbem,
Non formidandas Deucalionis aquas.
Monstrat, acu & pictum iacit exitiabile malum,
Quo mare, quo tellus, Diq; hominesq; gemunt.

E GRAECO.

Bis sex annorum rapuit me Parca, Thaliæ
Matris enim, & Dydimi filia sola patris.
O Parcæ cur tam indomitæ, uos nanque negatis
Mi thalamum optatum, miq; puerperium.
Quippe Hymenee ad te dum sperauere parentes
Ducere me ad stygios abstrahor ipsa lacus.
At uos ò Superi siccate parentibus ora
In luctum absumptis funeris imbre mei.

DE AVRORA ET TITONE.

Marcenti & gelido occurrens Aurora marito
Visa Dea est solito pulchrior esse seni.
Vultum incendebant rutilantem purpura, & aurum,
Plena & erat gemmis, floribus, atque rosis.

Dic mihi ait coniux, sic sis pulcherrima Diuum,
Vnde tibi uariæ tot cumulantur opes?
Diua uiro arridens, ut erat blandissima, dixit,
Tethyos è gremio surripui, & madui.

E' GRAECO.

Quæ syluas facis, & deserta sonare cicada
Dulce canens guttis ebria roscidulis.
Frondibus extremis sidens & corpore nigro,
Artubus asperulis concinis ipsa lyram.
Arboreis ludum Nymphis cane amica recentem
Antodon Pani dum resonas strepitum.
Ipse die in medio fugiens incendia amoris
Dormiam ego umbrosa sub platano recubans.

VOTVM.

Amissum quærit uitulum, nec repperit Idas,
Si furem ostendit, cum Ioue pacta facit.
Ecce leo uitulum lanians, tunc territus Idas,
Sospes ut euadat, uota Ioui ingeminat.
Seruatus, uotiq; reus nunc ducit ad aram
Pro prædone agnum, proq; timore bouem.

E' GRAECO.

Spectro ex horribili quidam exagitatus ab œstro
Iactabat sparsas per sua colla comas.
Fœminam agens habitu pallentibus atque corymbis
Insanum ornarat, reticuloq; caput.
Vir sapiens spelæa intrat, dum Iuppiter alto
Frigore concretas aere uersat aquas.
Ecce leo occurrens prædo ferus armentorum,

Serus, & impauidus ad sua lustra redit.
Hospitem ut inspexit, uiuumq; ut sensit odorem
Quaslibet assuetus dilaniare feras.
Ipse superba acer stetit in uestigia flectens
Lumina rugitus edidit ore feros.
Insonuere caui montes, & flebilis Echo,
Et iuga summa niues deseruere metu.
Terribili ille autem stupefactus uoce tonantis
Infractus toto pectore uir fuerat.
Corde tamen mugitum alto lachrymasq; profudit,
Et caput attonitum cæsariemq; rotans.
Tympana magna manu & capiens quatiebat, ut amens,
Percitus & Rheæ spiritu olympiadis.
Auxilium insolitum uitæ tunc tergora tauri,
Et strepitus metuens effugit inde leo.
Sicq; necesse istud, quod supra est cuncta Iouemq;
Edocet instantem pellere posse necem.

DE CERERE ET ZEPHYRO.

Lassa Ceres, uentos inter pinguissime & omnes
O Zephyre hæc uobis dona dedit Corydon.
Spica serta tibi, tibi florea, carpite Diui,
Veri, & ut æstati multiplicentur opes.
Sic inuenta tuos soletur nata labores,
Leniat et flammas Chloris amata tuas.

E' GRAECO.

Hæc tibi rura colens parui possessor agelli
Sosicles posuit spicea dona Ceres.
Triticeam messus segetem, de messe recisa

*Obtusam at falcem rursus ut ipse ferat.*

E GRAECO.

*Excitat hoc templum Zephyro Eudemus in agris,*
*Solus enim est uentis blandior ipse alijs*
*Affuit oranti spirans ocyssime ab imis*
*Leniret fructum caulibus, ut peponum.*

AD NYMPHAS.

*Fontis aquæ ò puræ quas iam sacrauit amori*
*Quum uultus miros lauit, & ora Charis.*
*Impressam gremio quam custoditis imago*
*Seruetur fidis inuiolata uadis.*
*Præter solstitia omne nocens arcetur ab undis,*
*Non timet æstum æstus, nec glacies glaciem.*

E GRAECO.

AD STELLAM PVERVM.

*Stella mea inspicias stellas, dum cernere multis*
*Possem oculis in te, nam polus esse uelim.*
*Nam uiuis uiuens lucebas Lucifer olim*
*Lumine nunc cassis, Hesperus es moriens.*

ALITER.

*Inspice clara meum sydus nunc sydera, cœlum*
*Esse uelim, ut multo lumine te inspiciam.*
*Tu prius in terra rutilabas Lucifer, at nunc*
*In cœlo splendes Hesperus ipse magis.*

DE CVPIDINE ET IOVE.

*Tela Cupido, suum leuem mutauit & arcum*
*Cum Ioue pro telis tela trisulca capit.*
*Igne Amor aligero ferit omnia secla animantum,*

*Et passim afflatum deperit omne genus.*
*Iuppiter insequiturq; arcu, iaculisq; rebelles,*
*Crimina sed feruent, quo magis ipse ferit.*
*Erubuere* Dei *quisque arma errantia fregit,*
*Aurea tela pater; terrifica arma puer.*

E' GRAECO.

*Si curæ esse potest quid cura, & sit tibi curæ*
*Si de te curat, quid tibi cura,* Deus?
*Nil cura absque* Deo, *nec lentus neglige curam,*
*Si tibi quid curæ est hoc quoque cura* Dea. Deo

E' GRAECO.

*Haud fortuna uolens te euexerat, at mage monstrans*
*Quod facere usque in te, quod libet ipsa potest.*

ALITER.

*Non merito ipsa tuo te sors euexit in altum,*
*Sed per te ut monstret quæ facere illa potest.*

DE CVPIDINE.

A' *Ioue depulsus cœlo quum staret inermis,*
*Pascebat pecudes nequitiosus* Amor.
*Dum mulget, dum tundet oues, lauat, atque reducit,*
*Indoluit nato deficiente parens.*
*Tunc puer indignans capit arma, tetendit & arcum,*
*Aurea tela acuit, uentilat atque faces.*
*Atque minax repetit cœlum, uiolentus, & instat,*
*Quis contra armatum fert sua tela* Deum?
*Inq; Iouem sæuit plagis, qui pulsus ab astris*
*Sub satyro latuit, sub boue, & imbre, & aui.*

E' GRAECO.

*Peram humeris aptat positis Amor improbus armis,*
*Bubus, & adiunctis semina mandat humo.*
*Attollensq; oculos imple arua ò Iuppiter, inquit,*
*Ne bos pro molli uirgine aratra feras.*

E GRAECO.

*Quid utiq; diceret Idothea uidens Helenam in Pharo.*

*Sum miserata tuam speciem, quia nata tonantis,*
*Nam Ioue digna tua effigies, duranda per annos.*
*Bella decem per te Phrygibus Graisq; parantur.*
*At genitoris ubi auxilium? qui fulmina torquet*
*Aegida concutiens, uenias tamen, ipsa redibis,*
*Illæsa, Idotheæ mens hæc super æquora ponti.*

E GRAECO.

*Dum salit igne infans Bacchus, lauere fauillas*
*Nymphæ, hinc cum nymphis gratus amicus erit.*
*Sin prohibes illis illum admiscerier, ignis*
*Torridus ut fuerat, sic bromium ipse bibes*

E GRAECO.

*Et cœca, & sterilis, lumen prolemq; precatur*
*Fœmina, subsidio non caruere preces;*
*Artemis obsequio duplici non defuit, optans*
*Prole, illa ut pariat; lumen, & ut uideat.*

DE MARTE ET PALLADE

*Gorgone munitam, & galea quam cernis, & hasta,*
*Tectum armis iuuenem conspicuum, atque trucem,*
*Illa Iouis nata est, Iunonis filius iste,*
*Bella gerunt ambo, strenue, & arma mouent.*

*Pene pares ætate ambo, ſed diſpare ab ortu,*
*Patre quidem Mauors matre Minerua caret.*

E GRAECO.

*Contectum tauro clypeum, tutamen & hoſtium*
*Excipientem haſtam in uiſcera prævalidam.*
*Tela repellentem, tunicamq; à pectore equinis*
*Denſatam & ſetis texilibus galeam.*
*Lyſimachus Marti poſuit ſacra dona bacillus*
*Solus erit laſſo telaq;, & arma ſeni.*

DE CVPIDINE.

*Dum ſequitur Scyticam per frigora ſæua Dianam*
*Durus Amor, celeres diriguere manus.*
*Telaq; de digitis cecidiſſe ut uidit & arcum,*
*Hei mihi quid faciam nudus inermis ait.*
*Quam potis occultum de corde exſuſcitat ignem,*
*Oris & afflatu concaluere manus.*
*Ex illo ſe armauit amor, face nanque fugaces*
*Perſequitur iaculis frigida corda face.*

DE PANE ET BOREA IN PINVM PVELLAM.

*Tam miſeranda fuit Pinus, quàm pulchra puella,*
*Quæ Pane, & Borea Dis adamatur amans.*
*Pane potita iram Boreæ, quem ſpreuit, inhauſit,*
*Ah miſeram in lapides impulit, atque necat.*
*Arbor facta, & adhuc flantem, licet arbor, amantem*
*Et timet, & refugit ſtridula tam rigidum.*

E GRAECO.

*Ruſtica arundo audes Veneris conſortia adire*

Pastorum spurcis tot uitiata labris.
Non hic sunt nemora & montes, uerum omnia feruent
Et desyderijs atque cupidinibus.

DE CHARITIBVS.

Nunquam deficiunt Charites, quum dantur habentur,
Quumq; absumuntur multiplicantur opes.

E GRAECO.

Non credis lasciue puer, dicebat Amori
Iuppiter, hæc frangam tela Cupido refert,
Mitte minas, si te feci mugire per æquor,
Nunc iuga te faciam ferre, & aratra bouem.

DE ACHELOO ET DIANA.

Cultricem nemorum, iaculatricemq; ferarum
Accensus toto corde Achelous amat.
Diua pudicitiæ exemplar spernebat amantem,
Quas poterat fluuidas & fugiebat aquas
Quum uenientem illum uirgo euitare nequiret,
Quærit amatorem fallere posse dolo.
Ora sibi atque suis lutat, ille ignarus amatæ
Cynthiæ, & erubuit, lusus & inde abyt.

E GRAECO.

Spicula Apollo tuam & pharetram depone sonantem,
Nanque arcum, non te, territa uirgo fugit.

DE CHARITIBVS.

Amplexu inter se annexas reuerenter amico
Quas cernis Charites tres lapis unus habet.
Corpore præstanti & nudo quas fidus Achates
Seruat in intacta uirginitate diu.

*Forte petis paruo cur sic celantur in orbe,*
*Quod datus est Chariti paruus in orbe locus.*

E' GRAECO.

*Vir Lacedemonius claudo pede tristis in hostes*
*Ibat, ei mater talia uerba refert.*
*Ne cures fili, gressus te quilibet æger*
*Virtutis propriæ te faciet memorem.*

E' GRAECO.

*Ex thure inuictum, & sæuum qui finxit Amorem,*
*Non modo mortales qui ferit, atque Deos.*
*Immo patrem, merito succenditur igne, cremari*
*Dudum debebas pernitiose puer.*

E' GRAECO.

*Extollit uultus ad te, mugitq; iuuencus*
*Iuppiter ante aras fata cruenta uidens.*
*Dicere uult parcas clamanti parce puellam*
*Per mare quum ueheres, tu quoq; taurus eras.*

E' GRAECO.

*Fontis ad hos latices sæuum qui pinxit Amorem,*
*Hanc flammam extingui posse putauit aquis.*

IN STATVAM MARMOREAM CVPIDINIS.

*Lassus Amor dormit positis uictricibus armis.*
*Iamdudum ad murmur subsilientis aquæ.*
*Dum pax est orbi, lingua, gressuq; uiator,*
*Siue bibas, seu uis, oro, lauare, faue.*

E' GRAECO.

*Flectere ne credas lachrymis Thelembrote Amorem,*

*Iste*

Iste ignis parua non superatur aqua.
Solum auro placatur Amor non fletibus ullis,
Non curat nostras æquore natus aquas.

E' GRAECO.

Lasciuum domat ipsa fames, uel tempus Amorem,
Hanc duo si hæc nequeunt sternere tela feram,
Tertia sola tibi restat medicina furorem
Innectens collo uincla fugabit amans.

IN FONTEM VIRGINIS IN hortis Iulij III. Pont.

Hæc Virguncula, quam uides uiator
Est custodia murmurantis undæ,
Et fontis liquidi Dea & patrona:
Cum pulcherrima Naiadum fuisset,
Tibridris metuens dolos amantis,
Hæc ad florida rura amata amena
Confugit domini Orbis uniuersi,
Hoc sub Principe tuta conquiescit.

DE MINERVA. E' GRAECO.

Illa ego sum, quæ sunt, & erunt, quæq; ante fuerunt,
Qui retegat uelum, quis nam erit ille meum?
Sol est, quem peperi, fructus meus, ista Mineruæ
Aurea quæ in fanis uerba leguntur, erant.

E' GRAECO.

Qui modo sum calamus, syluestris planta fui iam
Et sterilis nullis fructibus apta parens.
Artifici nunc facta manu uocalis, amansq;
Sacraq; sum Phœbo, Pieridumq; choro.

Mars labra reclusit, factus potu ebrius atro
Ore licet muto sobria uerba loquor.

DE CHARITIBVS.

Hæc duo dona Deo similes nos reddere possunt,
Vera loqui, inq; homines multiplicare Charim.

IN IDEM.

Parua licet, fit magna Charis, si tempore detur,
Quum tardas Charites, iu iugulas Charites.

E GRAECO.

Vnius effugiens Phœbi splendentia fulcra,
Indignos cogor mille subire thoros.

AD MVSAS.

Musæ Helyconiades Permessi claudite riuum,
Dudum potarunt regia prata satis.
Otia dum regi lasso maiora parantur,
Humentes gremio contineantur opes.
Efficite interea Permessides, alueus ut sit
Purus, ut emundæ plus orientur aquæ.
Vos & acu artifici ripas ornate Napeæ,
Pingite odoratis sideribusq; solum.
Vt florum uariæ species, illimis & unda hæc,
Inuitent oculos, prouocet illa sitim.

E GRAECO.

Naiades hæc uobis sacrauit dona puellæ
Faustulus inuentis quas cupiebat aquis.
Ludite amabilibus plantis, pulsate domumq;
Hanc liquidam, ut nitidæ multiplicentur aquæ.

## IN FONTEM VIRGINIS IN hortis Iulij III. Pont.

Allicit unda nitens, grauat & sopor altus ocellos,
Mi mea & in nitidis dum uideo ora uadis.
Somnulus irrepsit: qui transis parce quietem
Rumpere siue bibens, seu tua membra lauans.

## DE CVPIDINE.

Blandus inauratis uolitans Deus aere pennis aera
Sensit odoratas dulcia regna domos.
Et quos aeriæ sibi congessere labores
Nutrices fluidos depopulatur Amor.
Mixta fauis apis una ultrix auida ora momordit,
Ad matrem lachrymans tunc uolat inde puer.
Et uolucrem incusat mordentem, & dulce canentem,
Quæ pedibus fert mel, uirus aculeolo.
Cui genitrix, & tu ueluti tantilla uolucris
Nectar habes labijs, tela cruenta manu.

## E' GRAECO.

Quem male sensit amans Plastes, bene finxit Amorem,
Nam corde exemplar sumpserat è proprio.
Pro mercede datus Phryne, non amplius arcu
Tarturit eiaculans philtra, sed intuitu.

## E' GRAECO.

Phœbe potens arcu longe, princepsq; sororum,
Vt Diana feras soror excitet, effice fortes
Membra hominum tantū attingant, tantumq; soluti
Ore sacro ut cunei exultent, nam sceptra benigno
A Ioue habens, ah ne inspiciam miserabile fatum.

E' GRAECO.

Non mea sunt spolia hæc inquam, suspendit ab alto
 Ingratam banc Marti quis ne tholo Chariten?
Non galeæ hæ fractæ, nec sunt hastilia fracta
 Fraxinea, absque nitent sanguine tum clypei.
Tota rubore rubet facies mihi fronte suprema
 Humectat sudor pectoreq; exiliens,
His ornato aulas, his exornata nitescant
 Atria, & his ornet sponsa suum thalamum.
Scuta cruenta decet, infractaq; robora templum
 Martis agentis equos, his capimur spolijs.

DE ANDROMEDA.

Andromeda infelix duris religata catenis
 Stabat, imago uelut saxea, sola, silens.
Membra cupidineis quæ formosissima nodis
 Euincenda essent, ferrea uincla ferunt.
Hæc lachrymarum amni summersa puella natabat,
 Vera uidebatur altera nam Niobe.
Clauserat ora timor mortis miseranda propinquæ,
 Tam pulchra à turpi dilaceranda fera.
Sed iustæ uicere preces, Danaeius heros
 Virgine pro innocua uictor in arma ruit.

E' GRAECO.

Pyrenea iuga, atque horrendæ ò uallibus alpes,
 Quæ Rheni fluctus inspicitis rapidos,
Testes flammarum stricto Germanicus ense
 Fulgurat in celtas intrepidus trepidos.
Quum caderent densi, Marti tunc dixit Enyo

Quantum de nobis hæ meruere manus.

E' GRAECO.

Naiades Hermocreon uobis hæc dona puellæ
Dedicat, inuentis, quas cupiebat aquis
Saluete, hancq; domum pedibus pulsate liquentem,
Vt sub amabilibus luceat unda frequens.

DE CYANE ET PLVTONE.

Clamabam Cyane Cyane dimitte tyrannum
Infernum, heu nescis quid feritatis habet.
Parcere qui nescit, poterit tibi parcere prædo
Armatam extollit, prospice Virgo, manum.
Concidit: illato de uulnere prosilit unda,
Quæ casum dominæ murmure luget adhuc.

E' GRAECO.

Pectoris ornatum cursu calcaria & apta
Spumosi frenum gutturis atque tenax.
E' salice & uirgam in foribus Neptune dicauit
Diue tibi palma Charmus ab Isthmiaca.
Quæq; p los uellit strigilem, stridensq; flagellum,
Quo terga, & clunes exagitantur equi.
Hæc Rex glaucicomi capitis cape, & ipse Lycini
Da natum ad magnum uincere olympiadé.

E' GRAECO.

Tela cruenta hamos, coniunctum & arundine remum
Pontiuagum, cœcas lina quoque insidias.
Suber & indicium retis, nec non graue plumbum,
Et geminas sportas uimine compositas.
Flāmiuomam & silicem, & ferrū, quod decutit ignem,

Errantisq; mari ferrea uincla ratis.
Optulit Hermeti Pison piscator adustus
Sole, labore, annis, iam tremulusq; manu.

E GRAECO.

Qui colis horrisonum æquoreis hoc fluctibus antrum
Muscosum, & mergis saxa sonora tuis.
Accipe Athlantiade hæc salsugine lina sagenæ
Trita super litus retia tum laqueos.
Et nassam, & suber signum iactusq; plagæq;,
Squallentis flauas relliquias domini.
Et ligulam iunctam e setis hamo q; rapaces,
Dona paludosis non sine arundinibus.

DE DIIS.

Dicite cœlestes ubi erant uestra arma? Typhœus
Quum uestrum infensus persequeretur iter.
Virga potens Hermes, tyrsi, & tua cornua Bacche,
Phœbe tuiq; arcus, & tua tela soror.
Fulmen ubi o Rector, si dicam parcite, olentes
Bestiæ, aues fœdæ his delituistis, erant.

QVOS DICERE POSSET SERMONES Agamemnon armato Achille.

Peliden irata iterum immortalibus armis
Pallas enim cinxit dirum paritura dolorem.
Nanq; manet Troes, morsq; Hectora, & atra parentẽ,
Arma uiro postq̃ Deus hæc concesserit isti.

DE THETIDE.

Qui sunt hi questus? Thetidis miserabile carmen,
Hiq; alij e contra? Nereidum gemitus.

Insolitum est lugere Deas, præstantia Achillis
Impulit alta Deas, atque dolere Deos.
O Pari inique Pari insontis fax ultima Troiæ,
Cogis in arma homines, in lacbrymasq́, Deos.

IN ILIO TEMPLVM PALLADIS.

E' GRAECO.

Quæ colis hanc urbem, faueas, nam templa dicaui
Ex auro, ut decuit, Troia Minerua tibi.
Me lacerandam omnem at liquisti, & pergama Diuum
Structa manu ob malum decutienda sinis.
Legibus hospicij infractis periisse bubulcus
Debuerat; crimen non fuit hoc patriæ.

E' GRAECO.

Mauorti, & Phœbo, atq; Ioui nate inclyte Regum
Mater, ut optauit, par similisq́; tua.
Regia cuncta tibi, ternæ, & perfecta sorores
Donarunt Vatum, Pegasidumq́, decus.
Sceptra Iouis, Phœbi species, Mauortis & hasta est
O Rex uni autem sunt tria iuncta tibi.

AD NILVM IN STATVAM CLEOPATRAE.

Nile superbe undis superas qui dulcibus amnes,
Aruaq́, restagnans fertiliora facis.
Ad dominam è pharijs dic cur uenis urbibus urbem,
Et uersas fluctus undique luctisonos.?
Reginam sequor extinctam, quæ huc uecta triumpho
Triste suum obprobrium saxea plorat adhuc.
Obrigui mœrore suo lapis ipse, gemoq́,

*Et quæ reris aquæ flumina sunt lachrymæ.*

E' GRAECO.

*Iuppiter arma tibi demam omnia, dixit Amori*
*Intona Amor dixit, denuo cycnus eris.*

ALITER.

*Omnia tela Tonans rapiam tibi dixit Amori,*
*Contra Amor, ipse tona, rursus abibis olor.*

E' GRAECO.

*In statuam Veneris Cnydiæ.*

*Quis nam inspirauit saxum? quis in orbe Dionem*
*Viderit, unde lepor tantus inest lapidi?*
*Praxitelis labor est manuum, fortasse relicto*
*Ipsa Gnidum petijt iam Cytherea polo.*

E' GRAECO.

*Pulchra Gnidum ponti per aquas Brycinna petiuit,*
*Quum cuperet statuam cernere uelle suam.*
*Et speculata loco ex alto illa undique dixit*
*Nudatam uid it Praxiteles ubi me?*
*Praxiteles non inspexit quæ non decet, at Mars*
*Quam cuperet, ferrum fecit Acidaliam.*

DE IVNONE.

*Tantæ insunt tantæ ne animis cœlestibus iræ?*
*Vt cogant patrias conscelerare manus.*
*Sanguine natorum porgebat blanda Clearchus*
*Brachia ob immani dilaceranda fera.*
*Patre fera immani, risit crudele theatrum*
*Iuno, quod sœuæ congemuere feræ.*
*Sanguine stillaba nt muri postesq; cerebro.*

Nec patris, atque Deæ est exsaturata sitis.
Immersum Milicertam æquor, seruatq; parentem
Patre ipso, atque Dea mitius æquor erat.

E' GRAECO.

Iunonem solus Polycletus uidit, & illam
Expressit, qualem uiderat, atque dedit
Spectandam quantum licet, ast non uisa latensq;
Seruatur summo forma beata Ioui.

E' GRAECO.

Iunonem effingens Plastes facunde, papillis
Cur lac non dederas? illa nouerca fuit.

E' GRAECO.

Ira Tonantis inest surreptum fœmina ob ignem,
Triste homini munus, ignis & antidotum.
Vrit & extenuat mortalia pectora curis
Præcipiti iuuenes spargit & illa niue.
Nec cum pace tenet Saturnius ipse sororem,
Quam sæpe eiecit Iuppiter è Superis.
Aere suspensam, tum nimbis uidit Homerus,
Iunoni iratum dum canit esse Iouem.
Sic nunquam unanimi unanimis coniuncta marito
Ac neque in aurato fœmina iuncta toro.

DE NARCISO.

Narcisum in claris Narcisus uiderat undis,
Dum putat esse alium, quem uidet, ardet amans.
Miratur, loquitur, blanditur, ut omnia cernit,
Irrita, in ingratas se iaculatur aquas.
Et propria ardentem deceptus imagine flammam

*Extinxit gelidis, quam sibi fecit aquis.*

E' GRAECO.

*Obtulit hæc Nymphis diuturnæ retia prædæ*
*Annorum fessus pondere iam cinyres.*
*Nanq; sinus lini potuit non amplius amplos*
*Inualidus tremula tendere utraque manu.*
*Si donum exiguum est Nymphæ, non culpa datoris.*
*Nil Cinyræ, hæc præter retia, maius erat.*

E' GRAECO.

*Perplexos calamos, remum, nauisq; flagellum,*
*Hamorum in curnam, uulnificamq; rotam.*
*Nodososq; orbes retis, plumbumq; natatu*
*Et suber prodens lina profunda dolos.*
*Et labyrintheam nassam, tum uincla tenaci*
*Dente ratis fluxæ, flammiferæ sobolis.*
*Atque creatricem silicem tibi dedicat Hermes*
*Piscator Bæton dona tremens senio.*

E' GRAECO.

*Thracia laudetur, quæ pignora matris ab aluo*
*Educta in lucem prosequitur lachrymis,*
*Contra autem credit fœlicia, quæq; ministra*
*Parcarum rapuit funere mors subito.*
*Nanq; hi uiuentes semper mala plurima tranant,*
*Ad mala, at antidotum, qui moriuntur habent.*

ALLVSIO.

*Barbara terra licet Thrace uitamq; necemq;,*
*Quam recte effingit, barbara terra licet.*
*Viuere quid nostrum est? scopulus nisi pulsus ab undis,*

Imbre, gelu, & iaculis, & scopus innumeris.
O genus infelix, cessum est cui uiuere ob unum
Vulnera mille pati, funera mille mori.

DE ARCTVRO.

Fluctibus Arcturi sub sydere pressus iniquo
Iam maris ante preces Idomeneus ait.
Ter fera & ob patrem, & morsum, caudamq; minacē,
Sœua ingrat syluis, sæuior ursa polo est.

E' GRAECO.

Rete coronatum plumbo, & penetrabile ponti,
Remum ponti & adhuc æbrietate grauem.
Atque tridentem hastam ualidam, cetisq; timendam,
Summa tenens suber linaq; tecta notans.
Ferratamq; manum nauis, nautisq; leuamen,
Et lapidem, de quo truditur ignis edax.
Ennosigææ tibi dona ultima Amynthacus offert,
Destititus insanis lassus, & altus aquis.

IN STATVAM COMMODI CAESARIS.

Herculis arma hæc sunt, hic Cæsar Commodus, iste
Pusio amor Domini, deliciaq; sui.
Alciden uoluit fingi se in marmore: possent,
Vt quàm desipiat, marmora muta loqui.

E' GRAECO.

Hæc piscatores, habitas qui littora ponunt
Attica ab ophelia, dona Priape tibi.
Tynnorum rumbum sinuosi suscipe lini.
Cyaneis tractum fluctibus è pelago.

*Arte laboratam sedemq; ex illice magnum*
*Et uitreum calicem, faginam & hanc pateram*
*Post choreas lætas fessa ut uestigia firmes*
*Esuriem pellens, aridulamq; sitim.*

E' GRAECO.

*Circa securos lapides, scopulumq; rigentem*
*Insulæ in æquoreis lina tetendit aquis.*
*Et carabum laqueis captum suspendit ab hasta*
*Hunc tibi piscator magne Priape paris.*
*Carnem autem flammis torrens absumpsit edaci*
*Ore tibi reliquum corpus, & ossa tulit.*
*Da non multa tamen, tantum piscatibus illi*
*Latratum, atque famem pelle uteri & rabiem.*

E' GRAECO

*Octipedem pagurum contorto crure bisulcum.*
*Excollem retropictum, freta salsa natantem,*
*Littus arenosum recolentem, tergore forti*
*Terga coloratum piscator Capasus offert,*
*Primitias prædæ æquoreæ pro munere Pani.*

DE HERCVLE ET FONTE SALMACIDE.

*Legerat hunc titulum Alcides in margine fontis,*
*Vir procul esto, meis ne uariere uadis.*
*Intrat aquas claua armatus, tum pelle leonis,*
*Vt nimium audaces experiatur aquas.*
*Rettulit inde colum, atq; stolã, et qui tartara & orbem*
*Vicerat, à molli uirgine uictus abit.*

E' GRAECO.

*Compreſſit primum Nemæes in agone leonem,*
*Cæde ſua excreſcens extincta eſt hydra ſecundo.*
*Palma Erymanthei numeratur tertia monſtri,*
*Aurea fert quarto uiuacis cornua cerui,*
*Stymphalidas uolucres mox depulit ordine quinto,*
*Thermodoontiaden ſpoliauit Amazona ſexto,*
*Septima in Augeis quæſita eſt gloria caulis,*
*Igniuomum octauo preſſit certamine taurum,*
*Thraces equos nono abduxit Diomede perempto,*
*Occiduis decimo uaccas eduxit Iberis,*
*Cum cane et undecima eſt ſub terris palma trifauci,*
*Maſili ſequitur cædes, & mala draconis.*
*Poſt tot ſudatos poſtrema hæc pugna labores,*
*Quinquaginta una ſecuit ſub nocte puellas.*

E' G R A E C O.

*Frange premens ualidis manibus fortiſſime, & audax*
*Serpentum Alcida colla ſuperba puer.*
*Paruus adhuc odium Iunonis comprime, & iram,*
*Monſtra etiam à cunis uincere ſcire tuis.*
*Non ex ære tibi crater pretiumq́; lebetes*
*Sed patria eſt, ſummi ſydera & alta Iouis.*

DE VENERE ET MARTE ET VVLCANO.

*Mulciber inſanis retigis dum furta maritæ,*
*Mœchari illa homines, cœlicolasq́; doces.*
*Pro Mauorte uno multos nanciſcier optas,*
*An credis natæ parcere poſſe Iouem?*
*Nam ſub rete iocos faciunt, & dulcia bella*

*Nec cessat uisi conseruisse manus.*
*Vndique odoratis nam flagrat Cypria membris*
*Ipse uerecundis pingit & ora pudor.*
*Aurea tota nitet, preciosa, & gemmea tota est,*
*Et uernat uiolis, purpureisq; rosis.*
*Quid faber insanis? quem uult capit, allicit, urit,*
*Secum habet alma Venus retia, uincla, dolos.*
*Quod si sola nequit, matrem iuuat ipse Cupido,*
*Arcum, tela, faces, commodat, & pharetram.*

E GRAECO.

*Terrarum atque Herebi hic domitor certamine multo*
*Clarus in Eois, notus et Hesperys.*
*Aebrius hac illac errans uestigia uertit,*
*Euinctus molli membra soluta mero.*

E GRAECO.

*Octo arcus, octo galeas, thoraces & octo,*
*Totq; cruentatos pono tibi gladios*
*Pallas, lucanis Euantheus omnia ab oris,*
*Victor agens multa sed nece uictor agens.*

E GRAECO.

*Stagnicolam anguillam, atq; lupum dat munera pauper*
*Artemi piscator Theris ab igne tibi.*
*Atq; merum lymphis fusum, frustumq; uetustæ*
*Infractum Cereris, suscipe sacra libens.*
*Proinde mihi tribuas piscatu retia plena,*
*Omnia traduntur lina beata tibi.*

DE PHOEBO ET DAPHNE.

Viderat ornatos lauro frondente Poetas,
Atque triumphantes in media urbe duces.
Per me Phœbus ait, duplici celebraris honore
Daphne inimica mihi dum fugis, atque tibi.
Facta triumphi ipsa es fugiens, & gloria uatum,
Quid si mansisses obsequiosa mihi?

E' GRAECO.

IN DAPHNEM INCISAM.

Quũ Mars coniunctus Daphne est, quonã iuit Apollo?

ALITER.

Phœbus ubi fuerat, quum Daphne est iuncta Gradiuo?

ALLVSIO IN DAPHNEM IGNI TRADITAM.

Quam non uentorum domuit uiolenta potestas,
Bruma procellosis nec metuenda minis.
Nec Iouis irati fulmen, nec flexit Apollo
Eloquio, forma, nec prece, nec cythara,
Turpiter eiectus cœlo, turpissimus alto,
Euicit claudus Mulciber atque senex.
Stridentem, fugientem etiam compressit & illam
In Vatum, atque Ducum dedecus, atque Deum.

E' GRAECO.

Ad tripodem Phœbi posuit quandoq; sonoram
Eumolpus cytharam frigidus ob senium.
Nec mage decurram, aut tangam resonantia fila
Harmoniæ, aut capiar arte prioris ait.
Sint curæ hæc iuuenum, subeat pro pectine eburno
Nodosus tremulam scipio utranq; manum.

E' GRAECO.

Suspendit locrus Musis ex aere cicadam
Eumolus, haud paruum munus agonis erat.
Dum decertarent cytharedi Parthus, & ille
Stridula fracta lyrae est illius una fides.
Quam chelys ante daret falsum male dissona cantum,
Et discordarent harmoniae numeri.
Insidit cytharae resonanti uoce cicada,
Et subijt filo deficiente uicem.
Quam prius in syluis cecinit resonabilis Echo,
Haec nostram ad legem uertit & harmoniam.
Qua formose, tua celebrabere Phoebe cicada,
Aeneus ut cantor sistitur ad cytharam.

DE PALLADE ET VENERE.

Num satis est Pallas clypeus tibi cassis & hasta
Ecquid te munis Gorgone monstrifera?
Cyprida conspexi armatam Lacedemone forsan
Vult iterum ipsa mihi bella mouere soror.
Et quia tela parum timet haec assueta Gradiuum
Vicisse, ut metuat, Gorgonis ora fero.

E' GRAECO.

Haec tres germani de montibus aere, & undis
Sacrarunt artis Pan tibi signa suae.
Ista marinorum Clitor, Pigresq; uolucrum
Illa, illa & Damis retia quadrupedum.
His uenare una aereis, terrestribus una,
Vna sed fer opem captibus aequoreis.

E' GRAE-

E' G R A E C O.

Instrumenta artis ponunt hæc capripes ò Pan
Sanguine coniuncti retia terna tibi.
Piscium, & alituum Clitor, Pigresq; ferarum
Errantum noctu Damis & insidias.
Vni unda, uni aer, tellus quoque seruiat uni,
Vt grauia auxilio sint sua lina tuo.

E' G R A E C O.

Non solum noui residens cantare sub umbra
Arboris excelsæ, quum coquit arua calor.
Musa uiatori non mercenaria lasso,
Fœminei roris pasta uapore leui.
Palladis ast etiam armatæ residere cicadam:
Me uir terribili cuspide conspicies.
Quam nos diligimur Musis, tam Pallada amamus,
Nam uirgo ex calamis ponere agona solet.

D' E A R G O.

Miratur gemmis rutilantem, & sydere, & auro
Iunonis uolucrem iam Philomela uidens.
Insomnem, at postquam & stridorem sensit acutum,
Despicit, huic Argus tam bene pictus ait.
Occubui somno & cantu: iam auertor utrumq;,
Hinc metuens uigilo, strideo & inde dolens.

E' G R A E C O.

Sortitus gratum uarijs cyllenion umbris.
Iucundi hic habito Rex ego gymnasij,
Mercurius puerisq; amaranthum, & sæpe hyacinthum
Serta feruntq; mihi florida de uiolis.

E' GRAECO.

*Alma Venus risu, & thalamo, & dulcedine gaudens,*
*Hæc tibi tam molli dura quis arma dedit?*
*Grati inerant Pean, & Hymen iam crine decori,*
*Et Charites ternæ, & tibia dulce sonans.*
*Instrumenta necis quorsum induis? an ne Gradiuum*
*Deuictum iactas, raptaq; tela geris?*

E' GRAECO.

IN BACCHVM MINERVAE ASTANTEM.

*Quid commune tibi cum Pallade? spicula & enses*
*Curæ huic, cordi uina, dapesq; tibi.*
*Ne temere de Diis scrutare hæc, attamen istud*
*Scito, quibus mecum conuenit illa modis.*
*Bellica nanq; mihi curæ stat gloria, nouit*
*India, deuictæ totq; orientis opes.*
*Vsq; mare Oceanum, genus & mortale iuuamus,*
*Illa olea, ipse autem uitibus, atque mero.*
*Meq; oriente parens non est affecta dolore,*
*Dissolui patrium nam femur, illa caput.*

DE SIRINGE ET PANE.

*Oscula, & amplexus Syrinx dum spernit amantis*
*Stulta & inepta Dei, rustica arundo fuit.*
*Pœnituit facti, sed frustra, & tarda, doloris*
*In signum uentis uirgo agitata gemit.*

E' GRAECO.

*Quidam Atlantiadem ex ligno dum supplicat instans*
*Ligneus & staret mutus Atlantiades.*

Sublatum impoſuit flammis, effluxit & auri
Copia de exuſto, tum crepitante Deo.
Sæpe parit nummos, & opes iniuria: nam quod
Non potuere preces, flamma nocens potuit.

E GRAECO.

Peruigil aerei cuſtos examinis aſto
Menalios ſaltus, & iuga deſerui.
Subtrahat expectans hic qui mea mella, cauete
Agreſtesq; manus, perniciemq; pedum.

E GRAECO.

Tres hæc germani poſuerunt retia fratres
Venatu agreſtis Pan tibi de uario.
Prima auium Pigres: Damisq; ſecunda ferarum,
Aequorei Clitor tertia dona gregis.
Pro quibus hi referant, nam primus ab aere prædam
Optatam, alter humo, tertius e pelago.

DE CVPIDINE.

Sæue quieſcis Amor, ſed non tua tela quieſcunt
Laſſa tua Anchiſen quæritat, ecce, parens.
Improbe Amor dormis, ſed non tua flamma perurens,
Ecce pater gelidis dum natat ardet aquis.
Si facis hæc ſomno in Diuos Veneremq; Iouemq;,
Quid facies uigilans imperioſe puer?

E GRAECO.

Attingam cramben Cylleni? parce uiator
Quæ nam olerum inuidia eſt? non olerum inuidia.
Lex aliena uetat furari, res noua, legem
Ipſe nouam in fures condit Atlantiades.

E GRAECO.

Dormis & uigiles curas mortalibus addis,
Dormis ô Paphiæ perniciose puer.
Lampada non retines, tela inuisibilis arcu
Improuisa ferox nec iacularis Amor.
Confident alij, ipse autem ne somnia amara
Immittas, metuo, te procul & fugiam.

DE PYRAMO ET THISBE.

Seminecem inueniens uirgo mestissima amantem,
Pectore sub gelido uulnus hiabat adhuc.
Pyrame ait Tysbe, quæ uis, quis casus adegit
Innocuas ferro tã scelerare manus?
Atque mori sine me, sine me qui ducere uitam
Non poteras animæ dimidio usque tuæ.
Ad uocem infelix oculos in morte natantes
Sustulit, ingemuit, clausit, & occubuit.
Hos miseratus Himen tristis post funera amantes
Cum nequeat thalamo, copulat in tumulo.

E GRAECO.

Pendentem ex humeris pharetram furabor, & arcum,
Extinguam ignitas, uulnificasq; faces.
Fons ô flammarum si dormis, quid tamen inde?
Auferimus si ui tela facesq; puer.
Sic ne me ferias timeo insidiose Cupido,
In somno & facias somnia amara mihi.

E GRAECO.

Longa offert Pani uenator retia Damis.
Et nubem Pigres alituum tenuem.

*Squamigeras uestes & Clitor nocte sub alta*
*Peruigilans, fratrum munera terna trium*
*Suscipe, daq; illis placidissime ferre ferarum,*
*Et uolucrum, & muti maxima lucra gregis.*

E' G R A E C O.

*Vuæ immaturæ roseæ uiridesq; racemos,*
*Et ficum ueteri cortice sub lacero.*
*Et qui Persephone fructus placuere sub orco,*
*Et baccas nigro cortice palladias.*
*Ista Priape tibi Lamo offert consitor horti,*
*Vt uiror excrescat, fructus, & arboribus.*

DE IO ET INACHO FLVMINE.

*Per syluas, per agros, dumq; auia nata pererrat,*
*Inachus Inachidas luctibus auget aquas.*
*Facta Dea hæc patri ob luctum penè ora soluto*
*Siste, inquit, lachrymas, nata reperta tua est.*
*Perdita & inuenta genitor te o filia dixit,*
*Ora usu ob fletum hæc humida semper erunt.*

E' G R A E C O.

*Purpuream uestem, & mitram, peplumq; laconum*
*Auratos calamos, omnia iuncta simul.*
*Arsione, quam pinxit Amor, Charitesq; puellam,*
*Vndique stillantem nectare, & ambrosia.*
*Nebridaq; ex auro, & posuit uas ipsa Priapo,*
*Guttatim uersis unde lauamur aquis.*

E' G R A E C O.

*Fimbriæ ad extremum dextræ, palmumq; peregit*

Elition integrum quatuor & digitos.
Et reliquum Antiniana parauit & intertextum
Meandrum, necnon partenicas Bicie.
Hoc opus o Diana Iouis pulcherrima uirgo,
Diuini ad litem est arte operosam animi.

E GRAECO.

Numosi fuerant cui iam tot gloria amantes,
Quæ non est Nemesim deuenerata deam.
Nunc trahit in spathijs uico tam paupere pensa,
Vicit Acidaliam sero Minerua Deam.

DE SYRINGE ET PANE.

Pelle meo exicio de corde puella rigorem,
Si non uis fieri uana, & arundo leuis.
Pana Deum spreui, sed nunc nisi pendeam ab ore
Pastorum, mœsta, & mortua uita mea est.
Oscula me, & morsus, me morsus, & oscula pascunt,
Quid si gustassem cætera? inepta fui.

E GRAECO.

Ad Venerem irrumpis qua tu huc ratione cicuta?
A pastorali curua ades hic labio.
Non cautes, non hic ualles, sunt omnia amores,
Atq; libido, ornos rustica musa habitat.

ALITER.

Quid tibi cum Paphia pastorum attrita labellis
Canna? nec hic ualles, nec iuga summa sonant.
Rustica quæ sequeris musa, hic sunt omnia plena,
Et desiderijs, atque cupidinibus.

AEMVLATIO.

*Deseris incultas rupes, uallesq; repostas,*
*Et Venerem huc Syrinx irreuerenter adis.*
*Non miserum carmen rudis hic disperdit Amyntas,*
*Vellere nec tacitæ diripiuntur oues.*
*Sed cytharæ, & risus resonant, atque oscula Adonim,*
*I modo amatorem rustica sperne tuum.*

E' GRAECO.

*Eraclia, Ephron, satyre, tria pignora Xuthi*
*Pauperis, & milites pauperis, & Samiæ.*
*Vna laborati radium pro munere pepli,*
*Altera gaudentem uellere dat calathum.*
*Tertia aragnei obsequium reuolubile fusum*
*Staminis, & longam laniferamq; colum.*
*Pensa diu traxere, tibi cape dona Minerua*
*Ternæ operatrices quæ posuere tuæ.*

E' GRAECO.

*Quæ potuit collecta modo de frondibus ipsis.*
*Rugosam ficum, roscidulamq; pirum.*
*Distinctum gemmis & malum dulcibus offert,*
*Purpureamq; uuam, cæruleamq; nucem.*
*Arborei fructus custos tibi dona Priape*
*Ruris amatori, perpetuoq; patri.*

E' GRAECO:

*Ille ab humo, alter aquis, alius dat ab aere partem*
*Eupoli uenatus, dona genethliaca.*
*Ast ego Musarum flores, mea carmina semper*
*Stantia, & ingenij signum & amicitiæ.*

DE PHOEBO ET VENERE.

Dum Venus in Cypro, & Phœbus per prata uagãtes
Florida, habere solum sydera picta uident.
Quumq; Hyacinthus ibi, atq; rubens occurrat Adonis,
Pulcher uterque suo funere, Phœbus ait.
Dic soror? hæc nostris num exultat amoribus istis,
An luctu, & nostro terra dolore gemit?
Hic meus, iste tuus dolor, & gratissimus ignis,
Ille Hyacinthus erat, alter Adonis erat.

DE VENERE CNYDIA.
È GRAECO.

Te neque Praxiteles, neque ferrum duxit, at illa es
Quæ stabas Paridis nuda sub arbitrio.

È GRAECO DE EADEM.

Formosam posui effigiem tibi Cypria, quum sit
Nil mage formosum, quàm tua forma Venus.

DE EADEM È GRAECO.

Pallas ut inspexit Gnidiam & Saturnia, dicunt
Iniuste arguimus, immeritoq; Parim.

IN EANDEM E GRAECO.

Me nudam Paris, Anchises, me & uidit Adonis,
Hos ego tres noui, Praxiteles at ubi?

IN STATVAM
VENERIS ET CVPIDINIS.

Hæc Venus, hic Veneris puer est audaculus orbem,
Sydera qui turbat, pontum, Acheronta, Deos.
Sint licet imbelles, neutri confide. Creatrix
Risu, oculisq; capit, suauiolisq; puer.

E GRAECO.

*Ex utero nuper Paphia est egressa profundi,*
*Et Lucina manus dextera Apellis erat.*
*At cito linque salum, ne rore infusa marino*
*Inficias spumis inuidiosa comas.*
*Si talis fuit ob malum nudata cythere,*
*Aequata immerito Pallade Troia solo est.*

DE DAPHNE ET APOLLINE.

*Innuba sum laurus cytharis, & amica pharetræ,*
*Somnia uaticinans imperialis honor.*
*Vsque uirens, ac usque ualens depellere fulmen,*
*Meq; triumphali cinxit honore Deus.*
*Quem spreui, & fugi, quid si non dura fuissem*
*Pulchra, sed insipiens uirgo, & inepta fui.*

*In lectum meretricis ex lauro.*

E GRAECO.

*Plurima nanciscor, unum dum uito cubile.*

ALITER.

*Vnum exosa torum, plures sum denique passa.*

E GRAECO

*Cæsaris ex ara peperit modo germina quinque*
*Nigra olim Daphne, quæ renuit Clarium.*
*E duo diuum meliorem repperit, osa*
*Iam Phœbum, Aeneadem diligit ipsa Iouem.*
*Radicem non mater humus, sed saxa tulerunt*
*CAESARI enim fundunt saxa puerperium.*

E GRAECO.

*Debilis ob senium Daphnis iam inflator auena*

E gelidas tardet, quod grauet atque manus.
Syluestrem Pani grato clauam obtulit alta
Pace quidem cupiens absque labore frui.
Cantat adhuc Syringa, & adhuc in corpore toto
Voxq́; sonusq́; manent intrepidi intrepido.
Verum nemo lupis in montibus indicet altis,
Esse mihi inualidas debilitate manus.

DE THEMIDE ET PHAETHONTE.

De Phaethonte Themis consulta hæc rettulit, orbem
Vret, ei & mortem terna elementa dabunt.
Solis equos moderans mundum ussit, fulmine tactus
Corruit, emoriens aere, & igne, & aquis.

E' GRAECO.

Agresti hæc Pani, & Nymphis, Bacchoq́; furenti
Dona Biton uetulus sacrat ab Arcadia.
Pani hædum exortum nuper cum matre iocantem,
Deq́; sequaci hedera fragmina dat Bromio.
Autumni Nymphis fragrantia serta, & opaci,
Iuncta & odoratis, purpureisq́; rosis.
Pro quibus ô Diui, Nymphæ, Pan, Bacche, penates
Multiplicate senis flumine, lacte, mero.

E' GRAECO.

Nominis eximij & laudis Cytherea capescas
Quamprimum hæc Cliti munera parua senis.
Dona racemiferas multæ, & dulcedinis uuas,
Rorantem ficum cumq́; suis folijs.
Et uiduam folijs, sed cum sale suscipe oliuam.

Cumq́ polentarum paupere fasce leui
Et guttam sacri occultam fumantibus aris,
Sacratos semper quæ comitata uiros.
Sedasti ut morbum, pinguem dabo Cypria & hædum;
Ipsa grauem expelles si mihi pauperiem.

IN STATVAM VENERIS ET CVPIDINIS.

Hæc Deæ Acidaliæ est, hæc parua Cupidinis Icon,
Copula uterque hominum, cœlicolumq́; Deus.
Illa parens, pater hic, paruus licet, attamen ingens
Vi, Venus oblectat, quos sociauit Amor.

E GRAECO.

Non uertenda magis Stratonicus uomere arator,
Pan tibi in his campis consecrat hæc nemora.
Lætus pasce greges, tua iugera respice, & inquit,
Hæc mage falcata non resecanda manu.
Hic stabulum inuenies aptum, decantat & Echo
Stridula, perficies hisq́ hymenea iugis.

E GRAECO.

Musti auidis satyris, noua torcularia ob isthæc
Terna repertori palmitis atque meri
Dedicat Heronax gratus tres hosce meraco
Turbido adhuc plenos munera prima calos.
Multo plus satyris potabimus, ut decet, inde
Libatis dum uos & Bromio, & satyris.

E GRAECO.

Pulchra uelut murex Gnydiæ tyrsum, atq; corollas,
Atque perisspherion quo nituere pedes.

*Iam quibus aduenlens tu bacchabare lyeum*
*Vincta comas hedera, nebride cincta latus.*
*Ante cubile tuum Dionysi sustulit ista,*
*Formœ, & stultitiæ tot decora alta suæ.*

DE VENERE ET ADONIDE.

*Aurea formoso Cytherea parabat Amori,*
*Serta legens flores collibus Idalijs.*
*Non nisi lugubres, tinctosq́ cruore papauer,*
*Narcissusq́ madens, atque hyacinthus, erant*
*Rosciduli plagæ nondumq́; oblita recentis*
*Applicuit labris humida serta, & ait.*
*O dulces pueri, tuq́; ò pulcherrime Adoni*
*Suaue, & adhuc spiras, dulce & adhuc redoles.*

E GRAECO.

*Vidit in Ideis Venerem prius ipse bubulcus*
*Montibus, & malum iudicat esse suum.*
*Praxiteles Gnidijs speciem fabrefecit eandem*
*Testem artis uiuæ calculum habens Pariden.*

E GRAECO.

*Sis licet extensis uelox pernicibus alis*
*Et iacula, atque faces eiaculeris Amor.*
*Sub terras fugiam te, quid tum? Pluto nec ipse,*
*Quamuis cuncta domet, te potuit fugere.*

IN STATVAM VENERIS.

*Corpore talis erat, uultu, specieq́; Cythere,*
*Quum primum è salsis egrederetur aquis.*
*Vel qualis cum Marte suo est deprehensa marito,*
*Nuda pudens ideo, statq́;, siletq́; Venus.*

E' GRAECO.

*Sit licet ipse inter conuiuia, somnia, mortes,*
*Certum est quod morsu non cariturus Amor.*

E' GRAECO.

*Qui cupis insufflans prunas animare lucernam,*
*Huc ades, ex me anima, totus ab igne cremor.*

E' GRAECO.

*In Gnido ait cernens Venerem Venus aurea, ubi nam*
*Me nudam inspexit corpore Praxiteles?*

E' GRAECO.

*Aequoreæ Veneris diuinam conspice formam;*
*Et dices rectum iudicem inesse Parim.*
*Cecropiam contra miratus Pallada rursum*
*O Pari clamabis rite bubulcus eras.*

DE PHAETONTHE.

*Maxima parue puer tentasti flumina, & ignes*
*Vrere, & exuri te omnipotente manu.*
*Viues, donec erunt gemmæ, syluæ, atque uolucres,*
*Gemmæ ob te, & syluæ multiplicant & aquæ.*

E'. GRAECO.

*Fac ne te extollat fluctu Rhannusia diues*
*Nec libertatem cura tuam ue premat.*
*Omnis uita hominum instabili contunditur aura,*
*Sæpe huc atque illuc concita distrahitur.*
*Quid stabile, haud uariũ est, uirtus, sola hac duce uitæ*
*Ipse procellosas curre fidenter aquas.*

E' GRAECO.

*Rete ubi coniunxit cum fuscina Amynthacus, inquit*

*Piscator longa lassus ab arte senex.*
*Nouisti Neptune meos, pater usque labores*
*Narranti lachrymis immaduere genæ.*
*Nunc me paupertas pondus miserabile, & ingens,*
*Atque senecta premunt corpus inane meum.*
*Pasce & adhuc, qui uiuit adhuc, inopemq; senemq;,*
*Nam terram, & salsas tu moderaris aquas.*

IN STATVAM VENERIS.

*Ni Paris artifici aut aliquis monstrasset amator*
*Cyprida, non esses uiua, nec illa Venus.*
*Ne tamen in toto ipsa fores Diuæ æmula, ademit,*
*Quum uequeat speciem Cypria uerba tibi.*

E GRAECO.

*Vlticomo satyrum Bromio uir Vinitor offert*
*Alta Demagoras ebrietate grauem.*
*Nam caput, & pellem, fruges, crinem, atque racemos,*
*Aebria cuncta illi, tum resoluta uides.*
*Naturam nanq; ars imitata in imagine muta est,*
*Dicere nec contra materia ulla potest.*

E GRAECO.

*Stridentem atque cauum Biton tibi sacro Mineruæ*
*Aptum inopi radium casta ministerio.*
*Diua uale & dixit, capias uiduata marito*
*Quatuor annorum transadigo decadas.*
*Abnego te, & Venerem amplector, stimulata libido*
*Nanq; est maturis fortior ipsa comis.*

DE CVPIDINE.

*Lassulus ob pugnam in Superos, hominesq; cubabat*

*Ad fontis murmur dulce fluentis Amor.*
*Quem fugientis aquæ Nympha ut prospexit inermem,*
*Surripit ignitas perniciosa faces.*
*Christallisq; illas liquidis immersit, ut ignem*
*Enecet, unde ardent sydera, & omne solum.*
*Tunc calor infecit latices, qui noscis Amorem,*
*Hos fuge, nam sub aquis uiuida flamma latet.*

E' GRAECO.

*Cerne ut onusti humeris parui lætantur Amores,*
*Grandia quam leuiter cœlicolum arma ferunt.*
*Tela trisulca Iouis, tyrsumq; & tympana Bacchi*
*Gradiui Martis tum galeam & clypeum.*
*Et pharetram Phœbi, & Neptuni insigne tridentem,*
*Herculeæ, & clauam quam tenuere manus.*
*Quid superest nobis Amor, & cœlum exuit, arma*
*Quando Deum, & Venus est depopulata parens.*

E' GRAECO.

*Florenti in prato recreari membra uiator*
*Hic sine protectus lassa labore graui.*
*Nanque hic argutis resonant arbusta cicadis.*
*A Zephiro & pinus exagitata iuuat.*
*Quum sol se attollit salientem fontis ad undam*
*Sub platano densa pastor & ipse canit.*
*Ardentis fugiens æstum canis, hic bene Pan te*
*Consulit, incœptum cras reparabis iter.*

IN STATVAM APOLLINIS PALATINI.

*Sæuit adhuc quamuis sit strata Choronis Apollo,*

*Et miseræ occumbant pignora Tantalidos.*

*Quam bene consultum est, iacula, et* ꝙ *fregerit arcum*

*Si furit imbellis, quid foret arma gerens?*

E GRAECO.

*Forte audire Deum licuisset Pana canentem,*

*Viua, & uocalis iam sua imago manet.*

*Ast Echo instabilem, & fugientem ut uidit auena*

*Mentis inops, uanum denegat ipsa sonum.*

E GRAECO.

*In Pana stantē ad aquæductū sine strepitu.*

*Quam male amo infelix, & de unda me effugit Echo.*

E GRAECO.

*Arcada Melciades statuit me Pana bicornem,*

*Mitem cecropidis, Arsacidisq; grauem.*

DE VENERE ET MARTE.

*Cum mea cæcus Amor flammata in corda uolasset,*

*Exustus pennas perdidit igne suas.*

*Quem Venus implumem ut uidit, ne fabula cœlo*

*Ille foret, saltu cælat in Idalio.*

*Ipsa autem pharetram, atque faces desumpsit, et arcū,*

*Et ueluti uisa est mater Amoris Amor.*

*Mars ubi conspexit, pone hæc ait arma meum mel,*

*Vulnera nanq; tuum est non facere, immo pati.*

E GRAECO.

*Pamphilion crines formosos dedicat Isi*

*Prœboue, & aurato munere Diua tibi.*

*His mage nam gaudes, auro q̃ Phœbus Apollo*

*Quod dederat Crœsus dona superba Deo.*

E GRAE-

E GRAECO.

*Aequeuæ æquales tibi Lyda puella puellæ*
*Tres hæc sacrarunt Palladi dona sacræ.*
*Subtili intextu calathiscum è uimine Demo,*
*Tortilis, & fusum staminis artificem.*
*Arsione argutum radium, tum Bacchilis inter*
*Lanificos, cuius fila diremit ope.*
*Harum uita procul fuit omni à lite uiator,*
*Quæq; suis uictum cœperat è manibus.*

IN STATVAM APOLLINIS PALATINI.

*Corpore quàm Pulcher Titan, tam percitus ira est,*
*Intendunt, spirant brachia, & ora minas.*
*Quem nisi Pontificum exarmasset cura, timeret*
*Nunc Niobe iratum facta lapis lapidem.*

E GRAECO.

*Ista genethliacis epigrammata sacrat in horis*
*Niliaca ò Cæsar Musa Leonidao.*
*Calliopes semper sacrum fumo absque placebunt*
*Si tibi, multo istis carmina plura dabit.*

E GRAECO.

*Lybs tibi Lysimachi Nices ò Delia curuum*
*Diua arcum, Lyciam consecrat & pharetram.*
*Vnde fatigabat celeres dum promeret arcus,*
*Dorcadas interimens, atque elephanta premens.*

E GRAECO.

*Exigui Alcimenes cultor tenuissimus horti,*
*Gratus ob ætatis ditia dona fero.*

*Hæc pani pomum, ficum, lymphamq́, bonorum*
*Quod uitæ es custos, fautor & ipse mihi.*
*Ex horto partem, uestro & de uertice partem*
*Accipe, & aduerte, fœneror ista tibi.*

DE CVPIDINE.

*Vsque thoanteam sequitur dum te aliger aram*
*Virgo Diana arcu perniciosus Amor.*
*Obriguit, nam nudus erat, dum se arguit, iram*
*Atque suam, medijs excubat in niuibus.*
*Plorabat, tepidis lachrymisq́ cadentibus illa est*
*Nix resoluta, artus incaluere Dei.*
*Tunc alacer, uires postquam redtere, pruinas*
*Deseruit Scythicas, alta Cythera petens.*
*Cui Venus occurrens, fili ingeniose, potensq́*
*Et dolor, & luctus, repperit, unde iuuent.*

E GRAECO.

*Aeris, undæ, & humi, sacrarunt retia Pani,*
*Pigres, & Clitor, Damis & ipse simul.*
*Da placidus tribus his oblatum ob munus, ut omnes*
*Lucra pij referant, aeris, undæ, & humi.*

E GRAECO.

*Vinosus Zenophon, placide accipe Bacche lagenam,*
*Dat uacuam, reliquum nil habuit Zenophon.*

ALITER.

*Dolium habe Zenophon uinosus detulit, Euan*
*Suscipe inane Deus, nil habet ulterius.*

ALITER.

*Dolium habe placidus Bromie obtulit istud inane.*

Potator Zenophon, nil habet ille magis.

ALITER.

Id quod habet Zenophon uinosus detulit, Euan
Doliolum uacuum suscipe sed placide.

IN STATVAM LAOCOONTIS
in hortis Vaticanis.

Laocoonta uides triplici mœrore gementem,
Implicitum & geminis anguibus, & pueros.
Plus tamen in natis languet, peccauerat ipse.
Pro patre & innocui fata ferunt pueri.

E GRAECO.

Rex maris & terræ cymbam tibi defero Crantus,
Hanc nolo intectam plus habitare domum.
A latam hanc uenti impellunt, qua uectus ad undas
Tartareas timui sæpius ire miser.
Tellure infixi uestigia fida, procellæ
Ite mare, & uenti, spesq́, timorq́; uale.

DE CVPIDINE.

Igne, arcu, & gladio armatum miratus Amorem
Insignemq́, habitu, quo solet esse puer.
Postulat Alconem hunc Corydon, sic differit Alcon,
Hic Deus ante Deos, natus & ante Deas.
Sit licet & tener, & sit tantulus omnia uincit
Decoquit igne nurus, sternit & ille uiros.
Atque feras arcu assequitur, uolucresq́; uolatu,
Ocyus ut subeat nans mare, ueste caret.
Quod uagus hinc puer est, cœloq́;, hereboq́; tremendus
Qui si oculis careat, dextra oculata sua est.

E' GRAECO.

*Forte istud dices Gnidiam si uideris hospes*
*Esto hominum, & Diuum tu domina una Venus.*
*Horribilem hastili inspiciens at Pallada Athenis,*
*Pastor rite Paris, uociferabis, erat.*

E' GRAECO.

*Quam demiraris censuræ oblita bubulci*
*Effinxit Venerem belligera ipsa soror.*

E' GRAECO.

*Aeneum Amorem ecquis de flamma adduxit ad ignem,*
*Sartago pœna, pœnam habet ipse suam.*

E' GRAECO.

*Edidicit Cypris semper portare pharetram,*
*Arcumq́;, & doliches eiaculantis opus,*
*Nil mirum leges rigidas uenerata Lycurgi,*
*Philtra quidem forti fert Lacedemoniæ.*
*Spartanæ ò matres, quæ cernitis arma Diones,*
*In thalamo partus edite magnanimos.*

DE AVRORA ET CEPHALO.

*Diua reuertenti cœlo quæ assurgis, & ornas*
*Sydereos uultus, purpureasq́; manus.*
*Rore leui & mundas crines, distinguis & auro,*
*In speculo solis quæ renouata nites.*
*Si amplexus roseos, si basia & aurea liqui,*
*Angebar patris suspicione tui.*
*Illius amplexu nam plusq̃ filia gaudes*
*Visa uerecundas tingis & usque genas.*

*Nuda illi occurris, ſub amictu & luditis uno,*
*Tuq; abeunte illo languida nulla manes.*

E' GRAECO.

*Emergentem undis nutricibus æquoris ipſam,*
*Et nudam pictor uidit Acidaliam.*
*Humentem ſpuma, & talem depinxit Apelles,*
*Quæ manibus ſalſas ſedula tergit aquas.*

E GRAECO.

*Mœnia Rex cœli produc tum limina Diuum*
*Aenea, quæ fecit peruia Rex Macedum.*
*Nanq; mare, & tellus ſceptris ſubiecta Philippi eſt,*
*Quid ſupereſt aliud, quàm uia ad aſtra poli.*

ALITER.

*Claude Deum æratas ualuas, & mœnia muni.*
*Iuppiter, hæc fecit peruia Rex Macedum.*
*Terra quidem, & pontus premitur dicione Philippi,*
*Ad cœli tantum limina reſtat iter.*

IN STATVAM LAOCOONTIS *in hortis Vaticanis.*

*Vt patrem & natos arctant amplexibus angues,*
*Dentibus, & lacerant Laooconta uides.*
*At natura dolens caſum hunc effecit, ut hydri*
*Et tardent mortes, marmora & illachryment.*

E GRAECO.

*Rupe ſub umbroſa hac Hoſpes da membra quieti,*
*Aura hic emotis ludit ab arboribus.*
*Et bibe fontis aquam, nanq; hæc ſub ſole calenti*
*Vndam, auram, requiem grata uiator habet.*

E GRAECO.

Dulcibus hic labijs Pan incola montis auenam
Inflat, & oblectat se calamo imparili,
Iucundum spargitq; melos recinente cicuta,
Exultant montes carminis harmonia.
Harmoniæ ad numerumq; pedes sola denique circum
Nympharum pulsant æbrij aquatilium.

DE SIRINGE ET PANE.

Spreuit amatorem Syrinx, quod rusticus esset,
Et nunc est tantæ rusticitatis amans:
Quod nisi paganis dependeat oribus udis
Fistula enim est uilis, muta, uel exanimis.

E GRAECO.

Ne tibi fex ouium putris sitibunde uiator
Torrentis calidæ ne ue bibantur aquæ.
Collem ultra gradiare parum prope pascua, pinus
Hic ubi pastores contegit, atque gregem.
Manantem è saxis stridentem & murmure blando,
E gelidam inuenies, qua recreeris, aquam.

E GRAECO.

Omnia subicio sulcos prope fertilis horti
Excipio nullum, nec Iouis ipse patrem.
Conueniebat olus ob paruum ne hoc dicere uerbum
Dicere, non solum conuenit, & facere.

E GRAECO.

Incuruas messis falces, durumq; ligonem,
Sacculum, & hunc Cereris lene ferentis onus.
Quiq; terunt paleas tribulos temone, & aratro.

Insuper adiunctis uomere cumq; graui.

Et teretes stimulos, e neruis uincla boumq;,

Roboreas stiuas, agricolæq; manus.

Membra fatigatus Lysixenus anxia arando

Dona coronatæ dedicat hæc Cereri.

D E C V P I D I N E.

Stabat inermis Amor somno superatus in umbra,

Quum uacuam serpens ingreditur pharetram.

Accedens pharetram, lentum dum tractat & arcum

Dyctinna, in dextram uipera prosilijt.

Dire puer dixit Virgo, tua tela uenenum

Semper habent præsens perniciosa suum.

E G R A E C O.

Quid rides imbellis Amor placidissime ludens?

Nec tibi sunt arcus, ignea tela minus.

Nec frustra piscem ipse manu, floremq; retractas,

Quod mare, quodq; tibi est sub ditione solum.

I N E G R A E C O.

Tres habet hoc saxum Diuos, ceruice bicorni

Pan, uentre Alcides, pectoreq; exprimitur.

At reliquas partes uariati corporis Hermes

Possidet alatus, crura, pedes, femora.

Ne pigeat conferre hospes sacra æthea honoris,

Nam tres participes unius, ecce, sumus.

A D. E D I A N A.

Syluarum custos Latonæ nata uirago

Zelotypa, & nimium uirginitatis amans.

Cur pateris Zeusi nudam te ostendere cœlo.

Nudam etiam nostris prostituisse oculis.
Heu sic ulta oculos, qui te uidere lauantem
Dimidiam, nam fons cætera texit aquis.
Aut formosa magis, rigida aut minus es modo, nudam
Cernere nam leuius, quàm spoliare Deam.

E GRAECO.

Venandi arte canem ualidum iam nare sagaci
Exculpsit Leucon, obtulit Alcimenes.
Alcimenes nihil inueniens, quod damnet in illo,
Lora tenens similem uiderat effigiem.
Approperat dicens Leucona, iubere, canemq;
Currere, ut adlatrans fecerat ille fidem.

E GRAECO.

Attritum frustra rete hoc dicat Eliodorus,
Ante fores templi Diua tibi Syriæ.
Piscatu purum & præda, pro piscibus algam
Vilem ab arenosis namq; trahebat aquis.

IN STATVAM NILI IN
hortis Vaticanis.

Nilus hic, hi pueri quot sunt, tot surgit in ulnas,
Sub uariisq; feras cernis imaginibus.
Si non exundat, Dominæ est mors causa propinquæ,
Sic flet, ut unda omnis fluxerit in lachrymas.

E GRAECO.

Hoc plumbũ, hunc canonem graphiis uelut Automedōtē
Indeclinatam quæ peperere uiam.
Parte omni & lapidem terebratum, & acuta labella
Reddentem calamis pocula & atra suis.

*Atque leues calamos uocis mysteria nostr,*
*Cultellumq; breuem munera* Mercurio
*Parua Philodemus, senio ut ueniente recessit*
*Lux oculis dextra & libera facta manus.*

E GRAECO.

*Capripedi Valeson Diuo, qui pene capellas*
*Exagitat, prædæ dedicat exuuias.*
*Et platani incuruam clauam è regione comantis*
*Qua capita infregit sanguinolenta lupis.*
*Pinguia tum niuei appendens multralia lactis,*
*Et collare canum consecrat, & laqueos.*

DE VESTA.

*Vesta relucenti & uario pulcherrima amictu,*
*Gemmarum atque auri ditia regna tenens.*
*Ardentes tibi continue sacrauimus aras,*
*Proq; ministerio pignora casta damus.*
*Siue solum stabile es, siue es tu flamma perennis,*
*Irradia, & nostrum fac tueare solum.*

E GRAECO.

*Iam Philomela trabi nidum suspendit, & intrat*
*Vela timenda minus mollia iam Zephyrus.*
*Iamq; super folijs inspergunt prata corollas*
*Floriferas, tacite transitus asper abit.*
*Vincla ligate, ratemq; onerate, & mittite lignis*
*Velum omne, & ferrum tollite dente minax.*
*Pontum etenim uobis sulcantibus ipse Priapus,*
*Qui præsum præsens portubus, hoc iubeo.*

E GRAECO.

*Ponti humilem ad terram stamus sparsi æquore multo,*
*Templum admirantes æquoreæ Veneris.*
*Arboribus cinctum & fontem, nanq; illius undam*
*Flauentes siccant oribus Alciones.*

E GRAECO.

*Fons fueram purus, Nymphæ me ex omnibus unum*
*Fontibus ornarunt nomine, tum'q; titulo.*
*Quum'q; uiros in me pronos mactasset in ipsis*
*Latro, manus tinctas sanguine lauit aquis.*
*Tunc illum auertens, clausi tibi stagna uiator.*
*Dulcia, quis puras inde bibisset aquas?*

DE VVLCANO.

*Qui flammam excussit latitantem primus, & alas,*
*Terrificos ignes fulminibus'q; dedit.*
*Arte sua, atque suo celebrauit nomine lemnum*
*Huc recidens præceps sedibus è superis.*
*Despectum cœlo, & diuis dignatus honore est*
*Nec pater hunc mensæ, filia nec thalamo.*

E GRAECO.

*Ex uiolento igni forceps, & malleus ipse,*
*Dona Polycratis stant tibi claude Deus.*
*Quo feriens incude super iam repperit, unde*
*Viueret, atque domus pelleret esuriem.*

E GRAECO.

*Dum piscatorem tendentem retia diues*
*Cernit amore graui capta puella fuit.*
*Connubio & iungit stabili: de paupere diues,*

Nobilis & factus sponsus hic intumuit.
Constitit at ridens blandæ fortuna Dione.
Hæc mea pugna Venus, non tua dixit, inest.

IN STATVAM CLEOPATRAE
in hortis Vaticanis.

Pulchra, & adhuc mulier lethæam hæc dormit ad undã,
Et non ad murmur subsilientis aquæ.
Et tam uiuaci recubat sub imagine, quod qui
Se lauat, aut bibat hic, aut meat, ore fauet.
Siue breui aut longo Regina sopore tenetur
Nequitiosa cubat, deliciosa perit.

E GRAECO.

In reliquum mutata & tu illudare parumper
Sors, fortiq; tuæ parcere quæ nequeas.
Facta anus exerces cauponam, & balnea nostra
Splendida habens primum templa dicata tibi.
Nunc sancte illachymare tuum leuis ipsa dolorem
Quæ sortem mutas nunc hominum, atque tuam.

E GRAECO.

Tyrsigeri plures, rari inueniuntur Iacchi.

DE IO ET IOVE.

Inachis ut proprias uidet obrutescere plantas,
Hoc precium raptæ uirginitatis, ait.
Bos ero, quæ fueram gentis pulcherrima nostræ,
Iuppiter hoc prohibe, si tibi grata fui.
Hæc Deus assistens, quis fata adamantina uertet?
Fer patienter, eris de boue Diua breui.
Talem Pasiphae questa est non esse iuuencam,

*Bos es, Bos & ego per mare amore fui.*

E GRAECO.

*Vacca Myronis ego solidæ sum nixa columnæ,*
*Me feri, & ad reliquas pelle bubulce boues.*

IN IDEM.

*Qui ratione Myron uitulam me sistis ad aras,*
*Ducere non ne uelis ad stabula alta bouum.*

IN EVNDEM.

*Pasce bubulce boues procul hinc, ne ut uiua Myronis*
*Ducatur reliquo cum grege uacca simul.*

IN IDEM.

*Aenea uel cutis est uaccæ huius tota uel intus*
*Aes uiuentem ipsam mugit habens animam.*

IN EANDEM.

*Forte Myron dicet, non fudi ex ære iuuencam hanc,*
*Istius potius sed genui effigiem.*

IN IDEM.

*Mentitur, si se dicit finxisse Myron me,*
*Ex grege tracta, basi sumq; ligata silex.*

DE IOVE ET CVPIDINE.

*Improbe non credis quod frangam tela, manusq;*
*Expediente Deo deuolat inde Puer.*
*Et dextram armabat, quum Cypria parce Tonanti*
*Clamat, adhuc mugit, & satyrizat adhuc.*

E GRAECO.

*Bos, uolucris, satyrus fit Iuppiter, imber amore*
*Europæ, & Lædes, Antiope, & Danaes*

E GRAECO.

*Phœbe bubulcus eras, & equus Neptune, iuuencus.*
*Aureus imber eras Iuppiter, hydrus, olor.*
*Ob'q; nurus Di, tu ob pueros, non estis amantes*
*Ob Charitem linguæ, uiribus at potius.*
*Euagoras autem pulcher sine fraude puellas*
*Non immutatus pellicit, & pueros.*

IN STATVAM TIBRIDIS
*in hortis Vaticanis.*

*Plaude tuis ò Roma ingens autoribus, ecce*
*Pendet ab uberibus paruus uterque puer.*
*Et non horrescunt toruam in nutrice figuram*
*Hispida sed querunt ubera, & ore premunt.*
*Et Lupa blanditur geminis ceruice reflexa,*
*Se matrem insinuans qua ualet arte suam.*
*Et quos seruauit uiolento à flumine Tibris*
*Custodit patria sedulitate Deus.*
*Mirum opus, unde feram mitescere cernis & undas.*
*Sugere & infantes, saxa'q; lac fluere.*

E GRAECO.

*Montem habito ad littus uisu, facie'q; Priapus*
*Paruus ego occurrit nec mihi mergus aquis.*
*Quale dedere mihi piscantes littore, acutum*
*Tale caput teneo, sed pedibus careo.*
*Horum si quisquam me compellauerit, curis*
*Ocyor occurro, præsidium'q; fero.*
*Hinc mare prospicio, sed forma ignota Deorum est:*
*Nam formam, & diuis nomina fecit opus.*

E GRAECO.

Quadraginta mari ex nauis Dionysius unus
Seruatus celes dedicat hanc statuam.
Cruribus exiliens super hanc ego salsa natabam
Marmora, sæpe uiros hernia, & ipsa iuuat.

DE ADONIDE ET VENERE.

Qui Paphiæ fueram gratissimus ardor Adonis,
Flos ego formosus post mea fata fui.
Non penitus speciem amisi, uitamq; Cytheræ
Alma dedit uitam, murice uestit humus.

E GRAECO.

Crouilos atque comæ æquales, quas Camus ab annis
Cantanti Phœbo quatuor implicuit.
Pugnacem gallum sacrauit, & ipse placentam
Caseolo pinguem filius Isidici.
Da domui esse uirum tandem, da denique Apollo
Auratæ uxoris posse cubare sinu.

E GRAECO.

Saltantem è buxo rumbum, resonansq; flagellum,
Saltantem Hermeti perplacidamq; pilam.
Sacrat, & astragalos, quibus insanire Philocres
Suetus erat, lusus læta iuuenta tuos.

E GRAECO.

Fixa aquila à iaculo Cretensem est ulta pharetram,
Arcum arcu ulciscens cœlitus hæc subito.
Aere nanq; cadens retro recadente sagitta,
Ipsa perempta illum morte peremit auis.
Ne mage uos certis Cretes laudate sagittis,
Atque sagittifera Iuppiter arte ualet.

E' GRAECO.

*Scutum hominum ex humeris iaceo Timanoris alto*
*Sub templi tecto Palladis intrepidæ.*
*Puluerulentum inquam, ferrato marte ferentem*
*Iam me seruauit semper ab interitu.*

E' GRAECO.

*Suspendit Pyrrhus tibi uirgo molossus Itoni*
*Donum, arcus celeres fortibus à Galathis*
*Antigoni, haud mirum deuicto, & milite fuso;*
*Et nunc pugnaces, & prius Aeacidæ.*

DE DIANA ET ACTEONE.

*Virgo Diana tuum & merito moderare furorem,*
*Virgo benigna uiris, mitis & esse solet.*
*Tene manus sanctas, te num maculaueris unam?*
*Fontis in ultrici Diua ueneficio?*
*Inscio, & erranti parcas, æstusq; sitisq;*
*Causa fuit, sed non ulla inhonesta Venus.*
*Quid si te nudam inspexit? pulcherrima nanq; es.*
*Sæpe uiris nudas se exhibuere Deæ.*
*Surda est, hei misero crescunt iam cornua, Diuam*
*Vsque ferire feras sic facit esse feram.*

E' GRAECO.

*Quæ Mauortis erat prius, & prænuntia pacis,*
*Barbarico horribilem quæ dedit ore sonum.*
*Donum ex ære tubam Pherenicus uirgo Mineruæ*
*Dat tibi, deponens cingula, & arma senex.*

E' GRAECO.

*Sæpe meo tutata fui quæ umbone tyranni*

Formosum pectus, parma modo hic iaceo.
Imbellis licet innumeras hinc inde sagittas
Excœpi, atque pilas, pila quoque, & lapides.
Magnanimi at nunquam digito liquere nec uno
Mars ubi in armatos terribili ense furit.

E' GRAECO.

Scuta ab Lucanis, arcusq;, & frena fugatis,
Ordine stant posita, & tela Minerua tibi.
Sunt domita, hos aūt mors nigra effudit, & aufert,
Palladi quumq; uiros, & cuperemus equos.

DE TAVRO ARA.

Picta rosis digitos torpentem frigore, & annis
Titonum coniux liquerat alma senem
Frena resumentes ternas iam senserat horas,
Ambrosia saturos tollere colla, & equos.
Quum patri crocea occurrens in ueste refulsit,
Nec mage nota seni, nec mage uisa fuit.

E' GRAECO.

Iuppiter ætherie ardentes mactandus ad aras
Bos gemit, & tentat dicere, parce mihi.
At tu solue ipsum, ueheres quum falsus amator
Europam, tunc Rex tu quoquē taurus eras.

IN STATVAM MERCVRII in hortis Vaticanis.

Parue puer magni Athlantis quid mente reuoluis?
Hoc importuni est hæc petijsse Deum.
Quis tua stupra, dolos, furta, & mendacia nescit?
Hic tamen his studijs maceror esurie.

Tot

Tot nostri hic similes, qui nostra negotia tractant,
Pergrecantem urbem linquere quod statui.

E' GRAECO.

Maturas ficus uideo, da carpere paucas
Parce, quid ira tibi est, sic quoque nec capies.
Da præcor, indigeo, si quid cupis utere lege
Da, cape, num argentum poscit, & æra Deus?
Quæro aliud, quid nam est? nostras uis carpere ficus?
Ob ficus ficos tu mihi porge tuos.

E' GRAECO.

Iste nepos Iouis est charissimus, imminet & quæ
Humenti nubes aere testis erit.
Iuppiter Hermetem, qui nubes excitat Hermes
Caprarum actorem Panáq; progenuit.

E' GRAECO.

Spem posui ante arã, et Nemesim nunc fœdere iunctas
Hanc etenim, ut speres, hanc nihil ut teneas.

ALITER

Hæc spes, hæc Nemesis, positis altaribus astant,
Hæc sperare homines, ista timere facit.

DE DIANA ET CVPIDINE.

Quam bene sub simili saxo, formáq; cohœrent,
Vna Diana ferox, unus Amorq; ferus.
Arcus, & utrique est pharetra, atque peritia utrique,
Ambo potestatis maximæ, & ambo Dei.
Venatu gaudent ambo, sed dispare præda
Numina, & ille homines conficit, ille feras.

E' GRAECO.

*Interfectrices Medorum fortiter enses*
*Truncauere tuas ò Cynagire manus.*
*Quum fugitiua rates ponti per salsa uolaret,*
*Firmasti palmis anchora ut ipsa tuis.*
*Verum & sic uelut morsu tenuere carinam,*
*Dum metus exanguis terreret Assyrios.*
*Barbarus & miles uerum has tulit, attamen ipsa*
*Palma manet manuum, gloria & in patria.*

E' GRAECO.

*Arcus incurui, tum tincta pharetra ueneno*
*Phœbe tibi à Promacho dona reposta iacent.*
*At diras, tristi in pugna uolucresq; sagittas*
*Hostium habent iecori noxia dona uiri.*

DE CVPIDINE ET GANYMEDE.

*Astragalis inter Superos ludebat eburnis*
*Matris Acidaliæ cum Ganymede puer.*
*Victor erat pincerna Iouis certaminis, ira*
*Percitus arma capit tunc uiolentus Amor.*
*Iuppiter iratus cœlo deiecit Amorem,*
*Hac causa exul Amor uomere uersat humum.*

E' GRAECO.

DE CVPIDINE ARANTE.

*Lampade deposita, atque arcu peram induit armos,*
*Et stimulum sumpsit perniciosus Amor.*
*Adiunctisq; iugo bobus petit arua, subactam*
*Et Cereris largo semine spargit humum.*

*Suſpiciens dixitq; nouália Iuppiter imple,*
*Denuo ne ſis bos, & patiare iugum.*

E GRAECO.

*Ne me hoſpes factum credas ex thure nepotum*
*Noctu oblectari colloquio iuuenum.*
*Paruus ego Nymphæ uicinæ rura colentis,*
*Excito telluris frugiferentis opus.*
*Hinc mi dilecte Cereris de meſſe coronat*
*Tempora, quotq; inſunt, tot mihi ſerta dedit.*

E GRAECO.

IN STATVAM MERCVRII
*in hortis Vaticanis.*

*Quid meditans poſitis uirga & talaribus haſtæ*
*Inſiſtis Maiæ deſidioſe puer?*
*Ire redire orco, ſuper æthera ab æthere ad orcum,*
*Linquere quod graue ſit, ſeruicium, meditor.*
*Quid facies Romæ? furari, & fallere noui,*
*Nec minus his proſunt forma iuuenta decor.*

E GRAECO.

*Doliolum aſpiciens Pandoræ rideo, non te*
*Pandoram accuſo, ſed bona quæ fugiunt.*
*Vtq; uolant terræ per ſingula limina ab aſtris*
*Debebant etiam concidere & per humum.*
*Doliolum poſtquam recluſit fœmina clauſum,*
*Amiſit charitum pallida ab ore iubar.*
*Orba utrisq; manet uita hæc, quod nunc habet ipſam*
*Et uetulam, retinet doliolumq; nihil.*

E GRAECO.

*Semper enim uitæ ſpes mentem decipit, unde*
*Plurima agenda dies præuenit ipſa necis.*

E GRAECO.

*Spes Nemeſi iuncta eſt, fumanti exiſtit & aræ,*
*His ſperare potes, ſed niſi iuſta licet.*

DE CVPIDINE.

*Euictum ſomno una Dryas ut uidit Amorem,*
*Subtraxit neruum, telaq́, & inde fugit.*
*Et lauro appendens folijs contexit, adactis,*
*Obſeruans longe nequiciosa dolum.*
*Vt uigil agnouit furtum, conuertit ocellos*
*Hinc inde, arma uidens inquit inermis Amor.*
*Fraude etiam hoſtili tela ò decorata, triumphi*
*Vos merito cingunt, arbor & uſque uirens.*

E GRAECO.

*Si nocuiſſe Dei non eſt, quis finxit Amorem*
*Eſſe Deum? noſtro ſanguine gaudet Amor.*
*Non ne manu gladium polluta ſtringit acutum,*
*Patratæq́ necis nam ſpolia ecce Dei.*
*Mater enim, tum nata iacet, ſaxisq́ propinqui*
*Vindictam ob cædis impetiere uirum.*
*Non orci, aut Martis, ſed meſſe Cupidinis auſum*
*Cernimus, his ludit paruulus ille puer.*

E GRAECO.

*Qui cupit ignem ipſum ſuccendere, quiq́ lucernam*
*Extinctam in tenebris irradiare, ueni.*
*Atque mea ex anima flammas ſuccendite, flammas*

*Nam mea multiplices interiora fouent.*

E' G R A E C O.

*Tres Charites dulci ore, horæ totidemq́; puellæ*
*Meq́; puellaris terna cupido agitat.*
*Tresq́; cupido arcus capit in me feruidus unum,*
*In me uno tanquam si tria corda forent.*

E' G R A E C O.

*Thure sagittiferum ex ipso quis finxit Amorem?*
*Cuius nec parcit dextera prompta Ioui.*
*Sero igni quandoq; iacet scopus, atque uidetur*
*Comburi flammis, non aliter decuit.*

A L L V S I O.

*Quis thure arsuro inuictum cælauit Amorem?*
*Et terram, & cœlum qui cremat igne puer.*
*O sacrum Superis gratum, si diditur igni,*
*Huc properate homines, huc properate Dei.*
*O quàm gratus odor, sceleri par pœna refertur,*
*Vt quas iactat Amor, sentiat ipse faces.*

E' G R A E C O.

*Ne fletu mulcere putes Thelombrote Amorem*
*Non parua hic spirans tollitur ignis aqua.*
*Solum auro sanatur Amor, non pellitur undis,*
*Natus enim æquoreis, sed neque mersus aquis.*

IN STATVAM HERCVLIS ET *Anthei fractam in hortis Vaticanis.*

*Ecce animauit opus Plastes, quod iam edidit, & nunc*
*Luctari inter se signa animosa uides.*

*Audires si integra essent, & in Hercule plausum,*
*Fatum & in Anteo sic quoq; saxa gemunt.*

E GRAECO.

*Salue hera Diua hominum succẽdens flamma bonorum*
*Frugali sumptus quæ regis imperio.*
*Filia præclare, quæ temperat omnia matris*
*Virtutem celebrat, qui colit æqua tuam.*

E GRAECO.

*Læna mihi simplex satis est pro tegmine, flores*
*Depascam Aonidum, ne famuler dapibus.*
*Pluton, adulantes qui nutrit, & excipit, odi,*
*Diuitum, & insani displicuere modi.*
*Neue supercilio patiar pendere seuero,*
*Parua mihi nota est, libera mensa tamen.*

DE CVPIDINE ET DIANA.

*Dum canis Erigones flauas exurit aristas,*
*Nulláq; dum blando sibilat aura sono.*
*Riuuli ad arguti murmur sua tela Cupido*
*Deponens somno lassula membra dabat.*
*Forte ut erant summo uernantis margine ripæ.*
*Libabant latices aurea tela Dei.*
*Cessit Amor, tacitum exhausit subito unda uenenum;*
*Quum custos nemorum, dum sitit amne bibens*
*Ardeo, ait, flammam extraxi; quis credat? ab undis,*
*Ardeo plus multo, quo magis ipsa bibo.*
*Vndam amo, & unda mihi maior sitis, atque uenenum,*
*Odi, & amo, & cupio, & nescio quid cupiam.*

QVOS DICERET SERMONES
Amor Amore captus.

E GRAECO.

*Quis domat igne ignem? quis lampada lampade uincit?*
*Quis nam alium contra nostrum contenderit arcum?*
*Nostro Amor est nouus oppositus par robore Amori.*

E GRAECO.

*Nudus & imbellis fuerat, nam tela, facesq;,*
*Exueratq; arcus cornua blandus Amor.*
*Delphinum una manus tenet, & tenet altera florem,*
*Quod maris, & terræ iura ministrat Amor.*

ALLVSIO.

*Improbe inermis Amor quid risu fallis amantes?*
*Sepositis armis non tamen insidijs.*
*Nam sub flore dolos, sub pisce pericula claudis,*
*Allicis ut perdas improbe naufragio.*

E GRAECO.

*Suppetias præbens pereuntibus æquore, humoq;,*
*Naufrago amore manum tu mihi porge Venus.*

RESPONDET.

*Quid mihi cum terra? terræ est mihi nulla potestas,*
*Orta mari quum sim iura ministro mari.*

E GRAECO.

*Prospera res fuit Amphiclis, dum uixit in annum,*
*Vna cum natis, mancipijsq; suis.*
*Auspicibus nam Dis pergebant cuncta fluentes*
*Sic cumulabat opes enthea relligio.*

DE PHOEBO ET BACCCHO

*Crinibus intonsis formosi Phœbus & Euan*
*Certabant studijs exhilarare Iouem*
*Fata ferentem ægre cari sarpedonis, ille*
*Dum canit, iste salit, gratus uterque Deo.*
*Gratior at Bromius, quis non lætatur in illo?*
*Hoc tamen indignum læsus Apollo tulit.*
*Cui pater unde habui maiora pericula, maius*
*Diligo, te genui, hunc & genui, & peperi.*

E GRAECO.

*Phœbus hic impubes, & opus ex ære nitentis*
*Latonæ, atque Iouis pignus & indicium.*
*Iuppiter hanc arsit, non frustra, ut fertur ocellis,*
*Et capite insignis, tum decorata comis.*
*Non oculi ut doleant Iunoni, hoc fecit onetas,*
*Talem arte expressit, corpore qualis erat.*

E GRAECO.

*Quæ nam est tyrson habens? Heliconias, altera sed quæ*
*Xantippe, Gauce, quæ prope carpit iter.*
*Collibus è summis descendunt, dona feruntq́;,*
*Cui? Baccho, quæ sunt? uua, hedera, atque caper.*

E GRAECO.

*Prægnantem Diana tibi statuere iunencam*
*Aeditui ante aras munera sacra tuas.*
*Quam bene præuertit sortem, nam parturit illa, &*
*Nutriat ut prolem, libera missa fuit.*
*Diua puerperij custos miserata uocantem*
*Non perimis, sed das partubus auxilium.*

## DE ADONIDE ET VENERE.

*Si fueram Veneri carus, tum dulcis amator,*
*Indicium est nectar, puniceusq; color.*
*Purpura restat adhuc; suauem testantur odorem,*
*Mellifluæ assiduò, quem populantur apes.*

## E GRAECO.

*Par ceruæ alipedi canis in certamine cursus*
*Contraxit pregnans ulcus in inguinibus.*
*Ob'q; cicatricem solidata est uulua, dolebat*
*Tempore quæ partus adueniente sui.*
*Subsidioq; uiri & ferro est uia facta, recluso*
*De'q; utero uiui prosiliunt catuli.*
*Acta charis partus Lucinæ est; cœpit enim Mars*
*Contra obstetricis fungier officio*

## E GRAECO.

*Sidentem inspexi leporem, dum deuorat uuas,*
*Annui & agricolæ, qui lapide hunc perimit.*
*Villicus at gaudens ait, ò uelocia honoris*
*Sacrificans Baccho, munera mixta dedit.*

## E GRAECO.

*Dicite quærenti Nymphæ, firmauerit hædos*
*Hic ne suos Daphis præteriens niueos?*
*Nam nam Pan calami inflator tum cortice in illo,*
*Quæ relegas sculpsit carmina sæpe tibi.*
*Pan Pan Psophidion montem; maleam ipse petiui*
*Perueniam, Nymphæ iam'q; ualete abeo.*

E GRAECO.

*Gratiæ erant ternæ, tribus bis tu una addita, ternæ*
*Nanq; suam ut teneant & Charites Chariten.*

DE HERCVLE ET ACHELOO.

*Hanc oculos Superi ad luctam conuertite uestros,*
*Quam bonus Alcides, atque Achelous agunt.*
*Reijcit hic uiridem uestem, fuluum iste Leonem.*
*Lubricus hic membris, strenuus iste suis.*
*Vnus monstrorum est domitor, Rex alter aquarum*
*Labentum, iste Deus, hic quoque semideus.*
*Spiritu & acri instant, quàm ingenti mole mouentur*
*Flatu auræ ignescunt, pondere terra tremit.*
*Inq; dracone ruit, tauroq; Achelous; & amne*
*Qui draco, quiq; ferox taurus, & amnis erat.*

E GRAECO.

*Hæc tua conspicias certamina mille laborum,*
*Pro quibus Alcide sydera celsa tenes.*
*Gerionem, mala Hesperidum, stabula alta, leonem,*
*Hydram excrescentem cædibus, Hippolytam,*
*Cerberum, equos, taurum, uolucres Stymphalidas, aprũ*
*Fulmineum, æripidis cornua celsa feræ.*
*Nunc autem cœli non expugnabile regnum*
*Pergamei scandens, respice Telesphiadas.*

E GRAECO.

*Effinxit talem Plastes, quali obuius ipsi*
*Thiodamas fuerat Amphitrioniadæ.*
*Nanque bouem trahit oeteus, tollit quoque clauam,*
*Pictor aratori parcit, at ipse boui.*

Thiodamanta magnum fecit num forte loquentem,
Verba i leo tardant uerbera, & interitum.

DE VENERE ET AVRORA.
in quandam puellam.

Qualis erat Venus ardenti placitura Gradiuo,
Talis & annoso iuncta puella uiro.
Ecquid enim Aurora, quid Cypride pulchrius ipsa?
Iuncta tamen uetulo est utraque Diua Deo.

E' GRAECO.

Cypria largiris speciem regina, sed illa
Deperit, asserpit quum sibi tempus edax.
Præuolitantis enim me uestri muneris istud,
Cypria suscipias muneris indicium.

E' GRAECO.

Hellada quæ tumidam irrisit, Lais'q; seueram,
Agmen amatorum uidit & ante fores.
Hoc speculum Paphiæ, quia quæ sum, nolo uidere,
Cernere nec possum, consecro qualis eram.

IN STATVAM ADONIDIS
in hortis Vaticanis.

Innixus trunco candenti è marmore Adonis
Idem quem Cypris perdite amauit erat.
Vt uidi, incalui, at cedem miseratus acerbam,
Si prius incalui, denique & ingemui.
Exemplar formæ, & Charitum dulcissimus ignis,
Nireo enim maior, nec Ganimede minor.
Non magnum est, Venerem uiuens si torsit, & ussit,
Quum sic nos capiat, & lapis excruciet.

E' GRAECO.

*Pinguia serta tibi hæc folijs de mille soluta,*
*Et madidæ mentis pocula facta tibi.*
coma *Et ocma Anaxagoræ exuuiæ miserabilis isto*
*Arrabias redolens puluere sparsa iacent.*
*Lai & cuncta tibi comitatus nocte profunda*
*Has uigilans staret quum miser ante fores.*
*Nec uerbum, nec promissum exoptabile, nec spem*
*Dulcem aliquam, at potius iurgia amara tuli.*
*Heu fractus membra, bis spretis incusat amicæ*
*Non exoratam caniciem, & speciem.*

E' GRAECO.

*Qui prope iam uitreos fontes celauit Amorem,*
*Extingui hunc ignem posse putauit aqua.*

E GRAECO.

*Romulidas inter meretrix Bizantia uixi,*
*Aere dato cunctis obsequiosa fui.*
*Nomine Callıroe, uafra ingeniosa uocabar;*
*Me pictam hic Thomas collocat igne furens.*
*Se memorem exemplo ostendens, nam corda liquescunt*
*Illius, ut flammis cæra, liquentq; niues.*

E' GRAECO.

*Tu ne unquam Veneri mentem reserato repente*
*Nam leuis à clauso corde recedit Amor.*
*Naturam æstus habet, quum summa recepta sagitta,*
*Flammæ erit, hæc intro tota quidem ingreditur.*
*Nec spes te obiectet meretrix, quæ pascitur ossa,*
*Excitat atque ignes, allicit atque animum.*

## DE VENERE.

*Dum Venus Anchisen sub opaca amplectitur ulmo,*
*Vnde caput sacrum forte pependit apri.*
*Hoc subito inde cadens Diuæ perstrinxit amantem,*
*Tunc Paphia, insequeris sus truculente meos*
*Siccine amatores? lacerasti uiuus Adonim,*
*Nunc & in Anchisen mortuus ipse ruis.*

## E GRAECO.

*Vir tuus Anchyses, pro quo iam sæpe solebas*
*Littus ad Ideum tu properare Venus;*
*Vix nigrum reperit nunc uertice uellere crinem,*
*Quod reliquum est ueris, dat tibi Diua, sui*
*Vel me, nanq; potes, iuuenem effice Cypria si uis,*
*Vel canum, atque senem suscipe me ut iuuenem.*

## E GRAECO.

*Gratus es haud peccans ipsis mortalibus, & Dis*
*Vota secundabunt nec prece difficili.*
*Nulli gratus eris sed si peccaueris, immo*
*Cuncta inimica, alio & sors uariabit iter.*

## ALLVSIO.

*Inculpatus homo cum Dis commertia tractat*
*Et uerbo regum territat imperium.*
*Huic uolucres parent, pisces, animalia, & auræ*
*Hic Phœbum, & Phœben sistere, & astra potest.*
*Examinata animans, cœlum, atq; Acheronta pererrās.*
*Mirumq; existens maxima mira facit.*
*Et demum exuuijs positis mortalibus astrum*
*Cernimus, & natum hunc immo Dei, immo Deum,*

IN STATVAM ADONIDIS

Quis nam hic tam pulcher? Paphiæ dilectus Adonis,
Quid caput istud? apri; quid canis iste notant?
Venatus; cædisq; suæ sunt signa cruentæ,
In quem oculos uertit? quam cupit in Venerem.
Tantus amor uicit iuuenem, quod saxeus illam
Marmoream inquirit, respicit, ardet amans.

E GRAECO.

Legibus haud ullis sors, nec ratione mouetur,
Nos proprij & fluctus impete tracta regit.
Iniustum extollens iustum premit illa; ualorem
Iactando ostentat, stultitiamq; suam.

E GRAECO.

Immortale æuum, & felix mortalibus ipsis
Spondet consilijs sors generosa tuis.
Cuncta tuo nutu referunt decus ecce supremum,
Illorum & dextram culmen habere facis.
Huic inculpati Reges, doctiq;, Ducesq;
Nominis æterni congrua colla ferunt.

E GRAECO.

Absque Deo nullus fortunis gaudet opimis.

ALITER.

Fortunatus erit nullus sine numine Diuum.

AD SOLEM.

Hanc tibi, quam cernis, radiantem floribus oram
Propter aquæ fluuium lucidioris habe.
Consecro cunctorum ò genitor, quæ circuit orbis,
Quæ fati & uariat conscia signa poli.

Solsticijs utrisq; istam defende cupressum,
Ne noceant æstus, & glacialis hyems.
Arbor enim nostræ Chariti dilecta perennet,
Quondam cura tui, nunc mage cura mei.

E' GRAECO.

Vernantem sub temporibus conuulsit Iulum,
Roboris & sexus mascula signa Licon.
Obtulit & Phœbo munus, primum optat & idem,
Temporibus niueis uellere caniciem.

AD NOCTEM.

Dulcis, & alta quies, frontem quæ tollis opacam
E phlegethonteis præcipitata uadis.
Nox optata ueni, nigrantes indue & alas,
Tutius ut nostrum perficiatur iter.
Scis Dea quo propero, nam furti sola fuisti
Conscia, & arcanæ Duxq; comesq; uiæ.
Sic tu nectareo satureris rore, Tonansq;
Tergeminam faciat te sibi, & esse mihi.

E' GRAECO.

Quæ fuerat primum cantu exornata, nitensq;
Pulchra rosa ut uernans, hoc iacet Eugenia.
Puluere terrestri, super hoc mœrore sepulchro
Incidere comas, Musa, Themis, Paphia.

E' GRAECO.

Certantes dulci Paphiam Martemq; duello
Arte domo Plastes finxerat in media.
Per patulam ingressus Phaeton quum mane fenestram,
Confusus geminos constitit inspiciens.

*Quandiu erit sol infensus non dum immemor iræ?*
*Iram etiam cœram seruat in exanimem.*

AD AQVARIVM DE PAVLO III. PONT. MAX.

*O dilecte puer summi pincerna Tonantis,*
*Qui modo Alexandri candidus ardor eras.*
*Ante diem euacuans nimbis rorantibus urnam,*
*Exultas nimium tuq; Deusq; tonans*
*Quod regat instanti nutantem pondere mundum*
*Paulus, & a Superis missus, & arce poli,*
*Quam merito exultas tu, & Iuppiter, aurea condent*
*Secula, utrunq; & aget Tertius iste Iouem.*

DE LARIBVS.

*Et licet elinguis, multo & cruciata dolore,*
*Corpore toto etiam sanguinolenta foret.*
*Virgo tibi placuit Cyllenie, & inter eundum*
*Fœdatam & tristem comprimis ipse laram.*
*Vnde Dei nostris tutela penatibus orti,*
*Sed patris & matris moribus absimiles.*
*Futilis ista, rapax custos infidus & ille.*
*At taciti seruant, remq; domumq; Lares.*

E GRAECO.

*Soluitur ob uentrem moderatio uentris, & escam,*
*Ventrem, escam & uentris oderit ipse Deus.*

IN STATVAM BACCHI ET HERCVLIS.

E GRAECO.

*Ambo orti Thebis, bellator uterq;, Iouisq;*
*Filius,*

Filius, hic tyrso, robore & ille ualet.
Ambo columnæ astant armis conformibus, ambos
Nam platage, hunc decorant binulus, huncq; leo.
Iuno utrisq; grauis, tellure & uterque relicta
E liquido ad superas igne uolauit opes.

IN STATVAM ADONIDIS
in hortis Vaticanis.

Languebat charo deserta ab Adonide Cypris,
Sic Diuam insanus excruciabat Amor.
Sæpe ipsam Paulus lachrymare, dolere Cytherem
Vidit, & agnouit, quòd rogitaret opem.
Iussit amatorem inquiri, Paphiæq; repertum
Restitui, inuentus ducitur ad Paphiam.
At quia oberrauit Dominam formidat Adonis.
Non audet læsam cernere, adire, loqui.

E GRAECO.

Nebridas; & tyrsum noster Pan dedicat ipsum
Bacche tibi Idalium liquit amore chorum.
Echo amat, atque errat, sed tu placare Lyæe,
Arte est communi captus, & igne pari.

E GRAECO.

Hoc reliquum optabat post tot certamina Iuno
Alcida imbelles cernere posse manus.
Chlena leonis ubi, atque humeris pendentia latis
Tela, pharetra, arcus, claua trinodis ubi?
Omnia Amor rapuit, si patrem fecit olorem
Idem armis natum est expoliare minus.

## DE LVNA ET ENDIMIONE

Saucia Luna graui & cura stimulata per altos
Quærebat montes Endimiona suum.
Tandem ait inuento, quæ te mora, forsan & ignis
Te nouus incertum detinuere diu?
Dum te inuestigo per summa cacumina lassus
Irrepit somnus rettulit ille mihi.
Quin te Semicaper postquam male cauta fefellit,
Immutas uultus, nec loca certa tenes.

## IN STATVAM ADONIDIS in hortis Vaticanis.

Illius est statua hæc, qui Cyprida ad usque medullas
Exussit uiuens, torsit & emoriens.
Et nunc Praxitelis ductus de marmore dextra
Allicit, & nostros fascinat idem oculos.
Quod philtrum est istud, immo quod uirus Adoni?
Viuus, & occumbens, & lapis excrucias.

## CVPIDO FVGITIVVS. E GRAECO.

Aligerum inquirens clamabat Cypria natum
Si quis oberrantem in triuijs aspexit Amorem,
Suauiolum Veneris precium mercedis habebit,
At si illum adduces, nondum suauiolum hospes
Do tibi, plus etiam referes, ab imagine tota
Insignem puerum, ut noscas, hæc signa notato.
Non color est albus, uerum igneus, illius acres
Flammantesq; oculi, mala mens, dulcissima uerba
Nanque aliter sentit suaui quam ex ore profatur,

Indomita irato mens est, & despicit omnes
Nunquam uera loquens, fraudator, lusor iniquus.
Cui caput est crispum, facies inhonesta, proterua,
Exiguæq; manus, longe at iaculatur in ipsum
Vsque Acheronta etiam, nigri Regemq; baratri,
Corpore nudus inest, sed mentem obtectus, ut ales
Hos aliosq; uiros uolitans alit, atque puellas.
Visceribusq; sedet, tum paruum continet arcum,
Et super hunc telum, telo & diuerberat auras,
Atq; polum, pharetra ex humeris olli aurea pendet,
Intus amari insunt calami, quis uulnerat & me,
Cuncta quidẽ fera, cuncta sibi magis effera at ipsi,
Lampas et huic parua est, Solem succẽdit et ipsum.
Duc ad me haud miserans, domitum si cœperis illum,
Sed te ne lachrymis, & risu fallat inanem,
Hunc trahe, fac caueas mala basia, labra ueneno
Plena illi, quod si dicet cape, largior arma
Cuncta tibi, tu ne tangas, sunt munera fraudes,
Atque doli, contecta igni nam cuncta perurunt.

ALLVSIO.

Inuentum ad Venerem, captumq; trahebat Amorem
Sub spe promissi lætus Athlantiades.
Arma dabat, maiora puer promittit, & orat,
Vociferat, queritur, ingemit, illacbrymat.
Tunc etiam nolens Hermes dimisit Amorem,
Posse datum nec Dijs luctum in Amore pati.

DE VENERE ET AEOLO.

Quid tibi cum ponto, & phrygibus temerarie nostro

Aeole, dicebat Cypria nata mari.
Esse aliquid credis regno quia fultus inani,
Quod claudis uentos carcere, & antra regis.

E GRAECO.

Da bona supplicibus nobis rex Iuppiter, & non
Supplicibus, tum supplicibus mala tristia pelle.

E GRAECO.

A prece si uacat, & uotis, quæ te usque fatigant,
Iuppiter exaudi uota, precesq; meas
Ob sacras Pheacum arces, quas ipse gubernas,
Annue non falsis, & mihi pollicitis.
Siste meum errorem in patria, & me uiuere presta.
Seruicij absoluas me quoque fasce graui.

E GRAECO.

Qui prius astabat natus Iouis aereus aris,
Abiectus, mirum est, nunc manet in triuijs.
Indo'ui, dixiq; inuicte trinoctie pulsor
Monstrorum, stratus sic hodie ipse iaces.
Mi Deus assistens noctu tunc dicere uisus
Seruicium & didici temporis ipse Deus.

DE VENERE ET VVLCANO.

Ingens fama fuit, Venerem quod fingat Apelles,
Cui cedat liquido nata Ericynna mari.
Mota Venus coniuxq; senex dulcedine laudis,
Ne dicam inuidia, progrediuntur iter.
Ambo & Apelleas ficta sub imagine in ædes
Intrarunt, tabulas, signaq; mira uident.
Retia picta at ubi, & furta inuidiosa recensent,

Mulciber indoluit, Cypria & erubuit.

E GRAECO.

*Non alibi est talis, forti ut Lacedemone ficta,*
*Non uittata caput, sed galeata Venus.*
*Hasta est pro ramo aurato, nam Martis inermem*
*Stare nefas sponsam est in Lacedemonia.*

E GRAECO.

*Quæ prius unda fui flexus resonantis abundans*
*Guttatim uix nunc effluit unda mihi.*
*Fontibus his lauit palmas homicida cruentas,*
*Et sceleris tactu commaculauit aquas.*
*Tunc Nymphæ fugere diem, Mars miscimur uni*
*Dicentes Baccho, non tibi cædis amans.*

IN STATVAM ADONIDIS
in hortis Vaticanis.

*Hæc Paphiæ est Icon, formosi & Adonidis ista,*
*Vtraque marmorea est, utraq; pulchra nitet.*
*Vna uni iuncta est, ut possis cernere quantum*
*Cypria amatorem, & Cyprida amator amet.*
*O qui amor, atque fides, nam post tot secula uterque*
*In lapide ardet adhuc, gaudet & esse simul.*

E GRAECO.

*Terpsicorem haud uidit pictor, sed decipit ipsos*
*Arte oculos, ueræ Terpsicore similis.*
*Admirare Erato inuentum, si senseris ægri*
*Aegri animi duros cytharam mulcere dolores.*
*Diua cauos calamos percurrit, & irrigat illis*
*Pneuma apis Euterpe inspirans prudentis amicum*

Comica gesta cano mores hominumq; Thalia.
Qui infausti expectant plausum, gaudentq; theatro.
Icona inspicias sophiæ sub imagine Diuæ,
Calliopes sophiam suscipe corde tuo.
Iuxta lauricomos tripodas Phœbi hortor, & insto
Historiæ Clio, Musaq; fatidica.
Sub numeri Vraniæ, & mensuræ tramite cœli
Ipsa potestatem docui, splendentia & astra.
Melpomene auratos sonitus meditare, modosq;,
Et sophiam eloquijs conditam amabilibus.
Dulcisonum taceo tantum haud reticentibus ipsis
Palmis, demandans clamosa silentia nutu.

E' GRAECO.

Mascula aqua Alpheus, muliebris & est Arethusa,
Potum Amor ex istis uidit, & hausit aquis.

E' GRAECO.

Ridentes Nymphæ, hirsutus gestator & utris,
Insunt Praxitelis, aurea tum Danae.
Cuncta artis summæ ex lygdo, Rex ætheris alti,
Mira hominum manus est, doctaq;, Momus alt.

E' GRAECO.

Hunc lapidem Arsacidæ paruum uexere trophæum,
Vt palmæ erigerent, sed modo sum Nemesis.
Vtrisq; erectus, Grais insigne trophæum
Palmæ inquam, Arsacidis belli ego sum Nemesis.

DE IOVE ET EVROPA.

Quum timidam ueheret fraterna per alta puellam
Cornibus implicitam sub boue clausus amans.

Oscula dat pedibus, retegit ceruice reflexa,
Atque hilari impatiens candida crura Deus.
Dumq; dolet raptum, & casum gemit anxia Virgo,
Credibile hæc ipsum uerba tulisse Deum.
Ne doleas mea uita, & amor, mea magna uoluptas,
Cuius terga premis, sydera celsa timent.
Pone metum, ob patriam paruam ipsa uocabere mundi
Tertia pars, & eris dulcis amica Iouis.
Interea applicuit terræ, scis cætera, Virgo
Læta genus, socias exuit, & patriam.

E' GRAECO.

Vitrea spes, & tu sors cæca ualete, reperta
Est uia uera mihi, plus non oblector inani
Risu, fallaces nimium mortalibus estis.
Omnia falsa inquam, quæ uos prætenditis, & uos
Quæ facitis uelut in somno bona cernere nobis.
Parua pupilla uale, dolor, & mea cura fuisti.
Ludite post me alios spes & fortuna, & eosdem
Quærite, qui ignorant, nec fas cognoscere uerum.

E' GRAECO.

Præfectum paruis paruum si exposcis, & oras,
Est bene, magna tamen tu ne rogato Deum.
Quando Deus prodesse potest popularis egenti
Largiri ista potens, forte ego sum dominus.

IN FONTEM VIRGINIS IN
hortis Iulij III. Pont. Max.

Marmora amabilibus plantis quæ sciuditis huius
Fontis festiuæ mollia Nereides.

*Nympha loci istius, paulum reticete, quiescit.*
*Luctatis casta, siue natatis aqua.*

E' GRAECO.

*Qui colis horrisonum æquoreis hoc fluctibus antrum*
*Muscosum, & mergis saxa adamata tuis.*
*Accipe Atlantiade salsugine lina sagenæ*
*Trita super littus retia, tum laqueos.*
*Et nassam, & suber signum iactusq́; plagæq́;*
*Squallentis flauas reliquias domini.*
*Et ligulam iunctam è setis, hamosq́; cruentos,*
*Dona paludosis non sine arundinibus.*

E' GRAECO.

*Quis molem hanc cyclops celsis æquauerit astris*
*Aemulus Assyriæ quippe Semiramidis.*
*Aut quales terræ nati extruxere gigantes*
*Eductam ad septem sydera Pleiadum.*
*Immotam similemq́; & atho, quis uellere posset*
*Compactum terræ non tolerantis opus?*

DE CVPIDINE ET VENERE.

*Nudus Acidalijs Amor excerpebat in hortis*
*Pallentes uiolas, purpureasq́; rosas.*
*Implicitam uepres dextram læsere legentis,*
*Indoluit, uulnus sensit ut ipse puer.*
*Illachrymans matri ostentat plagam, atque cruorem,*
*En & ait, spinis quæ fero dona tuis.*
*Cùi genitrix, quæ non mortalia uulnera ab arcu*
*Sæpe tuo patior fabula facta Deis?*

SERMONES QVOS DICERE *possset Helena pugnantibus Menelao & Paride.*

E GRAECO.

*Europæ atque Asiæ Reges certamine fortes*
*Ferri acies uobis læthaliter instat, & urget,*
*Quis uestrum tolerans miserā uir me ense receptet*
*Iudicet altitonans Pater, at sine Cypride, rursum*
*Ne me alius rapiat thalami fur, turpe Pelasgis.*

E GRAECO.

*Dic tu, hæc qui curas, quis nā hunc cōstruxerit amnē?*
*Balneum & hunc fontem dixerit esse, refer.*
*Aeolus Hippotades diuis gratissimus ipsis,*
*Hos secum uentos detulit huc ueniens.*
*Quid tabulæ pedibus subiectæ stantibus istæ?*
*Non æstus causa, sed niuis iste locus.*
*Frigoris è gelidi, & Phrixi in medio axe, sed intus*
*Flat Boreas, gelidis scribe, lauatur aquis.*

E GRAECO.

*Aestate atque hyeme oblecto, glacie, atque calore,*
*Ex memet reliquum temporis efficio.*

IN ARAGNEM.

*Quid lauro sacræ suspendis aranea casses*
*Visceraq; in tenues euomis insidias.*
*Arte licet mira texis sub tegmina in orbem,*
*Lanigera cælans fertilitate dolos.*
*In uanum manicas nectis, pedicasq; puellæ,*
*Quæ Phœbum effugit stulta tenere putas.*

E GRAECO.

*Magnum istud telum, quod præ tentigine totum*
*Exeris, & rigidum magne Priape tuum.*
*Commodum ad instantemq; hymenea, libido puellæ*
*Titillat, tu autem promptior ad Venerem.*
*Sed tibi mitescat tanti indignatio pœnis,*
*Florenti & telum contege ueste tua.*
*Montis inaccessi nec enim incola, littus ad Helles*
*Sortitus sacram Lampsacon ipse colis.*

IN FONTEM VIRGINIS IN *hortis Iulij Tertij Pont. Max.*

*Quæ pedibus liquidis uitreas percurritis undas,*
*Atque susurratis carmine dulcisono.*
*Nympha loci ò Nymphæ hic dormit, uos parcite somnũ*
*Rumpere dum blandæ luditis, & canitis.*

E' GRAECO.

*Sobria uel fias amathisti, uel ebria mecum,*
*Vini ego nam uehemens sum Dionysus amans.*

E' GRAECO.

*Aut æs intrauit satyrus, quem cernis, adactum*
*Aut arte æs, satyro compositumq; fuit.*

E' GRAECO.

*Corpore fœdato & lacero suspensus ad auras*
*Appendes pini frondibus ipse miser.*
*In Phœbum impari!i pugna temerarius audes*
*Ire, celenitin rupem habitans satyre.*
*Amplius haud Nymphas cantu mulcebis auenæ*
*Dulcisonæ, ut solitus montibus in Phrygijs.*

DE APOLLINE ET MOMO

Quum rigide blandus Daphne iactaret amator
Se Deus atque suas, certaq; tela manus.
Sic est, Momus ait, testare crueuta Choroni
Tela cruentatas tuq; Hyacinte manus.

E GRAECO.

Insunt argiuas certamina sacra per urbes
Bina Ioui, & Phœbo, bina quoque Archemoro,
Et Melicerta tibi totidem sunt præmia hon ris,
Palladiæ frondes, poma, apium, picea.

E GRAECO.

Posse peti cœlum monstrat dicione Philippus,
Cui mare, cui tellus supposuere caput.
Aeratas occlude fores, & mœnia olympi
Rex firma, ad cœlum sola relicta uia est.

E GRAECO.

DE SICINIO DENTATO.

Calliope pascentis apes Heliconis Homerum
Ede alium facunda, alter quia uenit Achilles.

E GRAECO.

Magnanima ut uidit tercentum in morte natantes
Iam Lacedemonios, rettulit ista Charon.
O Spartana cohors uestra omnia uulnera forti
Fixa inhiant solo pectore pugna manet.
Gens inuicta armis, nec adhuc saturata labore,
Et pace, & somno nunc requiesce meo.

DE EGERIA NYMPHA.

Pone tuas lachrymas, nec enim Numa fletibus ultis,

*Nec prece, letheo tollet ab amne caput.*
*Nec finem faciebat adhuc pia Nympha dolori*
*Cum uersa in tristes est Dea fontis aquas.*
*Prospice, si Egeria exarsit iam corde maritum,*
*Murmure adhuc uiuo mortua nam lachrymat.*

E GRAECO.

*Quid Paphiam excrucians uexas Tritonia uirgo?*
*Munus enim immerito surripis ipsa meum.*
*Iudicio Paridis non tu, sed pulchra Cythere*
*Illa fui Ideis, si memor, in scopulis.*
*Hasta tua, & scutum, at pomum mihi debet, & isto*
*Malo illud bellum, quod fuit ante satis.*

IN FORMOSAM NATANTEM IN NILO.

E GRAECO.

*Viderat in Nilo nudam Venus alma puellam*
*Membra lauaturam candidiora niue.*
*Heu ait ingeminans guttis cælestibus absque,*
*Et sine diuino semine partum alium.*
*Aemulus undisoni Nilus temerarius alti,*
*E dulci emisit gurgite Acidaliam.*

E GRAECO.

*In pretio Danais locus hic, qui uulnus haberet,*
*Pæoniæ adductum rettulit arte breui.*
*Ipse domo exornor, merces mihi redditur una,*
*Dicar ut à cunctis termæ Agamemnoniæ.*

E GRAECO.

*Hos Melicerta tibi, et Glauco, Samothracibus & Dis,*

*Et Nereo, atque Ino, Rex maris atque tibi.*
*Seruatus pelago lucillius offero crines,*
*De capite euellens, cætera pontus habet.*

AD MORTEM DIALOGVS.

O Mors, me ne uocas? uoco te, quid me expetis? adsum,
Mi succurre, cremor, quis cremat? acer Amor.
*Quid uis? suppetias, quales? mea stamina soluas,*
*Sæpe quidem soluo: nescio, corda pete.*
Cor ne necem pateris? patior, sed morte resurgo.
*Igne obeo ut phœnix, igne resurgo recens.*

E GRAECO.

*Quæ colitis montes Nymphæ, & qui diligis antra*
*Pan, satyriq́, sacræ denique Amadriades.*
*Ecce canes uobis Marcus suspendit, & hastas,*
*Postquam hastis potuit nil capere, & canibus.*

E GRAECO.

*Somne soana Diconis Achantion hic sacer urges* saona
*Ne iustos unquam dicito morte mori.*

E GRAECO.

*Suscipe terra senem gratissima Amynthicon in te,*
*Promeritumq́ tuo contege amata sinu.*
*Nanq́ tibi faustæ truncum obfirmauit oliuæ,*
*Vitibus ornauit teq́ racemiferis.*
*Impleuit Cerere & sulcos, lymphisq́ rigauit,*
*Illius ut studio culta feraxq́ fores.*
*Quare & tu mitis esto in canentibus annis,*
*Veris opes fundas & monumenta super.*

IN STATVAM ADONIDIS

*In hortis Vaticanis.*

*Si Paphiæ charus fuit & dilectus Adonis,*
*Hæc tam formosa cernitur in statua.*
*Sat tibi defletus, satis Inclamatus Amator,*
*Te sensere Venus, tartara surda licet.*
*Si nemorum Diuæ Hippolytus dimissus ab orco,*
*Victrici, an Diuum tentus Adonis erit.*
*Iam tibi lætandum Polycleti ò Cypria Adonim,*
*Quem mors surripuit, reddidit ecce manus.*

È GRAECO.

*Vmbrosæ huic platano fessus requiesce uiator,*
*Cui Zephyri lenis dimouet aura comas.*
*Hic me Nicagoras clarum sacrauerat Hermem*
*Maiæ custodem fructiferentis agri.*

È GRAECO.

*Iustior ipse fuit Neptunus Pallade iudex,*
*Iudicium & Danaum decreuit pontus iniquum.*
*Littoribus clamat clypeus, pulsatq; sepulchrum,*
*Scutiferum dicens dignum te te euocat ipsum,*
*Surge Aiax retines clypeum Telamonie Achillis.*

DE PASIPHAE. E GRAECO.

*Me mugire doce, docuisti ut amare uagantem*
*Taurum amor, ut sponsum blandius ipsa uocem.*

DE AVRORA ET CEPHALO.

*Quum raperet Cephalum in bigis sub sole nitenti*
*Diua rubicundis undique tincta rosis*
*Oscula adoratum insigens redolentia nectar*

*Captiuum haud poterat conciliare uirum.*
*Ardet enim Procrin, Procrin suspirat, & illam,*
*Quam cœlum mauult, ambrosiam, atque Deas.*

E' GRAECO.

*Virgineo captus laqueo Trasibulus anhelat,*
*Vt delphin sitiens littore anhelat aquam.*
*Nam neq; falx Persei iam tincta cruore Medusæ,*
*Quo detentus amat scindere rete potest.*

E' GRAECO.

*Palladis arbor ego Bromij quid me opprimis arbor,*
*Aebria tolle manus, sobria Virgo ego sum.*

E' GRAECO.

*Prodita ab igne fui iam argentea imago, tuasq;*
*Quum tetigi palmas, aurea facta fui.*
*Sic inter Charites numerato Leontion, arte est*
*Altera nam Pallas, & specie ipsa Venus.*

DE APOLLINE ET PHAETONTE.

*Vidit ut extinctum multo sol fulmine natum,*
*Obnubit uultus, illachrymatq; suos.*
*Dixit & ô fili, mea te indulgentia, amorq;*
*Perdit, & effrenes dum spatiantur equi.*
*Tunc ira accensus stimulatq;, feritq; iugales,*
*Illi indignantes uix patiuntur Herum.*
*Nunc autem, flammam ardentem, et Phaetōthe perusto*
*Conceptum patulis naribus ore uomunt.*

E' GRAECO.

*Diua tibi hanc nemorum, & muliebris Delia sexus,*

*Vnam nos ternæ texuimus tunicam.*
*Circa Meandri sinuosa fluenta puellas*
*Cantantes Eicie docta animauit acu.*
*Artificiq́; manu flaua Antiniana propinquam*
*Fluminis ad leuum casmon operata latus.*
*Dodrantem effinxit dextros prope Bition imbres,*
*Vltima digressu, prima sed ingenio.*

E' GRAECO.

*Carmine arundineo non inferiora canentem,*
*Attritum & cursu temporis hunc radium.*
*Et grauidum penso fusum, digitosq́; terentem,*
*Et buxo, atq; indo dente colum nitidam.*
*Et calathum e uincis textum, quem lana repleuit.*
*Pectine dentato dilaniata graui.*
*Virgo tibi cultrix artis Pallantias offert*
*Munus egestatis hoc anus Arsione.*

IN FONTEM VIRGINIS IN
*hortis Iulij III. Pont.*

*Huc ueniens taceas, hic Cypria lassula dormit,*
*Alludunt blando murmure Nereides.*
*Sola licet secura cubat non numine tantum,*
*Sed uigili cura Principis & studio.*

E' GRAECO.

*Gratia in exiguis splendet, Diuumq́; hominumq́;*
*Ipse triumphator corpore paruus Amor.*

E' GRAECO.

*Claude Deus magni ualidissima limina olympi,*
*Sacram arcem serua Iuppiter ætheream.*

*Iam*

Iam mare, iam tellus, bastæ est subiecta Quiritum,
Restat inaccessi callis ad astra poli.

ALLVSIO IN POTENTIAM Romanorum Pontificum.

Quid iuuat æternas portas septemplice uallo
Arcis inaccessæ iam posuisse Iouem?
Excubias uigiles, tot monstra, tot arma, tot ignes,
Fulminis horrificis intrepuisse minis,
Roma tamen non arma timet, nec monstra, nec ignes,
Sed penetrat uetiti deuia & astra poli.
Quodq; magis mirum, Romana colonia cœlum est:
Nunc stygys in baratro ius quoq; Roma tenet.
Iam bello, nunc pace potens, tellure, mari iam,
Nunc: tellure, mari, cœlo, acheronte potest.

DE CHARONTE ET PHAETONTHE.

Venerat horribilem Phaethon combustus ad orcum,
Tranare infernam dum rate & instat aquam.
Te ne uebam ipse Charon puer ò temerarie dixit:
Cuius ab igne mea est pene cremata ratis?
Cui puer, immo uehes, & bis, bis fata subiui
Saucius, & mersus, fulmine, & Eridano.

E GRAECO.

Semitæ utrique adsum custos uigil ipse Priapus,
Arrectum fustem semper habens femorum.
Me posuit fidum tali arte Theocritus, at tu
Ne fusle hoc cæsus fur lachrymeris, abi

E GRAECO.

*Hic ego Mercurius uentoso erectus in horto*
*Aequoris undisoni littoris in triuio.*
*Quum sitis, atque aestus te lassauere uiator,*
*Hoc fonte è gelido pellis utrumq; bibens.*

E GRAECO.

*Aduersum uolucrem uolucri percussit Amorem*
*Arcum arcu ulciscens, atque domans Nemesis.*
*Vt ferat ille audax, quae iam imperterritus egit,*
*Vt spicula exhausit, luget amara Puer.*
*Ter spuit in pectus, rerum ò miracula, flammam*
*Vrit flamma, hostis factus Amoris Amor.*

E GRAECO.

*Atque ego Acidaliae sanguis, fratri alma creatrix*
*Arcum, alas, portem tela inimica iubet.*

E GRAECO.

*Non mea sunt spolia haec, quis enim suspendit ab alto*
*Ingratam Chariteni, dona nec apta mihi?*
*Non fractae hae cristae, concussa basilia nec sunt,*
*Scutaq; nec pendent sanguinolenta tholo.*
*Tota uerecundo facies mihi tincta colore,*
*Irrigat & pectus sudor ab ore fluens.*
*Porticus, hisq; aulae niteant insignibus armis,*
*Et thalamum exornat sponsa pudica suum.*
*Nanq; hastae infractae, clypeiq; cruore madentes,*
*His oblectamur, martia templa decent.*

QVOS VTIQVE DICERET SERmones Meleager sacrificaturus Ioui boue & mugiente.

Bos ipse ante aras supplex emugit olympi
O Rector, credens soluere posse animam.
A nece aratorem soluas Saturnie, nam tu
Dum uehis Europam per mare, Bos fueras.

E GRAECO.

Iam Græci unanimes tumidi uictricibus armis
Roboris hoc munus nobile Martis opus.
Post Persas uictos pro libertate tuenda
Seruatori aram constituere Ioui.

E GRAECO.

Montibus impositos montes, iam Pelion Ossæ
Ossan & Olympo, anceps rettulit historia.
Et nunc pyramides phariæ tum frontibus altis
Aurea sustentant sydera Pleiadum.

DE CVPIDINE VENERE ET DIANA.

Aurea plorantem Venus ut conspexit Amorem,
Extinctasq; faces, telaq; fracta procul,
Indoluit, causamq; petens incusat inermem,
Cui singultanti rettulit ore Puer.
Non doleam? iacula atque ignem uiolenta Diana,
Pressit enim hunc pedibus, fregit & hæc manibus.
Meq;, measq; nates feriens maiora minata est;
Quod me tentasti, hæc improbe dixit, habe.
Cui genitrix, Dyctinna suo sub pectore clausit;

*Nympha loci istius, paulum reticete, quiescit.*
*Luctatis casta, siue natatis aqua.*

E' GRAECO.

*Qui colis horrisonum æquoreis hoc fluctibus antrum*
*Muscosum, & mergis saxa adamata tuis.*
*Accipe Atlantiade salsugine lina sagenæ*
*Trita super littus retia, tum laqueos.*
*Et nassam, & suber signum iactusq;, plagæq;,*
*Squallentis flauas reliquias domini.*
*Et ligulam iunctam è setis, hamosq; cruentos,*
*Dona paludosis non sine arundinibus.*

E' GRAECO.

*Quis molem hanc cyclops celsis æquauerit astris*
*Aemulus Assyriæ quippe Semiramidis.*
*Aut quales terræ nati extruxere gigantes*
*Eductam ad septem sydera Pleiadum.*
*Immotam similemq; & atho, quis uellere posset*
*Compactum terræ non tolerantis opus?*

DE CVPIDINE ET VENERE.

*Nudus Acidalys Amor excerpebat in hortis*
*Pallentes uiolas, purpureasq; rosas.*
*Implicitam uepres dextram læsere legentis,*
*Indoluit, uulnus sensit ut ipse puer.*
*Illachrymans matri ostentat plagam, atque cruorem,*
*En & ait, spinis quæ fero dona tuis.*
*Cui genitrix, quæ non mortalia uulnera ab arcu*
*Sæpe tuo patior fabula facta Deis?*

SERMONES QVOS DICERE *possent Helena pugnantibus Menelao & Paride.*

E GRAECO.

*Europæ atque Asiæ Reges certamine fortes*
*Ferri acies uobis læthaliter instat, & urget,*
*Quis uestrum tolerans miserã uir me ense receptet*
*Iudicet altitonans Pater, at sine Cypride, rursum*
*Ne me alius rapiat thalami fur, turpe Pelasgis.*

E GRAECO.

*Dic tu, hæc qui curas, quis nã hunc cõstruxerit amnẽ?*
*Balneum & hunc fontem dixerit esse, refer.*
*Aeolus Hippotades diuis gratissimus ipsis,*
*Hos secum uentos detulit huc ueniens.*
*Quid tabulæ pedibus subiectæ stantibus istæ?*
*Non æstus causa, sed niuis iste locus.*
*Frigoris e gelidi, & Phrixi in medio axe, sed intus*
*Flat Boreas, gelidis scribe, lauatur aquis.*

E GRAECO.

*Aestate atque hyeme oblecto, glacie, atque calore,*
*Ex memet reliquum temporis efficio.*

IN ARAGNEM.

*Quid lauro sacræ suspendis aranea casses*
*Visceráq; in tenues euomis insidias.*
*Arte licet mira texis sub tegmina in orbem,*
*Lanigera cælans fertilitate dolos.*
*In uanum manicas nectis, pedicasq; puellæ,*
*Quæ Phœbum effugit stulta tenere putas.*

E GRAECO.

*Magnum istud telum, quod præ tentigine totum*
*Exeris, & rigidum magne Priape tuum.*
*Commodum ad instantemq́. hymenea, libido puellæ*
*Titillat, tu autem promptior ad Venerem.*
*Sed tibi mitescat tanti indignatio pœnis,*
*Florenti & telum contege ueste tua.*
*Montis inaccessi nec enim incola, littus ad Helles*
*Sortitus sacram Lampsacon ipse colis.*

IN FONTEM VIRGINIS IN *hortis Iulij Tertij Pont. Max.*

*Quæ pedibus liquidis uitreas percurritis undas,*
*Atque susurratis carmine dulcisono.*
*Nympha loci ò Nymphæ hic dormit, uos parcite somnũ*
*Rumpere dum blandæ luditis, & canitis.*

E' GRAECO.

*Sobria uel fias amathisti, uel ebria mecum,*
*Vini ego nam uehemens sum Dionysus amans.*

E' GRAECO.

*Aut æs intrauit satyrus, quem cernis, adactum*
*Aut arte æs, satyro compositumq́; fuit.*

E' GRAECO.

*Corpore fœdato & lacero suspensus ad auras*
*Appendes pini frondibus ipse miser.*
*In Phœbum impari li pugna temerarius audes*
*Ire, celenitin rupem habitans satyre.*
*Amplius haud Nymphas cantu mulcebis auenæ*
*Dulcisonæ, ut solitus montibus in Phrygijs.*

DE APOLLINE ET MOMO.

Quum rigide blandus Daphne iactaret amator
Se Deus atque suas, certaq; tela manus:
Sic est, Momus ait, testare cruenta Choroni
Tela cruentatas tuq; Hyacinte manus.

E GRAECO.

Insunt argiuas certamina sacra per urbes
Bina Ioui, & Phœbo, bina quoque Archemoro,
Et Melicerta tibi totidem sunt præmia honoris,
Palladiæ frondes, poma, apium, picea.

E GRAECO.

Posse peti cœlum monstrat dicione Philippus,
Cui mare, cui tellus suppofuere caput.
Aeratas occlude fores, & mœnia olympi
Rex firma, ad cœlum sola relicta uia est.

E GRAECO.

DE SICINIO DENTATO.

Calliope pascentis apes Heliconis Homerum
Ede alium facunda, alter quia uenit Achilles.

E GRAECO.

Magnanima ut uidit tercentum in morte natantes
Iam Lacedemonios, rettulit ista Charon.
O Spartana cohors uestra omnia uulnera forti
Fixa inhiant solo pectore pugna manet.
Gens inuicta armis, nec adhuc saturata labore,
Et pace, & somno nunc requiesce meo.

DE EGERIA NYMPHA.

Pone tuas lacbrymas, nec enim Numa fletibus ullis,

Nec prece, letheo tollet ab amne caput.
Nec finem faciebat adhuc pia Nympha dolori
Cum uersa in tristes est Dea fontis aquas.
Prospice, si Egeria exarsit iam corde maritum,
Murmure adhuc uiuo mortua nam lachrymat.

E GRAECO.

Quid Paphiam excrucians uexas Tritonia uirgo?
Munus enim immerito surripis ipsa meum.
Iudicio Paridis non tu, sed pulchra Cythere
Illa fui Ideis, si memor, in scopulis.
Hasta tua, & scutum, at pomum mihi debet, & isto
Malo illud bellum, quod fuit ante satis.

IN FORMOSAM NATANTEM IN NILO.

E GRAECO.

Viderat in Nilo nudam Venus alma puellam
Membra lauaturam candidiora niue.
Heu ait ingeminans guttis cælestibus absque,
Et sine diuino semine partum alium.
Aemulus undisoni Nilus temerarius alti,
E dulci emisit gurgite Acidalium.

E GRAECO.

In pretio Danais locus hic, qui uulnus haberet,
Pœonia adductum rettulit arte breui.
Ipse domo exornor, merces mihi redditur una,
Dicar ut à cunctis termæ Agamemnoniæ.

E GRAECO.

Hos Melicerta tibi, et Glauco, Samothracibus & Dis,

Et Nereo, atque Ino, Rex maris atque tibi.
Seruatus pelago lucillius offero crines,
De capite euellens, cætera pontus habet.

AD MORTEM DIALOGVS.

O Mors, me ne uocas? uoco te, quid me expetis? adsum,
Mi succurre, cremor, quis cremat? acer Amor.
Quid uis? suppetias, quales? mea stamina soluas,
Sæpe quidem soluo: nescio, corda pete.
Cor ne necem pateris? patior, sed morte resurgo.
Igne obeo ut phœnix, igne resurgo recens.

E GRAECO.

Quæ colitis montes Nymphæ, & qui diligis antra
Pan, satyriq;, sacræ denique Amadriades.
Ecce canes uobis Marcus suspendit, & hastas,
Postquam hastis potuit nil capere, & canibus.

E GRAECO.

Somne soana Diconis Achantion hic sacer urges saona
Ne iustos unquam dicito morte mori.

E GRAECO.

Suscipe terra senem gratissima Amynthicon in te,
Promeritumq; tuo contege amata sinu.
Nanq; tibi faustæ truncum obfirmauit oliuæ,
Vitibus ornauit teq; racemiferis.
Impleuit Cerere & sulcos, lymphisq; rigauit,
Illius ut studio culta feraxq; fores.
Quare & tu mitis esto in canentibus annis,
Veris opes fundas & monumenta super.

IN STATVAM ADONIDIS

In hortis Vaticanis.

Si Paphiæ charus fuit & dilectus Adonis,
 Hæc tam formosa cernitur in statua.
Sat tibi defletus, satis Inclamatus Amator,
 Te sensere Venus, tartara surda licet.
Si nemorum Diuæ Hippolytus dimissus ab orco,
 Victrici, an Diuum tentus Adonis erit.
Iam tibi lætandum Polycleti ò Cypria Adonim,
 Quem mors surripuit, reddidit ecce manus.

E' GRAECO.

Vmbrosæ huic platano fessus requiesce uiator,
 Cui Zephyri lenis dimouet aura comas.
Hic me Nicagoras clarum sacrauerat Hermem
 Maiæ custodem fructiferentis agri.

E' GRAECO.

Iustior ipse fuit Neptunus Pallade iudex,
 Iudicium & Danaum decreuit pontus iniquum.
 Littoribus clamat clypeus, pulsatq; sepulchrum,
 Scutiferum dicens dignum te te euocat ipsum,
 Surge Aiax retines clypeum Telamonie Achillis.

DE PASIPHAE. E GRAECO.

Me mugire doce, docuisti ut amare uagantem
 Taurum amor, ut sponsum blandius ipsa uocem.

DE AVRORA ET CEPHALO.

Quum raperet Cephalum in bigis sub sole nitenti
 Diua rubicundis undique tincta rosis
Oscula adoratum insigens redolentia nectar

Captiuum haud poterat conciliare uirum.
Ardet enim Procrin, Procrin suspirat, & illam,
Quam cœlum mauult, ambrosiam, atque Deas.

E' GRAECO.

Virgineo captus laqueo Trasibulus anhelat,
Vt delphin sitiens littore anhelat aquam.
Nam neq; falx Persei iam tincta cruore Medusæ,
Quo detentus amat scindere rete potest.

E' GRAECO.

Palladis arbor ego Bromij quid me opprimis arbor,
Aebria tolle manus, sobria Virgo ego sum.

E' GRAECO.

Prodita ab igne fui iam argentea imago, tuasq;
Qũum tetigi palmas, aurea facta fui.
Sic inter Charites numerato Leontion, arte est
Altera nam Pallas, & specie ipsa Venus.

DE APOLLINE ET PHAETONTE.

Vidit ut extinctum multo sol fulmine natum,
Obnubit uultus, illachrymatq; suos.
Dixit & ò fili, mea te indulgentia, amorq;
Perdit, & effrenes dum spatiantur equi.
Tunc ira accensus stimulatq;, feritq; iugales,
Illi indignantes uix patiuntur Herum.
Nunc autem, flammam ardentem, et Phaetõthe perusto
Conceptum patulis naribus ore uomunt.

E' GRAECO.

Diua tibi hanc nemorum, & muliebris Delia sexus,

*Vnam nos ternæ texuimus tunicam.*
*Circa Meandri sinuosa fluenta puellas*
*Cantantes Bicie docta animauit acu.*
*Artificiq; manu flaua Antiniana propinquam*
*Fluminis ad leuum casmon operata latus.*
*Dodrantem effinxit dextros prope Bition imbres,*
*Vltima digressu, prima sed ingenio.*

E' GRAECO.

*Carmine arundineo non inferiora canentem,*
*Attritum & cursu temporis hunc radium.*
*Et grauidum penso fusum, digitosq; terentem,*
*Et buxo, atq; indo dente colum nitidam.*
*Et calathum e uincis textum, quem lana repleuit.*
*Pectine dentato dilaniata graui.*
*Virgo tibi cultrix artis Pallantias offert*
*Munus egestatis hoc anus Arsione.*

IN FONTEM VIRGINIS IN *hortis Iulij III. Pont.*

*Huc ueniens taceas, hic Cypria lassula dormit,*
*Alludunt blando murmure Nereides.*
*Sola licet secura cubat non numine tantum,*
*Sed uigili cura Principis & studio.*

E' GRAECO.

*Gratia in exiguis splendet, Diuumq; hominumq;*
*Ipse triumphator corpore paruus Amor.*

E' GRAECO.

*Claude Deus magni ualidissima limina olympi,*
*Sacram arcem serua Iuppiter ætheream.*

*Iam*

*Iam mare, iam tellus, bastæ est subiecta Quiritum,*
*Restat inacessi callis ad astra poli.*

ALLVSIO IN POTENTIAM
*Romanorum Pontificum.*

*Quid iuuat æternas portas septemplice uallo*
*Arcis inaccessæ iam posuisse Iouem?*
*Excubias uigiles, tot monstra, tot arma, tot ignes,*
*Fulminis horrificis intrepuisse minis,*
*Roma tamen non arma timet, nec monstra, nec ignes,*
*Sed penetrat uetiti deuia & astra poli.*
*Quodq; magis mirum, Romana colonia cœlum est:*
*Nunc stygys in baratro ius quoq; Roma tenet.*
*Iam bello, nunc pace potens, tellure, mari iam,*
*Nunc tellure, mari, cœlo, acheronte potest.*

DE CHARONTE ET
PHAETONTHE.

*Venerat horribilem Phaethon combustus ad orcum,*
*Tranare infernam dum rate & instat aquam.*
*Te ne uehbam ipse Charon puer ò temerarie dixit,*
*Cuius ab igne mea est penè cremata ratis?*
*Cui puer, immo uehes, & bis, bis fata subiui*
*Saucius, & mersus, fulmine, & Eridano.*

E GRAECO.

*Semitæ utrique adsum custos uigil ipse Priapus,*
*Arrectum fustem semper habens femorum.*
*Me posuit fidum tali arte Theocritus, at tu*
*Ne fuste hoc cæsus fur lachrymeris, abi*

E GRAECO.

*Hic ego Mercurius uentoso erectus in horto*
*Aequoris undisoni littoris in triuio.*
*Quum sitis, atque aestus te lassauere uiator,*
*Hoc fonte e gelido pellis utrumq; bibens*

E GRAECO.

*Aduersum uolucrem uolucri percussit Amorem*
*Arcum arcu ulciscens, atque domans Nemesis.*
*Vt ferat ille audax, quae iam imperterritus egit,*
*Vt spicula exhausit, luget amara Puer.*
*Ter spuit in pectus, rerum o miracula, flammam*
*Vrit flamma, hostis factus Amoris Amor.*

E GRAECO.

*Atque ego Acidaliae sanguis, fratri alma creatrix*
*Arcum, alas, portem tela inimica iubet.*

E GRAECO.

*Non mea sunt spolia haec, quis enim suspendit ab alto*
*Ingratam Chariten, dona nec apta mihi?*
*Non fractae hae cristae, concussa hastilia nec sunt,*
*Scutaq; nec pendent sanguinolenta tholo.*
*Tota uerecundo facies mihi tincta colore,*
*Irrigat & pectus sudor ab ore fluens.*
*Porticus, hisq; aulae niteant insignibus armis,*
*Et thalamum exornat sponsa pudica suum.*
*Nanq; hastae infractae, clypeiq; cruore madentes,*
*His oblectamur, martia templa decent.*

QVOS VTIQVE DICERET SERmones Meleager sacrificaturus Ioui boue & mugiente.

Bos ipse ante aras supplex emugit olympi
O Rector, credens soluere posse animam.
A nece aratorem soluas Saturnie, nam tu
Dum uehis Europam per mare, Bos fueras.

E GRAECO.

Iam Græci unanimes tumidi uictricibus armis
Roboris hoc munus nobile Martis opus.
Post Persas uictos pro libertate tuenda
Seruatori aram constituere Ioui.

E GRAECO.

Montibus impositos montes, iam Pelion Ossæ
Ossan & Olympo, anceps rettulit historia.
Et nunc pyramides phariæ tum frontibus altis
Aurea sustentant sydera Pleiadum.

DE CVPIDINE VENERE ET DIANA.

Aurea plorantem Venus ut conspexit Amorem,
Extinctasq; faces, telaq; fracta procul,
Indoluit, causamq; petens incusat inermem,
Cui singultanti rettulit ore Puer.
Non da eam? iacula atque ignem uiolenta Diana,
Pressit enim hunc pedibus, fregit & hæc manibus.
Meq; measq; nates feriens maiora minata est,
Quod me tentasti, hæc improbe dixit, habe.
Cui genitrix, Dyctinna suo sub pectore clausit,

Et silicem, & calybem nec tua tela timet.
Filius huic ferro ferrum non obstat Amoris,
Et silice è dura truditur ignis edax.
Nate audax à te gemina est superata Diana,
Et gemina è triplici debuit esse sats.

E' GRAECO.

Arcus ubi Diana tuus? pendensq; pharetra,
Fibulaq; ex auro, peplum & ad usque pedes?
Venor ubi, bis ornor; sed nunc ad sacra propinquo,
Tali habitu positis perfruar ut dapibus.

E' GRAECO.

Bis duo sunt, sertum tenet hic genitricis, amores,
Ad fontem hic mammæ pulchra labella mouet.
Et gemini ad plantas ludunt, femoriq; propinqua
Chlena tegit, nudæ cætera sunt Veneris.

IN FONTEM VIRGINIS IN hortis Iulij III. Pont.

Ne me uexato, sum lassa puella quiescens,
Iulius errantem repperit, hicq; locat.
Vt sim Virginei fontis custodia Virgo,
Montia Nympha uocor, quæ Charis una fui.

E GRAECO.

Quare Amor est factus sartago, dic mihi Plastes?
Non temere, ipsa urit, sæuus ut urit Amor.

E' GRAECO.

Compotatores hilari libemus Iaccho,
Pellamus curas mortiferas cyathis.
Frumentum Cereri prædurus tradat agrestis;

Pullatæ matris semina Persephones.
Magna superbarum cœnarum uiscera tauri
Danda feris, necnon crudiuoris auibus.
Ossa quoque æquoreæ gentis, quæ dente timenda est
Cædant his, quibus est nox mage amica die.
Vsque beans uinum nos nobis & cibus & sit
Potus, enim ambrosiam tentet habere alius.

IN STATVAM VENERIS.

Si tam pulchra fuit placido quæ exorta profundo,
Siccat ubi auratas Cypria sole comas.
Quam cœlo artifici candenti e marmore imago
Ducta, meos sensus hæc rapit, atque cremat.
Non mirum si Mars tulit ænea uincla libenter,
Troicus atque Heros tela trisulca Iouis,
Si tua muta Icon ferit hæc, si saxea adurit,
Quid facies in nos Cypria uiua loquens?

IMITATIO GRAECI EPIGR.

Exorti hic Thebis ambo natiq; Tonantis,
Virtute inuicti, dignus uterq; Ioue.
Tympano, & insignis tyrso hic, uicto iste leone,
Indomita & claua, numine uterq; pari.
Exagitati ambo sœuæ Iunonis ob iram
Vicerunt Reges, imperia, atque Deos.
Ambo triumphantes, uictores orbis, & orci,
Emerita ad cœli præmia ab igne uolant.

E GRAECO.

Fronte hilari cape Bacche cadum, portator inanem,
Quem Zenophon tradit, tantū habet hūc Zenophon.

E' GRAECO.

*Quum nil optineat reliquum, dat inane Lyeo,*
*Aebrius hoc Zenophon, suscipe doliolum.*

ALITER.

*Suscipe Bacche tuus placide quem sacrat am[illegible]us,*
*Id quod habet Zenophon munus inane cadum.*

AD LECTOREM.

*Aedifica in patria Boreas ubi nullus & imber,*
*Conde ubi nec furto diripiuntur opes.*
*Hospicium est tellus, caelum patria unica; nostrum*
*Et regnum, & certae quaeq; parantur opes.*
*Desipere est, solem in tenebras mutare, perenne*
*Regnum in uile solum, patriam in hospicium.*

E' GRAECO.

*Ad nemora approperans ades huc umbrosa Viator*
*Fesse labore uago, membra quiete iuua.*
*Hic platani in medio gelidis argenteus undis,*
*Nescio quid blandum fons fluit ore sonans.*
*Purpureaq; super redolent tellure nitentes*
*Hic uiolae immixtis Idalijsq; rosis.*
*Rosciduli campus prati hic, hederaeq; sequaces*
*Effusis pendent, illaqueantq; comis.*
*Florentem hic ripam lambit placidissimus amnis*
*Abradens nemoris leniter ipse pedes.*
*Nomen Eros, locus iste alio non dignus honore est,*
*Hic habitant Charites, hic quoque dulcis Amor.*

E' GRAECO.

*Ipse hortis, & aquis, & saltibus, & Dionyso,*

*Vicini illicio repleor atque maris.*
*Grata mihi est tellus, de ponto est alter, & alter*
*Piscator, qui mi donat, & agricola.*
*Quiq; manet mecum solatur carmine dulci*
*Aut uolucris recinens, uel mare nauta secans.*

DE VENERE ET APOLLINE.

*Extinctum preciosa Venus plorabat Adonim,*
*Quum super accessit pulcher Apollo, & ait*
*Vna soror te cura angit, me bina remordet,*
*Vsque adeo, lætus sim licet, ut doleam.*
*Chari inquam mecum semper uiuetis Amores.*
*Dura nimis Daphne, fauste Hyacinte parum.*

E' GRAECO.

*Viceris unde Venus mali sum certus agonem,*
*Vnde & Alexander fauerit ipse tibi.*
*Hic te lauisti, poterat bene regia Iuno*
*Spernier Inachijs lota recenter aquis.*
*Balnea uicerunt, quæ dicere ipsa Mineruæ,*
*Non Paphia, at nitidæ nos superamus aquæ.*

IN FONTEM VIRGINIS IN
*hortis Iulij III. Pont. Max.*

*Hic se se lauit nitidis Venus aurea in undis,*
*Quum uicit Diuas lotaq; & una duas.*

E' GRAECO.

*Cypria pacis amans, tedarum, & mater amorum*
*Aligerum, & iustis Cypria fida comes.*
*Cypria diuulsum thalami me ab limine chari,*
*Alpinis niuibus frigidiorem animam.*

*Cypria me tacitum serua, nec uana loquentem,*
*Iactatumq; tuo purpureo ipsa mari.*
*Cypria quæ portum, quæ diligis orgya, iam mi*
*Cypria da portus romuleos Domina.*

E' GRAECO IN LAVACRVM.

*Non minus hoc Iuno & Cypris, Pallasq; lauacrum*
*Quam malum optarunt aureum habuisse Deæ.*
*Et iudex fortasse fuisset non Paris istis*
*Decreta hic nitidis forma fuisset aquis.*

E' GRAECO.

*Gratia inest paruis, ne paruis esto molestus,*
*Cypridis & Natus corpore paruus erat.*

DE BATTO.

*Battus auaritiæ exemplar uaccam atque iuuencam*
*Dum cupit, & uitam perdit, & effigiem.*
*Proditor hic fidei, & diuum mutatur auarum*
*A Dis dans pœnas, ex homine in lapidem.*

E' GRAECO.

*Lotæ hic sunt Charites, una estq; relicta lauacro*
*Gratia, ut e membris luceat unda magis.*

E' GRAECO.

*Deliciæ hoc Charitum ipsarum, ludusq; lauacrum est,*
*Quum tantum possint ludere in hoc Charites.*

E' GRAECO.

*Balneum inest Charitū hoc uere, quæ causa? quod istud*
*Tres tantum admittit, plus quoque nec capiat.*

E GRAECO IN BALNEVM.

*Quis mihi fidus erit custos, & ianitor huius,*

*Tempora qui noscat balnei, & introitum.*
*Ne quam Naiadum uernanti corpore nudam,*
*Cumq; choro Charitum cernat Acidaliam.*
*Nanque ut Homerus ait, qui non mentitur apertum est*
*Discrimen, nudas uelle uidere Deas.*

E G R A E C O.

*Cypria in auratis & Amor, formosa, sagittis,*
*Et Charites, precium huic contribuere Charin.*

E G R A E C O I N B A L N E V M.

*Hic se nudarunt Charites, & pepla cupido*
*Surripiens abijt paruus, nudasq; relinquit,*
*Nunc sine ueste foras confusæ exire uerentur.*

A D P A N A.

*Tres tibi Pan fratres suprema hæc dona dicarunt,*
*Nota ministerij iam monimenta sui.*
*Retia terna, maris, terræ, aeris, unde beatam*
*Ducebant uitam, Damis, Hylas, Craterus.*

E G R A E C O.

*Ramosum arbustum uiridanti fronde decorum*
*Impositus summo uertice Pan tueor.*
*Si cupis hos botros uentris ratione uiator,*
*Tantum purpureos obsequiosus ero.*
*Si dextra audebis furaci tangere fustem*
*In caput impingam nil miserando grauem.*

E G R A E C O.

*Si tu olera ad nostra accedis prope, protinus omnem*
*Fur te nudabo uestibus ipse tuis.*
*Turpe Deum hoc dices facinus committere, noui*

Turpe, sed hac causa peruigil hic maneo.

DE PHAETHONTE ET CHARONTE.

Iamdudum oraui cursum trasmittere, & omnes
Præter me tristi deuehis amne Charon.
Parce ait ille, in te tantum sese asperat ignis,
Quod cymbam in medijs, meq; cremaret aquis.

E' GRAECO.

Saxum, Rheda, Auriga, & equi, iuga, lora, flagellum.

E' GRAECO.

Quam prius arsisti, uideas Gradiue, Cythere
Se lauat, & uitreis bis natat ecce uadis.
Ne timeas, non est uati male uisa Minerua,
Sed tua, quæ blandis Cypria ludit aquis.

ALLVSIO.

Pone ensem, galeamq; tuam fera prælia mittens,
Mitia bella magis sunt agitanda tibi.
Mars, quam quæris amans, hic se lauat, exuit & se
Nuda, ueni, & liquidas iam Venus intrat aquas.

E' GRAECO.

Horricomo huic Pani, Nymphisq; sonantibus antrum
Sub specula euulsit munus Achemenides.
Intolerando ut te lassum recrearet ab æstu,
Sume manu latices concaua, & ipse bibe.

DE CVPIDINE ET APOLLINE.

Sumpserat auratam positis arcu atque sagittis,
Percussitq; lyram pectine lætus Amor.

*Qualis enim in sylvis Orpheus, & in æquore Arion,*
*Phœbus & in cœlo carmine talis erat.*
*Obstupuere Dei, tenuerunt sydera cursum*
*Atque suos motus uentus, & unda suos.*
*Numina plaudebant, quum plectrum, et spicula Apollo*
*Fregit, & hæc puero rettulit aligero.*
*Tam bene quum ferias iaculis, & pectine pulses,*
*Quid mihi cum pharetra? quid mihi cum Cythara?*

E GRAECO.

*Si iaculatur Amor, non est res mira, sagittas*
*Ardentes oculis si trahit illicibus.*
*Ardet amans Martem, Vulcano & amata marito*
*Mater, & hic flammas tractat, hic arma Deus.*
*Orta mari est genitrix, quod remus, & asperat Eurus*
*Progeniem, atque patrem dicere nemo potest.*
*Tela igitur Mauors, & flammas Mulciber, iram*
*Deq; flagellatis dat mare semper aquis.*

ALITER.

*Ignea quid mirum, si tractas arma Cupido?*
*Si rides blandis insidiose oculis.*
*Non ne parens Martem stringentem tela perurit?*
*Non ne tuus flammas Victricus ater amat?*
*Et mare uexatum uentis est matris origo,*
*Incertumq; tibi est & genus & genitor.*
*Hac ratione ignem Vulcanus, Pontus & iram;*
*Et Mars arma tibi sanguinolenta dedit.*

ALITER.

*Non magnum si ridet Amor, ferit, urit & una,*

Huic sunt affines, flamma, mare, & iacula.
Vulcanus coniux, Gradiuus matris amator,
Nata mari est genitrix nequitiosa Venus.
Dat mare sœuitiam, Mars tela intincta cruore,
Blanditias genitrix, Mulciber ipse faces.

ALITER.

Iram, tela, faces, risus amat ipse Cupido,
Quatuor ista uni contribuere Dei.
Spicula matris amans Mars, ignem uictricus, iram
Sœuum æquor, risum deliciosa Venus.

DE VENERE PICTA INTER Cupidinem, & focum.

Sic placeas Cytherea tuo pulcherrima Marti,
Dic, rogo, cur tenui ueste recincta manes?
Hic uir, hic natus media inter utrumq; calesco,
Suscitat hic flammas, uentilat iste faces.

E GRAECO IN HOROLOGIVM.

Artifices resecant bis senis partibus isti
Cursum, quem properant hic Phaetontbis equi.
E tellure polum petijt prudentia; per quam
Solis iter librant, & moderantur aquæ

IN FONTEM VIRGINIS IN hortis Iulij III. Pont. Max.

Vna fui e numero Oreadum iuga rustica liqui
Aurati huc colles, & Domini aura trahit.
Mi sopor irrepsit, dum fons hic murmurat. Hospes
Sta, bibe, te'q; laua, tum requiesce silens.

E GRAECO.

Si quod fert, te fert, patiare, ferere ferendo,
Si indignare, feret te quoque cuncta ferens.

E' GRAECO.

Cypri quid hasta tibi, quis tristia detulit arma?
Vanus homo, impatiens nanq; laboris eras.
Tela tua haec, dulces quibus oblectaris amores,
Et crocalum sonitus, molliculiq; tori.
Belligerae arma tuae tu linque cruenta Sorori,
Vincere quum solita es nuda, quid arma geris?

IN THELCHINES.

Hei mihi quid uidi, non sunt insomnia, uidi
Nocte sub illustri Demonas horrificos.
Thelchines Raziel uocat, & Zoroaster, & audax,
Quae facit infernos turba timere Deos.
Hi manibus diros immo ex Acheronte ferebant,
Et stygis infectos, mortiferosq; lacus.
Atque uenenata terram sparsere palude,
Et mala cuncta illis exoriuntur aquis.
Quae genus humanum affligant, lacerantq;, necantq;,
Testis ego, atque meus pallor, & horror erit.

E' GRAECO.

Erectum non me in plantas, stantemq; Priapum,
In genua at pronum fixit Anaxagoras.
Philomacus finxit quum sit Charis una propinqua
Pulchra hic, ne quaeras quomodo conciderim.

IN FONTEM VIRGINIS IN hortis Iulij Tertij Pont. Max.

Qui uenis huc sitiens lassus requiesce Viator.

*Ad fontem, & riuum suaue fluentis aquæ.*
*Nam tibi consuluit Princeps, qui consulit orbi,*
*Montia Diua loci tuta cubando docet.*

E GRAECO.

*Extinctam assuetum funale accendere lychnum*
*Saturni e iunco compositum tenui.*
*Fert dono Antipatrus Pisoni, si orat, adibo*
*Lumina succendens usque Dei ad faciem.*

E GRAECO.

*Etsi te iactas seruum non esse maritæ,*
*Falsum est, uir nullus mundus ab hac macula,*
*Non in me iactat dicis sandalia nostros*
*Non infigit acu sobria nupta oculos.*
*Dic seruire minus, leuiori & fasce grauari,*
*E quercu, & saxis nascere, liber eris.*

IN STATVAM PALLADIS.

*Nescio si ficta, an genita es Tritonia uirgo,*
*Omnia sunt miris assimilata modis.*
*Hoc etiam dubito, si fallo, an fallor ab arte*
*Vulcani an dicar illa, uel illa Iouis.*
*Nam qualem uoluit, potuit me ducere cœlo,*
*Artificiq; manu Lemnius ipse faber.*
*Verum ego sum mendax Pallas sub imagine uiua,*
*Indubiam faciunt uerba aliena fidem.*
*Sed cuius loqueris tam culto ex ore, Valesi,*
*Non alio poteras doctius ore loqui.*

E GRAECO.

*Euersori orbis posuit quis pegmata Marti,*

Aureolasq; uuas, purpureasq; rosas?

Non mihi sed Nymphis dentur sine sanguine honores,

Sola decent aras dona cruenta meas.

IN FONTEM VIRGINIS IN
hortis Iulij Tertij Pont. Max.

Huc Dyctinna ueni uenatu fessa quietem

Si cupis & dulci pellere fonte sitim.

Virgineo poteris secura in fonte lauari,

Testatur recubans Iulia Nympha loci.

E GRAECO.

Sculptorem plumbum, quo regula nigra reperta est,

Scripturæ ut rectum littera pergat iter.

Ferrum & edens calamos paruum, ne linea oberret,

Atque ducem canonem tramite de facili.

Atque leuem lapidem, exacuens qui exornat utrumq;

Ore paludosis dentem in arundinibus.

Pontiuagi tum Tritonis lectum, atque cubile

Spongiam, ut errantes deleat ipsa notas.

Subtili & cistam, raro & de uimine habentem,

Quæ modo dictarunt organa Pierides.

Dedicat Hermeti longæuos munus ab annos

Dudum oculis lassus, Callimanesq; manu.

E GRAECO.

Flauicomo Pani Theodorus munera Nymphis,

Hæcq; cicutisonis obtulit Eonomus.

Sole laborantem, atque siti iuuere, ferentes

Mellifluas manibus, quas capiebat, aquas.

E GRAECO.

Quid mihi das uitio, nostrum si est inguen apertum?
Num sua tela Deos tecta tenere uides?
Intueare Iouis manifestum fulminis ignem,
Nec tibi in occulto est Ennosigae tridens.
Marsq; cruentatum, quo fulminat, indicat ensem,
Armigerae & cunctis Pallados hasta patet.
Auspice inauratis Phoebum gaudere sagittis;
Caelatam nec enim Delia fert pharetram.
Non pudet Alciden clauam ostentare trinodem,
Nec uirgam occultam subdolus Archas habet.
Intextos folijs tyrsos & detegit Euan,
Ventilat atq; faces imperiosus Amor.
Hoc insigne meum est, nullum hoc magis utile telum,
Si Superi arma gerunt, nunquid inermis ero.

DE PETRO BEMBO.

Hoc plectrum est Bembi auratum, concedite caelo
Astra, petunt illic, hoc sibi, & ille locum.

DE LEONE GERENTE
Cupidinem.

Dic Leo quis te agitat, premit & tua terga? Cupido,
Cur pharetram posuit factus inermis? amat.
Quo calet igne? tua Veneris, cur blandus aperto
Respicis ore Deum? de Charite ipse loquor.

E GRAECO.

Quae nam Virgo es tu? felix occasio rerum,
Fortunae errantis praeuia & usque comes.
Quis te multiplici, & mira sub imagine finxit?

Lysippi

Lysippi excellens ex sicyone manus.
Quid sphæræ insistis, talariaq; induis? orbem
Permeo, & ut celeres, uentus & aura feror.
Cur dextram armauit falcata nouacula? cunctis
Monstro ego, quod quauis sum mage acuta acie.
Cur ue comæ in frontem uergunt? ut crine capescar
Obuia, cur ue carent posteriora comis?
Vt semel elapsa, & fugiens perniciter unquam
Vllo ne apprehendar post mea terga manu.
Sic me cælauit Plastes, & prodidit arte.
Obuia ego ut capiar, cognita & ut tenear.

IN FONTEM VIRGINIS IN
hortis Iulij III. Pont.

Nympha loci, & fontis cupiebam attollere uultus,
Iulius eduxit Tertius e tenebris.
Dum uaga delitias Domini percurro labore
Fessa cubo ad murmur dulce sonantis aquæ.

E' GRAECO.

Serta, caprum, thyrsos, Nymphis, Pani, atque Lyæo,
Fronde sub umbrosa dat tria dona Biton.
Suscipite hæc hilares Nymphæ, Pan, Nomie, Fontes,
Augete, & capras, & bona uina Dei.

ALITER.

Pani hircum, Nymphisq; rosas, tyrsum Bromioq;,
Dat tria dona Biton fronde sub hac uiridi.
Quare isthæc Diui capite, atque augete, capellas
Pan, Fontes, Nymphæ, lætitiam Bromie.

ALITER.

*Naiades hæc uobis, tibi Pan, tibi Bacche dicauit,*
*Munera terna Biton illice sub uiridi.*
*Pani hircum, thyrsym Baccho, Nymphisq; coronas,*
*Multiplicate greges, uina, fluenta, Dei.*

ALITER.

*Sacrauit Bromio, & Nymphis, Paniq; sub umbra,*
*Thyrsos, serta, caprum, munera terna Biton.*
*Suscipite hæc, Euan, Nymphæ, Pan fronte benigna,*
*Augete & semper gaudia, stagna, gregem.*

ALITER.

*Dona, Biton, Pani, & Nymphis, Bacchoq; sub umbra,*
*Caprum, serta, hastas pampineas posuit.*
*Di capite hæc læti, Pan, Nymphæ, et Bacche, Bitonis,*
*Multiplicate gregem, flumina, lætitiam.*

ALITER.

*Pan quod amas animal, hastas, Dionyse, corollas*
*Nereides, uobis dat tria dona Biton.*
*Suscipite hæc hilares, augete ò Numina, capras*
*Pan, Dionyse merum, flumina Nereides.*

## AD DEOS.

*Vos ò quos coluit pro Dis delusa uetustas*
*Marmora cocta, & humus, ligna, metalla, & ebur,*
*Picturatæ & aues, insecta animalia, pisces,*
*Sidera, uel plantæ, quæue mouentur aquæ,*
*Et uos multiplices Nymphæ, Satyríq; salaces,*
*Corniger Panes, subq; acheronte Duces.*
*Vosq; alij, quos Aegyptus decepta colebat,*
*Et uos Varronis numina uana Dei.*
*Si quis sensus inest, uel si quid numen habetis,*
*Vt carthæ hæ uiuant, & numeri efficite.*
*Si debent morti, saltem defendite, sæuis*
*Ne pereant flammis, ne iugulentur aquis*



ic

# EPIGRAMMATVM FAVSTI SABAEI BRIXIANI, CVSTODIS BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

## Liber Secundus de Heroibus.

### AD HENRICVM REGEM GALLIAE.

*Qui latuere petunt Proceres exire tenebris,*
*Cernere & auricomum, cum Phaethonta pati.*
*Admonui ignaros morum, linguæ, atque pericli,*
*Nanque ex his multi barbara uerba sonant.*
*Da, dixere, Ducem, qui nos tueatur, ametq́;,*
*Qui regat errantes, edoceatq́; rudes.*
*Obtulerim quum te Rex maxime & optime, gaudent,*
*Tecum & festinant stare, habitare, loqui,*
*Ad te tendentes Princeps Heroas, & Heros,*
*Excipe uultu hilari, qua & meruere manu.*

### AD EVNDEM.

*Diuidere hæc poteram nostri monimenta laboris,*
*Et dare diuersis munere Principibus.*
*Qui mihi promerito potuissent tradere honores,*
*Aut aurum, aut uestes, uel preciosa magis.*
*Sed qui usque ad cineres ulli se sacrat, ob illum*
*Maxima lucra putat grandia damna pati.*

DE ROMVLO.

*Proiectus, pastusq; feras, nothus, exul, inopsq;,*
*Matri, & auo, lucem, regnaq; adempta, dedi.*
*Vrbem constitui, uictosq; in regna recepi.*
*Postq; datas leges, & pia iura abij.*
*In cœlum rediens, nec enim qui condidit urbem,*
*Credere mortalem fas fuit esse uirum.*

DE THESEO.

*Purgaui insidijs calles, urbemq; tributo*
*Absoluens auxi ciuibus innumeris.*
*Si rapui uarias diuerso ex orbe puellas,*
*Mars animosus erat, non mihi causa Venus.*
*Pacis & impatiens irrupi in tartara, adortus*
*Persephonem intrepidas terrui, & Eumenides.*
*Et cui non sat erant terræ, & spatia ampla silentum,*
*Huic cineri muto sufficit urna breuis.*

E GRAECO.

IN VICTORIAM CVIVS ALAE
*à fulmine erant tactæ.*

*Roma caput rerum semper tua gloria uiuet,*
*Quum careat pennis, palma perennis erit.*

ALITER.

*Martia, perpetuos tua gloria uiuet in annos,*
*Non fugiet, pennis sors tua Roma caret.*

E GRAECO.

*In imaginem Thesei, & tauri.*

*Mirum opus est tauri, atq; uiri, quorum acer in ipsum,*
*Extendit palmas, uir premit atque feram.*

*Ceruicis neruos frangens, manus utraq; certat,*
*Læua quidem nares, cornua dextra capit.*
*Et talos rupit, fera uicta & fortibus ausis*
*Inflexit retro colla superba cadens.*
*Credibile est artem æratæ infudisse figuræ,*
*Insudare uirum, uociferare bouem.*

DE PRIAMO.

*Ante aras diuum, natorum & sanguine mersus,*
*Gutture ferrum hausi, littore & hoc iaceo.*
*Regi Asiæ terram, uel flammas inijce, in ignes*
*Troia ruit, Priamus & caret igne, & humo.*

E GRAECO.

*Non quod sit parua dignus, Priami urnula parua est,*
*Verum hanc hostiles aggerauere manus.*

DE NVMA POMPILIO.

*Pontifices, salios, cultus, pia sacra Deorum,*
*Diuisumq; annum mensibus, atque dies,*
*Monstrasti e cœlo mirumq; ancile uocasti,*
*Vere numen eras relligiose Numa.*
*Palladium, Ianum & geminum, pacemq; sacrasti,*
*Secreta & regni pignora, & ipse fidem.*
*Astra uelut Vestæ æternos ignesq; fouebas,*
*Flamma uigil custos seruet ut imperium.*

E GRAECO.

*Lubrica uita hominum ponti est sulcatio, cuius,*
*Naufraga demersos sæpe flagellat hyems.*
*Huius enim uitæ dux est fortuna gubernans,*
*Qua dubij cursus currimus æquoreos.*

*Calle isti recto, obliquo hi, pariter tamen omnes*
*Portum unum hunc, ripas tendimus ad stygias.*

DE ANTAEO ET HERCVLE.

*Qui terram euicit, domuit, spoliauit & orcum,*
*Tu ne Antæe paras conseruisse manus?*
*Si genetricis opem sentis, Regisq; profundi,*
*Tergeminæ hic noctis, filius atque Iouis.*
*Cæde illi exorto depellere monstra, ferasq;,*
*Edomuisse homines, sustinuisse Deos.*

E GRAECO.

*Neptuni, atque Iouis genus hoc certamine luctæ*
*Duro annos uirides edomuere suos.*
*Non illis merces posita est ex ære lebetis,*
*Sed uitam, aut mortem præmia agon tribuit.*
*Antæus cadit, Alciden uicisse Tonantis*
*Fas est, luctatur Græcia, non Libya.*

ALITER.

*Progenies Neptune tua, & tua Iuppiter hi sunt,*
*Quos ligat amplexu nuda palestra truci.*
*Non ex ære lebes pretium præponitur illis,*
*Sed de uita agitur, interituq; iocus.*
*Sternitur Antæus, stat in Hercule gloria pugnæ,*
*Et merito, haud Libyca est lucta, sed Argolica.*

ALITER.

*Aequoris & cœli Regum hi generosa propago*
*Luctantur, merces uita, uel interitus.*
*Concidit Antæus Libs, gloria in Hercule Achiuo est,*
*Ecquid cum Libyca Græca palestra uiro?*

## DE TVLLO HOSTILIO.

Torpuerant longa sub relligione Quirites,
Exciderat'q; suis Mars pater ex animis.
Tullus in arma ferox ignauam exsuscitat urbem,
Et certanda tribus fata dedit patriæ.
Et nisi uirtuti fraus huic comes ipsa fuisset.
Quæ passa est mater, filia passa foret.

## E' GRAECO.

Laus tua Roma orbis nunquam Regina peribit,
Alæ absunt, palma hinc non ualet aufugere.

## DE ACHILLE.

Quam uario motu digna, atq; indigna patrauit
In Thetidis nato subdolus acer Amor.
Pugnaces torpere dedit pro pellice rapta,
Pro socio erepto mouit ad arma manus.
Quod plus, Iliacæ conceptum ob uirginis ignem
Duxit in insidias, in decorem'q; necem.
Turpiter ut traxit, tum uendidit Hectora ob aurum,
Turpiter elusus sic cadit ante diem.

## E' GRAECO.

Magnanimo Aeacidæ hūc tumulū construxerat Hellas,
Vt Phryges, atque alios terreat urna uiros.
Pontiuagæ ut genti presto sit, uergit in æquor.
Aequoreæ Thetidis filius iste fuit.

## DE ANCO MARTIO.

Hostiam in opposito qui suscitat æquore, & offert
Commoda uenturis gentibus, Ancus erat.
Mœnibus extructis subitos qui submouet hostes,

Tybridis & tumidas ponte coberceet aquas.
Ne indignare pater Tyberine, hoc ponte, redibis
Victor ab Eois, uictor & Hesperijs.

E GRAECO.

Quis mortem ò uita effugiet? tibi multa parantur
Dira, & difficile est fugere, atque pati.
Hæc tibi naturæ bona sunt, tellusq;, salumq;,
Et Lunæ & Solis circuli, & astra poli.
Cætera sunt timor, & dolor, & si arriserit ulli
Sors, illum excipiet mutua tunc Nemesis.

DE OEDIPO.

Ventre latens timor ipse fui, natusq; pependi
Præda auium, cur me non lacerastis aues?
Vosq; feræ mites non mi nocuistis, ut essem
Excidium patris, matris & obprobrium.
Viuo etiam inuisus cœlo, terræq;, ferisq;,
Qui patri uitam, sceptra, torum eripui.

E GRAECO.

Si quis erit, nuptam qui quærat habere secundam,
Ille procellosas naufragus intrat aquas.

DE TARQVINIO PRISCO.

Victrici absuerant insignia regia Romæ,
Priscus ab Hetruscis rettulit edomitis.
Et quia Græcus erat, contexens Græca Latinis
Inuidiam generis deprimit ingenio.
Nanq; Senatores numero iste, & honoribus auxit,
Promptus enim ad pacem, promptus ad arma magis

E GRAECO.

Omnia sunt risus, cinis omnia, & omnia nil sunt,
Omnia quæ fiunt, nil rationis habent.

DE HECVBA ET PRIAMO.

O bis capte Senex meritos hos accipe quæstus,
Post tot natorum, qui occubuere, gregem.
Vltima magne pater clausisti funera luctus,
Sigæum ipse premens uictima cæsa Ioui.
Tu tamen es felix, sed quæq; extrema manent nos
Nos mala, tecum aufers pignora, regna, domum.

E GRAECO.

Thraicij glacies hebri durauerat undam,
Quam puer ut pressit, naufraga fata subit.
Nam gressu infirmo labente est mersus in amnem,
Mollia & abscindit guttura testa rigens,
Ablatum est reliquum corpus, faciesq; remansit
Sortita extremum funeris officium.
Quam mater condens, in flammas dixit, & undas,
Heu abiere uteri spesq;, laborq; mei.

DE SERVIO TVLLIO.

Imperium inuasit genus & seruile, iocari
Sors & in imperio prodigiosa solet.
Fraude urbis partas, nam sic moderatur habenas
Seruius, ut posset dicere iure suas.

E GRAECO.

Noctiuagi à tegete hac discedite paupere mures,
Pascere uos nequit hæc arca Leonidæ.
Ordei habere duos panes, satis atque salinum.

*Est uetulo, ista patrum uita probata fuit.*
*Ne scrutere casam tenebrarum & noctis amicæ*
*Quod superest cœnæ nil nisi fimus erit.*
*Sum tenuis uictus, alios percurre penates,*
*Vberiore cibo si satur esse uelis.*

DE ATREO.

*Atreu dire Atreu, patrem qui pascis, & imples*
*Sanguine natorum, pellis & orbe diem?*
*O scelus omne scelus superans, abit ignis in atrum*
*Fumum, & humi serpit fumus, & occulitur.*
*Tu tamen exultas Atreu immanissime natis*
*Exaturare patrem, pellere & orbe diem.*

E GRAECO.

*Non tantum nocet hic, qui te manifestius odit.*
*Quam qui sub ficto cælat amore odium.*
*Illum uitabis, non hunc, hinc pessimus hostis,*
*Quique sub hoc falso prodit amore fidem.*

DE TARQVINIO SVPERBO.

*Cæde rapit regnum, conseruat cædibus, auget*
*Cædibus, atque dolo, & perdit adulterio.*
*Tarquinius, sceleratus erat, sceleratior uxor,*
*Quæ Regem, & patrem comprimere ausa rotis.*
*Matronam at natus uiolando effecit, ut illa*
*In se ensem, inq; illos uerteret arma cadens.*

E GRAECO.

*Expectare necem dolor est magni usque doloris,*
*Saltem habet hoc lucrum funere qui rapitur.*
*Orbe recedentem decores ne fletibus ergo,*

*Mors etenim finis sola doloris inest.*

DE CASSANDRA.

*Vaticino correpta Deo Cassandra canebat,*
*Quum Priami ruerent, & decora alta Deum,*
*Victrices flammæ Iliacas absumite turres,*
*Troia renascetur maior ab hoc cinere.*
*Totq; etiam Priami, totq; Hectores inde resurgent,*
*Qui terram implebunt nomine, & astra, & aquas.*
*Diruite interea Graii, & succendite Troiam,*
*Ista ruina & uos obruet, atque Thetim.*

E GRAECO.

*Quæ uos solis aquas extinxit flamma perennis?*
*Fontium ubi latices, quo properastis aquæ?*
*In luctum agricolæ miseri, potabile quicquid*
*Nostrum erat, heu, puluis tam sitibundus habet.*

DE LVCIO BRVTO.

*Perdiderat natos pro libertate tuenda*
*Consul, nec uultu signa doloris erant.*
*Multi illum ciues dum mirarentur, acerbum*
*Quod casum ferret tam patienter, ait.*
*Non desunt nati Bruto, nec longa propago,*
*Elegi in natos uos, populumq;, meos.*

E GRAECO.

*Effuge diuitijs tumidos sine fronte tyrannos,*
*Quos domus, & potuit iungere fictus amor.*
*Filia egestatis quum sit prudentia, matrem*
*Diro illam oderunt pectore pauperiem.*

DE HECVBA ET POLYXENA.

*Stabat amatoris mactanda Polyxena ad urnam,*
*Flens tamen elato Pyrrhus & ense minax.*
*Iam Regina Asiæ nunc serua miserrima mater*
*Quum uentrem, & pectus nudat, & inquit anus.*
*Pyrrhe adige huc ferrum, peccarunt ista, malorum*
*Auctore his alui, progenuiq; Parim.*

E GRAECO.

*Hic qui uixit inops, mortem non uiderat unquam*
*Mortuus ut iacuit, uiuere uisus erat.*
*At qui fortunis magnis potiuntur, & auro,*
*Pro casu hi uitæ denique funus habent.*

DE LVCRETIA.

*Quum latus in læuum Lucretia stringeret ensem,*
*Et flueret largus uulnere sanguis, ait.*
*Quum nequeam lachrymis crimen delere, cruoris*
*Deleat hoc saltem flumen adulterium.*

E GRAECO.

*Doctrinam haud paruam studiosa silentia præstant.*
*Si quæris testem, do tibi Pythagoram.*
*Qui docuit reticere alios, quum rhetor inesset,*
*Pacis nanque potens hoc medicamen erat.*

DE MYRTILO.

*Recte mersus aquis fueras, ò Myrtile, poscens,*
*Concubitum Dominæ proditione tua.*
*Exagitate mari, & uentis, & littore discas,*
*Prodere quid sit herum, tangere uelle & heram.*

E GRAECO.

*Viuere non gratum est, ni pellas pectore curas,*
*Vertice quæ canos fundere sæpe solent.*
*Victui opes cuperem, quæ quadrant, rodit inanis*
*Auræ cura animum quæ furibunda tuum?*
*Inter mortales toties reperitur egestas*
*Diuitijs, uita morsq; homini melior.*
*Inspicienti isthæc, sit spes sapientia sola, &*
*In portum hunc cordis dirige uela tui.*

DE COLLATINO.

*Dum super hoste cadit moriens moriente maritus*
*Coniugis extinctæ dextera, & ense suo.*
*Tolle ait ò tu oculos Lucretia, & inspice, ut hostem*
*Communem stygias persequor usque ad aquas.*

E' GRAECO:

*A te inuitatus fueram iam rhetore, honoris*
*Si demissus ero, plus & amoris erit,*
*Quippe anima expleri studio non gaudet edendi,*
*Esca animi sola est ambiciosus honor.*

DE CODRO DVCE ATHENIENSIVM.

*Pannosæ uestes, sarmenta quid illa, tabellis*
*Iurgia scripta uelint? dicite Cecropidæ.*
*Regis Athenarum Codri hæc insignia, per quem*
*Seruantur patriæ mœnia chara suæ.*
*Qui quum non posset uetitam captare, coactus*
*Iurgio, & hoc habitu fallere, & arte necem.*

E' GRAECO.

*O si me genitor docuisset pascere opertas*

Vellere oues denso sub rupe, aut frondibus ulmi,
Mulcerem cantu curas, & arundine leui,
Pierides aliam charæ fugiamus in urbem,
Quæramus patriam, nanq; hoc denuntio uobis,
Quod fuci absumunt apibus sua dulcia regna.

DE C. FABIO PONT.

Ire, redire etiam tutum per tela, per hostes,
Miraris forsan Pontificem Fabium?
Desine mirari, Aeneam per tela, per hostes
Qui iam seruauit, seruat & Aeneadem.

E GRAECO.

Vita hominum infelix, & inops, sortis iocus inter
Pauperiem medium diuiciasq; tenet.
Nos etenim fortuna iocans extollit, eosdem
Rursus & à nebulis deprit in baratrum.

DE ASTYANACTE.

Nil superesse uidens ex Astyanacte, cadendo
Tinxit hic omne solum sanguine, mater ait.
Non opus est tumulo, & titulo tibi nate, cruentum
Dum scribis titulum, tunc facis & tumulum.

E GRAECO.

Si memor es, quum te genitor plantaret in aluo
Materna, exueres quippe supercilium.
At quia per somnum, referente Platone, superbis,
Te plantam cœli, & te sine mente putas.
E ceno es genitus, quid enim te extolis? honesto
Rem turpem uerbo dicere sic uolui.
Sed si uerum aliquis petet, ipse libidine turpi,

Et

*Et fluxu ſpurco ſanguinis es genitus.*

DE MANLIO CAPITOLINO.

*Cuius erat corpus laceratum hoc uulnere ab uno*
*Totum? omnis ſpecies iuit in interitum.*
*Manlius ille fuit uindex, ſeruator & arcis,*
*Vnde hoſtes iecit, miſſus ab arce obijt.*

E' GRAECO.

*Quum ſuper infantem cecidiſſet culmine ab alto,*
*Tota domus leuior uiſa fuit Zephyro.*
*O matres, puero gaudete, ruina pepercit,*
*Nam nouere etiam ſaxa puerperium.*

E' GRAECO.

*Si quis erit cupiens iterum gaudere hymeneis,*
*Tentat naufragio bis dare uela graui.*

DE ANDROMACHA ET HECTORE.

*Manibus Andromacha Hectoreis hæc iuſta ferebat*
*Percutiens pectus, dilaceransq́ genas.*
*Præſidium ò feſſis, & propugnacula Teucris,*
*O mora fatorum nobilis Hector ubi es?*
*Fulta tuis humeris durarunt pergama in annos*
*Vſq; decem, Danais nam timor unus eras.*
*Tu patriæ columen, tu gloria, uita, ſalusq́;,*
*Tecum abijt patriæ gloria, uita, ſalus.*

E' GRAECO.

*Martia progenies Hector, ſi forte ſub urna eſt*
*Senſus, aue, ob patriam lætus & eſto tuam.*
*Vrbs generoſa uiris habitatur Troia minus te*

Magnanimis, sed adhuc pectore belligeris.
Myrmidones periere, asta, tum dicito Achilli,
Thessalis ora iacet tota sub Aeneidis.

DE FVRIO CAMILLO.

Mille dabant auri pondo gens Martia Gallis,
Brennus ut exustos linqueret igne lares.
Quum superaccedens turbauit iniqua Camillus
Pacta, superba nimis, pactaq; iusta parum.
Atque alia illorum conscripsit sanguine, & ense,
Non auro patriam uindicat, & cineres.

E GRAECO.

Nuper tecta errans Lysippes paruulus infans
Astyanacteam cœperat ire uiam.
Mater ab incœpto reuocat nuda ubera monstrans,
Vnde puer mortem reppulit, atque famem.

DE DARIO.

Rex Regum ille fui infelix, nunc umbra Dareus,
Qui legis, intendas in mea fata animum.
Victum ab Alexandro me iuncti sanguine uinctum,
Captiuumq; trahunt, uulneribusq; necant.
Palantem, Regem, affinem, uis plura uiator?
Audi hoc, proijciunt, & monumenta negant.

E' GRAECO.

Plus ego non doleo super his, quis lumen ademptum,
Sed quibus usque instat mortis amara dies.

DE DECIO.

Excisa à Gallis bello petiere Latini,
Diruere, & penitus mœnia posse putant.

*Hoc prohibete Dei, Manes prohibete profundi,*
*Sumite, ait consul pro patria hanc animam.*
*Victima pro cunctis Decius se & tradidit orco,*
*Hoc uixisse fuit, sic didicisse mori.*

E' GRAECO DE LEONIDA.

*Dux Spartane tibi hunc Xerxes donauit amictum,*
*Purpureum, metuens gesta tua egregia.*
*Tolle uerecundum munus, clypeo ipse decorus,*
*Hoc tegar emoriens, diuite non tumulo.*
*Tantum odij in Persas retines & mortuus? at non*
*Libertatis amor mortuus est patriæ.*

E GRAECO.

*Dulce magis patria Diuus nil dixit Homerus,*
*Non hausit Cyrces philtra ueneficij.*
*Cuius si solum fumum spectasset ab alto.*
*Dixisset multas plangere Pœnelopas.*

DE ARISTEO.

*Mella liquare fauis, & apes reparare docebas,*
*Obdurare herbis lac quoque molle tuis.*
*Cyrenes fili sunt hæc inuenta Deorum,*
*Felix si nunquam uideris Euridicen.*
*Illa sed in causa est, fugiens te perdidit, & se,*
*Nunc syluæ reticent, orphea & antra gemunt.*

E GRAECO.

*Quid tegitis libri? & cuius uos estis? Homeri*
*Nati sermonum, consilijq; Phrygum.*
*Vnus habet longi belli certamina Achillis,*
*Atque iram, Hectoreæ fortia & acta manus.*

*Alter & errores, uaria & discrimina Vlyssis,*
*Et lachrymas uiduæ, Penelopesq́ torum.*
*Plaudite cum Musis, nam dulci carmine uestro,*
*Vndenas dixit uiuere Pierides.*

DE POSTVMIO COSSO.

*Iecit in aduersos Dictator signa Latinos,*
*Stare obdurato pectore in arma uidens.*
*Insuper & Cossus pernicibus instat in hostes,*
*Magnanimos, subito frena trahuntur equis.*
*Certatum est animis tantis, ac uiribus, ut Di*
*Visi in equis pro te conseruisse manus.*
*Roma fuit magnum fortes fudisse Latinos,*
*Sed multo maius cogere ad arma Deos.*

E' GRAECO.

*Cursorem iam terra ingens Erastraton unum,*
*Omnibus emotis ipsa mouere nequit.*

DE TIRESIA.

*De mare quod fias mulier, tibi fata minantur,*
*Mas'q; reuerteris sed sine luce senex.*
*Tiresia, & iudex Superum de lite iocosa,*
*Tristia de dulci præmia lite feres.*
*Cæcus eris, sed cuncta uidebis, pœna iuuabit,*
*Si uentura Dei est noscere, Diuus eris.*

E' GRAECO.

*Excerpsere tibi mellito ex ore legentes*
*Blandulæ apes flores Pympliadum uarios.*
*Se'q; tibi Charites iam permisere Menander,*
*Iucundum redolent dramata ut eloquium.*

*Viuis in æternum, fluxitq́; hæc gratia Athenis,*
*Quæ te aptum euexit sedibus æthereis.*

E' GRAECO.

*Paginæ Aristophanis labor æntheus, unde chorymbis*
*Huius Acharnenses tempora cincta gerunt.*
*Quam tabula esse sonat Bacchum, resonantq́; repleti*
*Qualia sermones terribili charite.*
*O generose animo, patriæ qui moribus æqua,*
*Et risu fingis comice Aristophanes.*

DE M. REGVLO ATTILIO.

*Barbara teq́; etiam quæ non mirabitur ætas?*
*Qui credis certam Regule adire necem.*
*Obq́; fidem stupuere hostes, morsq́; ipsa reuersum,*
*Crudeles pœnas erubuitq́; fides.*

E' GRAECO.

*Hæc metra Archilochi, & clamantes denique iambi*
*Iræ, & iactatu spicula terribili.*

ALLVSIO.

*Archilochi hi non sunt uersus, sed iurgia, & iræ,*
*Qui gladio uoluit scribere non calamo.*
*Non modo qui dixit sed bellum indixit acerbum,*
*Funestam, & tinxit sanguine qui tabulam.*
*Cuius erant furiæ pro Musis, fons Heliconis,*
*Styx, che'ys illius ensis acutus erat.*
*Non scripsit, sed proscripsit, quare hunc fuge, ut hostẽ*
*Armatum furijs, ense, cruore, nece.*

DE PIRAMO ET THISBE.

*Quos olim una fides iunxit, nox unica, & ensis,*

*Sitis ut una cinis, mors tulit una duos.*
*Inuidiosa arbos, & tanti conscia amoris,*
*Corpora gemmato tegmine uestra tegat.*
*Post tantos æstus placida requiescite in umbra*
*Sericeo strati, purpureoq; toro.*

E' GRAECO.

*Non mage pugnabis turritus in agmine belli,*
*Dente ruens multo non tolerande elephas.*
*Contrahis ob'q; metum ipse iugo tua colla profunda,*
*Atque rotas sacras Cæsaris axe trahis.*
*Et fera cognouit pacem, Martem'q; reliquit,*
*Dum patrem pacis deuehit, & patriæ.*

ALLVSIO.

*Et licet intrepidi bello pugnate Quirites*
*Securi, excussit tergore turrem elephas.*
*Sponte inuicta axi submittens colla, iugo'q;,*
*Vnde orbis uehitur gloria, plaustra trahit.*
*Nam fera cognoscens dulci sub fasce triumphum*
*Pacis amans facta est, quæ modo Martis erat.*

DE ATTILIO.

*Brundusi in* Attilio *portum intueare capacem,*
*In Pale uel potius, uel Pale, &* Attilio.
*Ille quidem expugnat, fauet illa, exposcit & illa,*
*Vrbe sibi in media templa dicanda Pales.*
*Nil mirum liquisse Palem portum'q; salum'q;,*
*Inter pastores gaudet inesse Pales.*

E' GRAECO.

*Illimem emittit tibi proxima sylua uiator.*
*Fontis inexhaustam diffugientis aquam.*

*Me platani circum, & lauri fecere coronam,*
*Circundor gelidis conspicuusq; locis.*
*Ne me prætereas igitur, sed siste quiescens,*
*Pelle sitim optatis lassus, & ustus aquis.*

E GRAECO.

*Non sic uulnificum, & lætalem protulit ensem,*
*Ars hominum ob subitos perniciosa dolos.*
*Quale impacatum ueniens callistrate bellum*
*Funesto indicis carmine mi exametro.*
*Tandem enses condas, Priamus lugiensq; gemensq;,*
*Et fletus pacem repperit, atque modum.*

DE AGENORE.

*Siccine Agenor ais? fili toto orbe sororem*
*Quære tuam, abq; illa ne remeato domum.*
*Es pius ipse pater monitu, & sceleratus eodem,*
*Quærere erat pietas, non remeare scelus.*

E GRAECO.

*Quum sis mortalis, tu ne immortalia cures,*
*Nil fidum in uita prorsus ephimerijs.*
*Mortuum & hunc etiam si continet urna Casandrum,*
*Dignum immortales uiuere olympiadas.*

E GRAECO.

*Quæ te defunctum non flerunt saxa Casandræ?*
*Quæ petra? quæ lucis non memor usque tuæ.*
*At sors crudelis teq; inuida perdidit, annos*
*Sex & uiginti uiuere te uoluit.*
*Et uiduam uxorem fecit, miserosq; parentes,*
*Insaturabilibus perdomitos lachrymis.*

DE ORATIO COCLITE.

*Egredere ò Cocles patrio de flumine, & undis,*
*Inter tot casus egredere incolumis.*
*Vt seruatorem excipiat tua Roma, madentem*
*Exsiccetq́; amnem, saucia & arma trahat.*
*Hetruscosq́; audi, Romanos uicimus, aiunt,*
*Coclite & euicti nos sumus, atque abeunt.*

È GRAECO.

*Sum pulchra uberibus, niuei quoq; lactis abundans,*
*Nullaq́; par toto de grege capra mihi.*
*Dulce meum, tum pingue bibens lac Cæsar, alumnam*
*Traduxit secum meq́; ratis comitem.*
*Forte petam & stellas iam iam, nam quem ubere paui,*
*An tantum minor hic ægidis est Domino?*

È GRAECO.

*Aenthei Oribasij formidans Atropos artem*
*Sæpe immortalem produxit stamina uitæ,*

È GRAECO.

*Et Colophon urbes inter celeberrima facta est,*
*Quæ peperit sacri pignora bina animi.*
*Mœonidem primo, Nicandrum deniq;, amicos*
*Phœbe tibi, sacro Pympliadumq́; choro.*

DE PELIA.

*Audi hospes casum, natæ pia membra parentis*
*Ense, licet trepidæ, desecuere sui.*
*Restitui illa putant nitidæ concocta iuuentæ,*
*Colchi ueneficijs insidiosa tuis.*
*Sed frustra, infelix & ego hac pietate resectus,*

Natarum occubui cuspide, & igne, & aquis.

E GRAECO.

Pharmaca multa bona, et mixta, et quã plurima amara
Edocuit præstans cunctis mortalibus arte
Nicander, genus à magno Pæone trahebat.

E' GRAECO'.

Pæonem, Chirona, Asclepion, Hippocratemq;,
Nicander laudum cumulo superemineт omnes.

E' GRAECO.

Exuuiæ stygis, & mortis mors maxima, sospes
Gloria iam populis hic erat Hippocrates.

RETRO.

Hippocrates erat hic populis iam gloria sospes,
Maxima mors mortis, & stygis exuuiæ.

E GRAECO.

Si uelox comedis, si curris tardior, ipsis
Dentibus & curras, & pedibus comedas.

DE TITO QVINTIO.

Inuertebat humum, atque boues urgebat aratro
Quintius, & multo puluere turpis erat.
Quum se se esse Ducem sensit, capit arma, triumphat,
Immittitq; hostes sub iuga, ut ante boues.
Rus repetit, gaudete boues, & aratra, & agelle,
Ecce triumphalis uester arator adest.

E' GRAECO.

Armatus media Marcus iam nocte cucurrit,
Quum clausum tota parte foret stadium.
Custodes armatum aliquem tunc stare putabant,

In stadio positas marmoris ad statuas.
Quumq; reclusissent, tantum pars tertia cursus
Tunc perfecta fuit, Marcus ubi emicuit.

E' GRAECO.

Solus agona Milon petijt luctator, agonum
Hunc subito Antistes euocat ad pretium.
In latus accedens cecidit, clamatur ab omni
Parte, Coronandum non fore, quod cecidit.
Qui surgens dixit, non ter, semel immo prolapsus,
Qui me deijciat, quod reliquum est, ueniat.

E' GRAECO.

Cadmus in Arcadia in stadio dum currit, & una
Quinque alij, mirum, septimus hic cecidit.
Sex fuerant, dices cur septimus? unus amicus
Illi animum dedit, hic uenerat in tunica.
Septimus ergo cadit, si Zoile quinque habuisset
Cadmus, & ad metas ultimus accederet.

DE LEDA.

Leda incrementum cœli pulcherrima, cuius
In gremium è Superis deuolat albus olor.
Sola inter matres es felicissima, Diuas
Vna duas pariens, Cœlicolasq; duos.
Da mihi te facilem inq; astris, & in æquore, terram
Quæ specie ornasti, syderibusq; polum.

E GRAECO.

Vidit ut in patria saluum canis Argus Vlyssem
Post quartam blandus nouit olympiadem.
At cum certasses pugnis tu quatuor horas

*Vrbe, nec à canibus cognitus es Stratophon.*
*Si cupis ipse tuum speculo deprehendere uultum,*
*Iurando dices, non ego sum Stratophon.*

E GRAECO.

*Quodnam habuit bonus hic certator olympicus aures,*
*Et nasum, & mentum, & bina supercilia.*
*Demum descriptus pugil omnia perdidit, ut nec*
*Pars illi e membris manserit una suis.*
*Ipsius effigiem frater produxit in illa*
*Non erat ille, immo forma nec ulla uiri.*

DE VIRGINIA.

*In medio stupri, & mortis Virginia uirgo*
*Magnanimo hæc potuit dicere uerba sono.*
*Malo meum corpus fœdari sanguine solo,*
*Quam mea concubitu membra, animumq́, nota.*
*Ense libens patrio & cecidit, ne concidat una,*
*Nobilitatis honor, uirginitatis amor.*

ACVTE DICTA SEPTEM SAPIENTVM.

E GRAECO.

*Dicta cano septem Sapientum, & nomen, & urbem.*
*Mensura est Cleobolus Olintius optima, ut inquit.*
*Nosce ipsum temet, Chilon Lacedemone natus.*
*Vince iram, Periander ais nutrite Corynthо.*
*Nil nimis, expressit iam Pittacus ex Mitylene.*
*Natus Athenarum ipse Solon, uitæ inspice finem.*
*Plures esse Bias prauos ex urbe Pirene.*
*Et spondere, Thales Milesius, effuge, dixit*

E' GRAECO.

*Ne celer attenta Heracleti euoluere librum,*
*Illius eſt nimium ſemita difficilis.*
*Eſt nox, & tenebræ ſine lumine, duxerit ut te,*
*Cuncta tibi Phœbo lucidiora nitent.*

DE HEGESIA PHILOSOPHO.

*Sunt etiam, qui nos ad fata lubentia ducunt,*
*Tam reſonant labijs ingenioſa chelys.*
*Cerne Cyrineum, ſed non audito, Hegeſian,*
*Aut Ithaci uinctas fac imitere manus.*
*Multiplicat ſtygium, quum diſſerit ille, tributum,*
*Quemq; trahens uitæ rumpere fila ſuæ.*
*Sunt mala multa etiam in uita, eſt res peſſima, linguæ*
*Facundæ nobis officium officere.*

E' GRAECO.

*Deiecit miſerum formica Meneſtraton olim,*
*Dum ſuper inſidit, ut'q; elephanta premit.*
*Improbe ait liuor formicæ calce petitus,*
*Sic cecidit curru, dum ſedet & Phaethon.*

E' GRAECO.

*Aera ſulcabat tenui ſublatus ab aura,*
*Cheremon paleis aridulis leuior.*
*Et niſi ſuſpenſum pedibus tenuiſſet Aracnes*
*Tela illum implicitans, altius iſſet iter.*
*Quinque dies totidem & noctes appenſus in alto*
*Deſcendit ſexta ſtamine araneoli.*

DE M. PLAVTIO ET VXORE

*Plauti & Horeſtillæ tumulus communis amorum,*

*Occupat uxorem, continet atque uirum.*
*Coniugis extinctæ nam Plautius inter odores,*
*Inter & amplexus, osculaq́, ocubuit.*
*Mortua si ista trahunt animas tua basia Virgo,*
*Viua quidem poterant nam trahere illa Deos.*

E' GRAECO.

*Omnia ad historiam saltasti, at negligis unum,*
*Nec minimum, est ortus maximus unde dolor.*
*Dum peragis Nioben steteras ut petra, Capaneus*
*Denuo at existens ipse repente cadis.*
*At bene nec Canacem, quoniam tu & uiuis, & ensis*
*Adfuit, hoc solum defuit historiæ.*

E' GRAECO.

*Multa fuit passus pellax dum tentat Vlysses*
*Scylla tuam ingluuiem, tum Poliphemе tuam.*
*Sed maiora feram rerum discrimina, Abantem*
*Si possum cœnans præterÿsse hodie.*
*Alciden superat prope me quum deuorat, immo*
*Scylla tuam ingluuiem, tū Poliphеme tuam.*

DE OEDIPO.

*Qui genuit fratres, & aui gener extitit, audit*
*Inter se ut natos irruere ense refert.*
*Ex scelere exorti scelus exercete cruentum,*
*Tunc uixisse patrem, sic genuisse iuuat.*
*Sanguine quæsitum laceretur sanguine regnum,*
*Quodq́; nequit ferrum, diruat ignis edax.*
*Omnia sint cineres, sint cædes omnia, templis*
*Obruat inq; suis iusta ruina Deos.*

E' GRAECO.

Natorum Oedipidis Thebæ, at crudele sepulchrum,
Verum inquam uiua spicula sentit adhuc.
Nos neque perdomuit fera mors acheronte sub imo,
Et tumuli inter se conseruere manus.
Ignibus atque ignes, pueri iam parcite, et hastas
Cæde cruentatas proycite ò miseri.

E' GRAECO.

Heraclete fleas plus quam dum uixeris olim
Hanc uitam, uita est nunc tibi flebilior.
Nunc uitam hanc ride magis ò Democrite, quam iam,
Omnium enim uita est, nunc mage ridicula.
Interea aspiciens etiam in uos mente reuoluo,
Quomodo uobiscum rideam & illachrymer.

DE MATRE ET FILIA ROMANIS.

Carcere clausa parens, damnata & crimine mortis
Languebat tristi deperitura fame.
Obtinuit lachrymis inuisere filia matrem,
Quam furtim proprij lactis alebat ope.
Claruit ut factum, laudata est nata, parensq;
Exempta è tenebris carceris atque necis.

E' GRAECO.

Vidit heri ut tristem palmam per mœnia quidam,
Hæc ait, ò uictrix quid Dea passa mali?
Iudicium luctu incusans tunc rettulit, unus
An nescis? quod ego sum data Patritio.
Mœsta fui certe uictoria, quam sine lege

*Nauta uelut uentum, Patritius rapuit.*

DE PHILIPPO MACEDONVM REGE.

*In regnum erexi Aemathiam, depressa iacebat,*
*Ob mihi & imperium fas fuit omne nefas.*
*Hellada & edomui, in Persas multa arma mouebam,*
*Inuidit forti mors inimica meæ,*
*Inter Alexandros cecidi, lætos'q; hymeneos,*
*Pausaniæ ferro, fraude & Olympiadis.*

E' GRAECO.

*Aemathiam primus qui moui ad bella Philippus*
*Induor ægea contumulatus humo.*
*Feci quod nondum Rex ante effecerat, & me*
*Si quis plus iactat, sanguinis ille mei est.*

E' GRAECO.

*Iucundum ridens transi, gratum'q; loquaris*
*Verbum in me, Rinthos sum ille Siracusius.*
*Paruula Pympliadum philomela ego carmine at ipso*
*Ex tragico propriam carpsimus hanc hederam.*

DE APPIO CLAVDIO.

*Appi Appi Reges pulsi, Lucretiæ & ensis*
*Cæde madens, non te territat, & reprimit?*
*Virginis ingenuæ stuprum ardes, respice patrem*
*In medio natam confodere ense foro.*
*Te'q; trahet manibus, socios'q; in uincla cruentis.*
*Criminis, immeritæ cœdis & ultor erit.*

E' GRAECO.

*Tres tenues quondam magnum certamen habebant,*

Quis magis ex illis extenuatus erat.
Fila tenens Hermon surgit subtilia primum
Angustum ingreditur perq; foramen acus.
Perq; cauum penetrans Dimas permansit aracnes
Insidias nentis pendulus in laqueis.
Sosipater clamat uici, sum flatus, & aura,
Nam si me uictus conspicietis, ero.

E' GRAECO.

Emeritus nupsi pugil ipse Cleombrotus olim,
Plagarum intus habens Isthmia, tum Nemea.
Vt mage anum pugnacem, & olympia percutientem
Horruerim, inquam alio tempore quam stadium
Excorior si respiro, reddam omnis agones
Vt plagas, si non reddidero, excorior.

DE PYRRHO EPIROTARVM REGE.

Traxit in Italiam Italiæ excellentia Pyrrhum,
Vrbis & æternæ gloria, & imperium.
Congressu primo Romanos fudit, & urbem
Impleuit fumo, puluere, & ille minis.
Vulnera pectoribus tantum miratus, & iras
Viuere in extinctis, pilaq; firma manu.
Milite tali inquit poteram sub legibus orbem
Mittere, & à uictis uictor abit trepidans.

E' GRAECO.

Sacriloquas Helicon uates iam pauerat hymnis,
Dulcibus, & macedum Pieriæ scopulus.
Os Anetis, Myro, Proxillan, Homeron, & ipsum,

Crinitis

*Crinitis Sappho Lespidiasq; decus.*
*Erinnam dulcem, Telesillam, teq; Corinnam,*
*Omnes æterni nominis artifices.*
*Vtq; nouem cœlum Musas mortalibus ipsis,*
*Sic totidem tellus gaudia firma dedit.*

È GRAECO.

*Callimachi est opus hoc, cui uir studiose sororum*
*Congessit gemmas, aurea serta, rosas*
*Hospitis ille Hecubes limen decantat amatæ,*
*Theseos erumnas quasq; dedit Marathon.*
*Huius enim factis studeas Marcelle iuuentam*
*Aequare, & laudes laudibus ipse tuas.*

DE FABIO.

*Viua cremabat adhuc animosam flamma Saguntum,*
*Quum Fabius pœnis irreuerenter ait.*
*Bella sinu, pacemq; gero, quid uultis? at illi*
*E contra, quod uis, explicuitq; sinum.*
*Bellum habetote, inquit; stupuerunt arma, necesq;,*
*Ac si fluxissent è gremio attoniti.*
*Explicitu tantus manauit sanguis ab illo,*
*Italiæ ut rubeant flumina, stagna, lacus.*

È GRAECO.

*Callimachi crimen, lusus, mens lignea, causa est*
*Aethia quod uoluit scribere Callimachi.*

IN NOVEM LYRICOS.

È GRAECO.

*Pindarus ex Thebis altum sonat; & lyra grati*
*Iucunda increpuit uoce Simonideo.*

Sterſicorusq́; nitet, nitet Ibicus, & iuuat Aleman,
Ore loquebatur dulcia Bacchiades.
Suada Anacreontem ſequitur, uariumq́; ſonabat
Alceus cygno Lesbius Aeolidæ.
Non decima eſt hominum Sappho, decima immo ſororũ
Inſcripta eſt metris Muſa in amabilibus.

DE VXORE ORGIAGONTIS REGIS.

Orgiagontis erat regis captiua marita,
Stuprum paſſa, & heri centurionis erat.
Quæ dominum obtruncans, caſtrisq́; egreſſa Quiritũ
Præmium adulterij fert caput illa uiro.
Multo inquam melius, quàm tu Lucretia, in hoſtem
Strinxerat hæc gladium, tu latus in proprium.

E GRAECO.

Optimus hic quondam naſum certator habebat,
Mentum, aures binas, lumina bina, pugil.
Poſtquam inter pugiles deſcriptus perdidit omnem
Quam dederat partem, membraq́; uterque parens.
Fratris enim ut mutili producta ab fratre figura eſt,
Creditus eſt alius, diſſimilisq́; ſibi.

E GRAECO.

Hunc ſatyrum Bacchi formauit ſola procacem
Saxo animam infundens ingenioſa manus.
Notus enim Nymphis iam uina rubentia fudi,
Pro uino dulces largior amnis aquas.
Et quia Amor dormit ſuauis ſub murmure fontis,
Perge huc, ſed tacito progrediare gradu.

DE MVMIO.

*Diuitiæ, & luxus nimij euertere Corynthum,*
*Qui generant fastum, fastus & excidium.*
*Atque ibi tot Diuos exussit Mumius igni,*
*Vt credam in cineres incubuisse Deos.*

E' GRAECO.

*Tarse tuum authorem non ipse redarguit ortus*
*Patre Menocle Arias maximus in stadio.*
*Nam tantum emicuit pedibus pernicibus, ut non*
*Perseus huic dederit terga uidenda uolans.*
*Non nisi carceribus, uel meta inspectus aperta,*
*Ac si ipsum medium non tetigisset, erat.*

E' GRAECO.

*Non ego Messene, nec sum luctator ab Argis*
*Inclyta Sparta uiris, Sparta mihi est patria:*
*Arte hi luctantur, decet ut Lacedemone natum,*
*Robore colluctor, robore tum supero.*

DE AGAVE.

*Eumenides in me totum conuertite auernum,*
*Dixit Agaue intrans regna tremenda Herebi.*
*Ostentansq; manus, quæ peccauere, cruentas,*
*Ostendit sanas non habuisse manus.*

E GRAECO.

QVOS DICERE POSSET SERMOnes *ad Prognem Philomela.*

*Vir tuus occultum prauus me traxit in antrum*
*Solam infelicem, mihi uirginitatis honorem*
*Eripuit, tribuitq; meis sponsalia tædis*
*Tristia luctificis, linguamq; abscindit, & oris*

*Verba mei extinguens, græcā abstulit ense loquelā.*

E' GRAECO.

*Si bellum indictum est brucis, muscisq; caninis,*
*Vel si ranarum gentibus, & pulicum.*
*Fac timeas Cai, ne des tua nomina, ne te.*
*Conscribant, dignum conseruisse manus.*
*Cogitur & si acies urbis, requiesce, Quiritum,*
*Contra insunt sæuas prælia nulla grues.*

DE APPIO CLAVDIO.

*Qui uiolentum æstu, monstrisq; infame profundum*
*Tentauit ratibus, naufragioq; graui.*
*Atque retentauit constans, uictorq; tyrannni,*
*Fortunæ, & pelagi Claudius iste fuit.*

E' GRAECO.

*Primum solis eram nunc Cæsaris insula dicor,*
*Luce pari ambòrum glorior alta Rhodos.*
*Me nouus extinctam radius nunc respicit, & sol*
*Ad uestrum lumen splenduit alme Nero.*
*Nescio cui tenor magis, hic me ostenderat, iste*
*Demersam contra naufragio eripuit.*

E' GRAECO.

*Ebibe, ede abscondens quod te angit, funera uenter*
*Præteréat sicco lumine, Homerus ait.*
*Inducens Niobem, bis sex post tradita terræ,*
*Pignora tunc mensis accubuisse suis.*

E' GRAECO.

*Sydera ut obscurat uertens sol igneus axem,*
*Nec parcit Phœbes orbibus ipse sacris.*

*Sic alios uates tenebris oppressit* Homerus,
*Clarius ut lumen splendeat* Aonidum.

DE PAVSANIA QVI PHILIPPVM OCCIDIT.

*In cruce pendentem quamuis me cernis iniqua*
*Semper erit celebris nostra animosa manus.*
*Qua uitijs* Regem *infectum, dirumq; peremi,*
*Sub cuius luxit* Græcia *tota iugo.*
*Et quia serta habui pendens post sacra quotannis,*
*Fecit honoratam mors inhonora crucem.*

E' GRAECO.

*Extinguet cœlum potius sua sydera, noctis*
*Et claram* Titan *efficiet faciem.*
*Dulcia & inuertent mortales æquora aratro,*
*Viuorum motus mortui & arripient.*
*Quam tenebris clarum tradatur nomen* Homeri,
*Tempus & antiquis deleat è tabulis.*

E GRAECO.

*Lesbius* Erinnes *fauus hic, qui dulce pusillum,*
*At totus mixtus nectare* Castalidum.
*Nam tercenta huius æqualia carmina* Homero,
*Huius erant anni quinque bis, atq; decem.*
*Quæ uersata colo, & tela formidine matris*
*Clam fuit* Aonidum *digna ministra choro.*
*Nam* Sappho Erinne *lyrico quam carmine præstat,*
Erinne Sappho *tam quoque in exametro.*

DE PAPIRIO PRAETEXTATO.

*Falsus eras matri cur* Prætextate Papiri?

*Non est uera parens, quæ prohibenda petit.*
*Fallere num licuit matrem, licuit ne Senatum*
*Prodere? iusta refers, tu quoque iusta rogas.*

E GRAECO.

*Rhetoricæ antiquæ, decadisq; figura prioris,*
*Chiredius sub humo hac atticus ossa tenet.*
*Veridicus facilem rettulit qui ab iudice palmam,*
*Et nunquam à uero tramite flexit iter.*

E GRAECO.

*Rhetoris Antipatri tumulus sum, quanta parauit*
*Iste opera, est testis Græcia tota petas.*
*In dubio iacet, an Nilo; an contingat Athenis,*
*De genere hæc pugna est, dignus utroque solo.*
*Vrbes, ut sermo est, aut sorte, aut sanguine cedunt,*
*Palladis usque alia est, & Iouis usque alia.*

DE CVRTIO.

*Absorbi inferno patriam tristatus hiatu*
*Deuota arripuit Curtius arma, & equum.*
*Sponte & in iratas se se deturbat Erynnes,*
*Viuus in ære, & equo constitit ante Deos.*
*Exangues populi trepidant, fugiuntq;, timentq;,*
*Et nisi ad Elysios præcipitasset iter.*
*Formidaret, adhuc Pluto, nam tempore ab illo,*
*Pallescunt Manes, frigida morsq; metu est.*

E GRAECO.

*Qui ferruginea subuectas puppe silentes*
*Trans acheronteas dure minister aquas,*
*Sit tibi onusta licet morientum messe carina*

*Dira, etiam Cynicum me cape Diogenem.*
*Lecytum, peramq; fero, tritamq; lacenam,*
*Quo ue obolum, stygiae sollicitantur aquae.*
*Illa habui uiuus, moriens illa affero mecum,*
*Nec sub sole mihi res fuit ulla magis.*

E' GRAECO.

*Detulit Heraclete tuum qui funus, amaras*
*Ille meis oculis accumulauit aquas.*
*Venit enim in mentem, nugis quot duximus umbras,*
*At tu Alicarnassi iam peregrina cinis.*
*Sed tua decantat Philomela nec omnium auerni,*
*Raptor ei potis est imposuisse manum.*

DE DEMOSTHENE.

*Hic patris eloquij Demosthenis ossa quiescunt,*
*Idolum campis errat in Elysijs.*
*Quam melius poteras calamo ipse ferire Philippum,*
*Quam gladio sacras commaculare manus.*
*Tantam inuidisti lucem orbi, gloriam & hosti,*
*Supremumq; tibi nomen, & eloquium.*

E' GRAECO.

*Sydera rhethorices recolo tria nomine solo,*
*Nanq; isti cunctos rhetoras exuperant*
*Teq; tuum & studium ueneror Demosthenes altum,*
*Diligo Aristidem, diligo Thucydidem.*

E GREACO.

*Credulitas cura est non parua, haud feceris & si*
*Dummodo credaris, tunc male natus eris.*
*Patria morte Croton nam sic Philolaon ademit.*

*Causa tyrannis erat credita, falsa tamen.*

E' GRAECO.

*Quam Phaetontis equi, & lampas quã sydera uincit,*
*Quoq; magis possunt æquora, quam fluuij.*
*Tantum præcellis Sophia cunctos Epicarme,*
*Nate Syracusij deuenerande soli.*

DE CICERONE.

*Tantus eras Cicero, quod dum tibi uita maneret,*
*Seruitium haud poterat Martia Roma pati.*
*Hac ratione cadis dextra, & ceruice recisis,*
*Ne patriam lingua, ne tueare manu.*

E' GRAECO.

*Dextra Polycreti Thasij me expressit, ego sum*
*Salmoneus imitans fulmine, & igne Iouem.*
*Qui me etiã ad Manes lacerat, me & fulmine torquet,*
*Mutam odioq; mei persequitur staticam.*
*Mitte iram, flammaq; Deus, sum mortua imago, es*
*Quid cum defunctis sæuus imaginibus?*

E' GRAECO.

*Ars medica inspexit tres luctus scissa capillos,*
*Hippocratis primum rursusq; in morte Galeni,*
*Nunc iacet Aulaui circum lugubre sepulchrum*
*Tecta uerecundam frontem huius funere iniquo.*

DE ALEXANDRO MAGNO.

*Cui non sat fuerat quondam latissimus orbis,*
*Magnus Alexander clauditur orbe breui.*

E' GRAECO.

*Mortuum Alexandrum male fertur, uerus Apollo*

*Inuictos tangit, non Acherontis aquæ*

ALITER.

*Magnus Alexander non est defunctus, Apollo*
*Nanq; premit ualidos funere, non fera mors.*

ALITER.

*Falsus Alexandrum est rumor perijsse, nec orcus*
*Inuictos, sed tu tangis Apollo Duces.*

DE LVCIO BRVTO.

*Comprime Brute tuam uocem, & tua iussa tremenda,*
*Ne dicas, lictor fac opus ipse tuum.*
*In patriam si peccarunt, leges'q; uerendas,*
*Filij erant, & erat sanguis uterq; tuus.*
*De'q, tuis membris membra hi, de'q; ossibus ossa,*
*Exorta, atque tuis uiscera uisceribus.*
*Condona hos patriæ lachrymis, popu'o'q, roganti,*
*Si non uis natis parcere, parce tibi.*
*Exue Brute ipsum Brutum, te'q, indue patrem,*
*Et discas, quid sit sensus, amor, pietas.*
*Soluuntur fasces, ille implacabilis astat,*
*Cæduntur miseri, uerbera & ille uidet.*
*Stringitur, heu, ferrum, immoto stat lumine in illos,*
*Et uultu, donec fudit uterq; animam.*
*Aut immane scelus sensum illi absumpserat omnem,*
*Numinis aut quoddam, uel feritatis erat.*

E' GRAECO.

*Qui tot perdomuit morbos medicamine sano,*
*Non casu, at uera miles in arte senex,*
*Emonius iacet Hippocrates sub marmore Cous*

*Quid iuuat esse ortum stirpe ab Apollinea?*

E GRAECO.

*Pieridum os sacrum diuinum claudit Homerum,*
*Et celebrem hic tumulus littoris in scopulo.*
*At si parua uirum tam magnum continet hospes*
*Insula, non mirum sit tibi, ne ue nouum.*
*Errabunda soror delos quoque matris ab ipso*
*Iam Phœbum excepit parua puerperio.*

DE SOLONE.

*Sanguine conscripsi leges, atroq; ueneno*
*Deleui placidas, substituiq; alias.*
*Ossa labore graui, tum lassa fluentibus annis*
*Hic posui, migrans quo mea fata uocant.*
*Non tamen ex toto ipse obij, nam in morte draconis*
*Viuo, & eo cæso, aut sospite non moriar.*

E GRAECO.

*Robora, nec petras deduces amplius Orpheu,*
*Multiplicesq; feras nec magis allicies.*
*Nec mage uentorum fremitus, strepitumq; profundi,*
*Mulcebisue globos grandinis atque niuis.*
*Ipse iaces, nam Mnemosines tua funera plorant*
*Natæ, & præcipue Calliopea parens.*
*Quid querimur nostros natos perijsse? tueri*
*A nece nec possunt pignora Cœlicolæ.*

E GRAECO.

*Qui tuba uirtuti Heroum, Diuisq; prophetes.*
*Qui uitæ Titan Hellados alter erat.*
*Aonidum lumen, lingua immortalis in orbe,*

Pontifluus cinis hic hospes Homeron habet.

DE VALERIO PVBLICOLA.

Publicola excelsas sapienter diruis ædes,
Quæ tibi non paruæ suspicionis erant.
Ne regem in patria uelles te reddere, regem
Constituat tanquam monte locata domus.
Si tibi opes inerant amplæ, Libithina docebat,
Nam mendicata stipe sepultus eras.

E GRAECO.

Non mage saxa trabes Orpheu, quæcusq; ferasq;,
Placabis cœli, nec maris ipse minas.
Nam tua Mnemosynes deplorant funera natæ,
Nec parcit genetrix Calliope lacbrymis.
Ecquid lugemus mortales morte peremptos?
Si in Superum natos mors habet imperium?

E GRAECO.

Non si me ex auro fuso statuetis Homerum,
Hic ubi fulmineus Iuppiter irradiat.
Non Salaminus ero, nec sum, natusq; Meletis
Demagori, hoc oculis Græcia non uideat.
Quærite uatem alium, nam uos mea metra canetis
O Musæ, atque Chios, pignoribus Danaum.

DE POLIXENA.

Iliaca Aeacidæ ante rogum sacra hostia uirgo
Constitit intrepido pectore nuda, & ait.
Pyrrhe feri innocuum pectus, patremq; cruore
Pasce meo, postquam sub Phlegethonte sitit.
Ipsa libens morior, seruans illæsa pudorem,

*Quo nisi seruato non mihi grata forem.*
*Et ferrum excipiens, caderet ne turpe, timebat,*
*Tanta & in extremo cura pudoris erat.*

E' GRAECO.

*Extructum ad patris tumulum tristes hymeneos*
*Dum celebrat Pyrrhus uirginis Iliacæ.*
*Infestas lacerata comas, conquestáq; cædes*
*Natorum, infelix protulit hæc Hecuba.*
*Traxisti exanimem uinclis prius Hectora Achilles,*
*Fata Polixenæ tristia nunc repetis.*
*Tantum odio meus est uenter tibi, quod nec in urna,*
*Es mihi mitis adhuc, pignoribusq; meis,*

DE SCIPIONE SVPERIORE.

*Annibal ad Cannas trepidantem strauerat urbem,*
*Dumq; illam patres deseruisse parant,*
*Constitit in medio iuuenis furibundus, & audax,*
*Et iurare minis cogit, & ense patres.*
*Non deserturos patriam, te ò Scipio raptum,*
*Non nisi uaticino numine crediderim.*
*Ense fugasti ignes, iustóq; timore timorem,*
*Plus duce dum pœno te timuere tui.*

E GRAECO.

*Nomine sum Sapho ipsa nurus deuinco canentes*
*Tantum ego, quantum homines carmine Meonides,*

ALITER.

*Sic ego fœmineum supero genus omne canendo*
*Sapho, ut Homere uiros exuperare soles.*

E GRAECO.

Sponte sua ad caulam miseri uenere iuuenci
E monte oppleti tergora tarda niue.
Eheu Thermacus longum sub robore tristi
Somnum, cœlesti uictus ab igne trahit.

DE ICARO.

Damnosas genitor nato monstrauerat artes,
Qui naturæ audax arte nouator erat.
Fili ito ingeminans medio tutissimus, alæ
Ne urantur flammis, ne ue gelentur aquis.
Altius at spatians ponti perit Icarus undis,
Vt cecidit flammis, sic tumulatur aquis.

E' GRAECO.

Aeneus existens ne decipiare memento
Icare ab alarum remige & arte puer.
Viuus eras, quum tu caderes in salsa profundi,
Aeneam habens nunc spem, tu ne uolare paras?

E' GRAECO.

Quum manibus librum Hesiodi iam forte tenerem
Euoluens, ad me Pyrrha repente uenit.
Projciens illum in terram tunc talia dixi,
Quid longæue mihi das opera Hesiode?

DE APPIO PVLCHRO.

Istri inerant hilares uino, palmaq; recenti,
Irruit in tutos Appius, bosq; premit.
Euomere & Bacchum, & palmam cum sanguine cogit
Pulcher, enim faustum nomen ad omen erat.

E GRAECO.

Ligna uiator inest isthæc cædentis imago,

*Qui bene ligna secat, nouit Atlantiades.*
*Ex sudato opere agnouit sua præmia ferre,*
*Semper enim bonus est, qui solet esse bonus.*

E GRAECO.

*Ignari esse nouem quidam dixere sorores,*
*Lesbis enim his Sappho est annumeranda nouem.*

DE NIOBE.

*Non opus inferijs, nec opus mihi fletibus ullis,*
*Construitis frustra quid monumenta mihi?*
*Consulit impensæ, & noster dolor imbribus atris,*
*Sum mihi met lachrymæ, sunt mihi met tumulus.*

E GRAECO.

*Forma infelicis Niobes uerissima, natos*
*Heu miseranda parens pignora plorat adbuc.*
*At si non animam sortita est, non fuit error*
*Artis, ab arte fuit fœmina marmorea.*

E GRAECO.

*Sta prope amice, graues cernens lachrymare dolores*
*Tantalidis Niobes garrulitate leui.*
*Cuius bis sextum partum absumpsere sagittis,*
*Arcitenens Phœbus, tum pharetrata Soror.*
*E carne, & saxo hæc corpus coalescit in unum,*
*In lachrymas Sypilus soluitur assiduas.*
*Effrenis linguæ uitium mortalibus ipsis*
*Sæpe quidem infelix exitus esse solet.*

DE FABIIS.

*Suaue nitent flores, hic dulce immurmurat umbra,*
*Nidificant & aues, mellificant & apes.*

*Hic ubi deuotum Fabij fudere cruorem,*
*Hic ubi odorata contumulantur humo.*
*Inter enim flores, & mella, & carmina, & umbras,*
*Debuit has animas detenuisse sopor.*

E' GRAECO.

*Deucalionis aquis, quibus olim perdita gens est,*
*Nec quibus exusta est iam Phaetontis equis.*
*Tot periere homines Potamone quot usque poeta,*
*Et quot chirurgo perdita ab Hermogene.*
*Quare bis geminæ pestes mortalibus ortæ,*
*Deucalion, Phaeton, Hermogenes, Potamon.*

E' GRAECO.

*Mortuus Eutichides monstrorum scriptor, ab orco*
*Di fugite, ipse odas secum habet Eutichides.*
*Mandauitq; sibi uigintiquinque peruri*
*Iam legum cistas, bis quoque sex cytharas.*
*Nunc uos mors petijt, quo quisque recedat, & ipsam*
*Quando etiam terram detinet Eutichides.*

DE CLEOMEDE.

*Hoc tumulo sese Cleomedes clausit, aperto*
*Mortuus, aut uiuus non fuit in tumulo.*
*Ast alibi inuentus Superis debere, quid ergo?*
*Decepit tumulum forsan, & ille necem.*

E' GRAECO.

*Ex ferro hanc statuam, modo qui Rex obruis orbem*
*Erexere, quod est uilius ære, tibi.*
*Pro nece, pauperie, atque fame, pro præpete & ira,*
*His mortale genus perdis auaritia.*

E' GRAECO.

*Iuxta difficilem Scyllæ erexere Charybdim,*
*Crudelem, dirum hunc efferum Anastasium.*
*Et tu Scylla tibi timeas, ne deuoret & te,*
*Tota licet maneas ænea, dura, rigens.*

DE FABIO BVTEONE.

*Insulæ erant spolijs plenæ, mare, littora, syrtes,*
*Præda illa ingenti, gentium'& imperia.*
*Quam Buteo euicta in pelago Carthagine cœpit,*
*Et toto undarum sparsit in orbe Deus.*
*Sentiat'ut uires, trepidetq; in diuite præda,*
*Vrbem orbis, Romæ est gloria sola satis.*

E' GRAECO.

*Dirus heri medicus me affectum inuisit Iacchi,*
*Atq; interdixit dulcia dona mihi.*
*Iussit & imprudens haurirem ut flumina, Homero*
*Teste, merum infundit robur, & ingenium.*

E' GRAECO.

*Qui sine litterulis, & inops fuit, ut prius, ille*
*Amplius haud molit, nec precio est gerulus.*
*Sed baculum è triuio capiens barbam fouet, & se*
*Virtutis primum dicit inesse canem.*
*Pantasophon hoc dogma Hermodoti, si quis caret ære,*
*Induat hic tunicam, nec magis esuriet.*

DE PHAETONTE.

*Torrida conspiciens, & adhuc fumantia nati*
*Ossa parens Clymene iam Phaetontis, ait.*
*Monstrasti quid eras, exurens sydera, & undas,*

Quumq;

*Quumq; Iouis caderes omnipotente manu.*
*Nate dolor nobis, & nos tibi mortis acerbæ*
*Causa, pater curru, iussibus ipsa meis.*

E' GRAECO.

*Gratiam utranq; simul galea est sortita, & amicis*
*Vsu grata suis, hostibus atque timor.*
*Nanque alias, ex quo retinet me Piso, decebat*
*Non galea ipsa comas, ne ue comæ galeam.*

E' GRAECO.

*Si sophiam donat barbam non radere, & hircus*
*Barbatus sapiens posset inesse Plato.*

ALITER.

*Si fore barbatum est sapientem, ac esse disertum,*
*Et caper esse potest hac ratione Plato.*

DE SCIPIONE AEMILIANO.

*Qui fecit nunquam, aut dixit, nec sensit iniquum,*
*Præter aui quod erat, fecit & esse suum,*
*Magnum illud nomen stratæ Carthaginis, urbem*
*Quæ sola, & nostros terruit illa Deos.*
*Effertur capite obtecto, quod iam caput orbem*
*Victrix Roma super, sydera & alta tulit.*

E' GRAECO.

*Barbati Cynici Cererem baculo usque petentis*
*Vidimus in cœna multiplicis sophiæ.*
*Parcebat primum raphanis, idemq; lupinis,*
*Virtutem haud seruam uentris inesse uolens.*
*Ante oculos album ut bulbum conspexit amarum,*
*Cœpit eo prudens tempore consilium.*

*Præter spem petijt, uere & mandebat, & inquit,*
*Bulbum uirtutem lædere posse nihil.*

E GRAECO.

*Postquam & enim à barba pendet sapientia grandi*
*Esse potest sapiens dux gregis ipse caper.*

DE GIGANTIBVS.

*Qui coaceruarunt iam montes montibus altis,*
*Pulsabantq; suis sydera uerticibus.*
*Infractos premit Inarime, Lipara, Aetna gigantes,*
*Pondere nixa suo nec superare potest.*
*Mortui enim solidæ quassant fundamina terræ,*
*Nil mirum uiuos si timuere Dei.*

E GRAECO.

*Vsque salutatum multi, & pene omnis amauit.*
*Nam res difficilis uerus amicus erit.*

E GR. IN EMPEDOCLEM.

*Iam fueram quandoq; puer, quandoq; puella,*
*Arbor, auis, piscis, flammeus inq; mari.*

DE SYLLA ET MARIO.

*Sylla putans Marij manes scelerare sepultos.*
*Dissipat effosso membra sepulta rogo.*
*Fluminis & rapidas Anienis mersit in undas,*
*Vt iam tectus humo, post tegeretur aquis.*

E GRAECO.

*Pessimũ enim inuidia est, habet autẽ hæc cõmoda secum:*
*Inuiduli quòd cor macerat, atque oculos.*

ALITER.

*Res bona, tum mala fit liuor, nam lumina uisu,*

Denique tabescit cor male liuidulis?

RETRO.

Liuidulis male cor tabescit, denique uisu
Lumina; nam liuor fit mala, tum bona res.

DE MITHRIDATE REGE.

Maximus ille fui Rex, & bellator, & hostis,
Nam cum Romulidis prælia longa habui.
Ingenio, mente & memori cura, atque labore,
Plurima & in rerum cognitione ualens,
Impietate tamen fœdaui hæc omnia, matrem,
Vxorem, & natos dum iugulo ipse meos.
Quum mortem optarem sumpto mi inferre ueneno,
Dura magis diro ferre negauit opem.

E GREACO.

Diuus Aristocles, uincit qui moribus omnes,
Hoc iacet in tumulo sobrietatis amans.
Si sophiæ ulli hominum laus ampla indulserit, uni
Contigit huic soli, nec tulit inuidiam.

E GREACO.

In te non fallens liber & mentitus Homeri
Consilia ascribens pendula militibus.

DE P. CLODIO.

Nobilis es Clodi, fateor, facundus, & audax?
Hoc fateor, doctus mirifice hoc fateor.
Exerces odium si cum Cicerone pudendum,
Causa hæc, dissimiles quod fueratis, erat.
Nobilis & Cicero, licet & facundus & audax,
Sitq; etiam doctus, dissimile illud erat.

*Optimus ille inquam, tu pessimus omnium, & unus,*
*Qui patrem patriæ truderis è patria.*

E GRAECO.

*Quare ulnam Nemesis teneam, si forte rogabis,*
*Ne quid mensuram sit super admoneo.*

E GRAECO.

*Docta manus fecit quamuis, hanc respuit artem*
*Sculpta amethistus habens sobrietatis opus.*
*At Cleopatræ inquam moderari ob uina madentem*
*Reginæ in manibus debuit ipse Deus.*

DE XERXE.

*Agmina conspiciens latos diffusa per agros.*
*Quæ poterant fluuios, quæq; bibisse lacus.*
*Plorauit Xerxes superbis, quum sciret ab annis*
*Centum, ex tot nullum tunc superesse uirum.*
*O lachrymæ crocodilli, amens peritura gemebat.*
*Sæculo, & ad cædem Dux trahit ipse breuem.*

E GRAECO.

*Iam maris, & terræ mutato calle pedestrem.*
*Aequoris, & nautam frugiferentis humi.*
*Tercentis Mauors Spartanus passus in hastis.*
*Quum maria, & montes erubuere simul.*

ALLVSIO.

*Iam mare transmissum pedibus, montesq; carinis,*
*Mirati inuersas orbis inesse uias.*
*Attoniti, & paucos Xerxi haud cessisse Laconas,*
*Et ruere in ferrum pro patria intrepidos.*
*Immo necem incertam, Mauors, Pan, Pallas, Enyo.*

Demissis oculis erubuere genis.

E GRAECO.

Fontium amœnæ undæ fugitis quid?tanta aqua ubi nã?
Quis Phœbi æternas hauserit ignis aquas?
Deficimus lachrymis,nobis quotquot fuit haustus,
Agricolæ ipse cinis tam sitibundus habet.

DE POMPEIO ET MITHRIDATE.

Vere magnus eras tu Mithridate superbo
Pompei ante pedes collachrymante tuos.
Maior ubi afflictum solaris,& erigis illum.
Quumq; dabas uitam,pacem,& amicitiam,
Maximus imponens uicto & diadema,quid ultra
Exoptas? Reges uincis,& ipse facis.

IN PLATONEM E GR.

Eloquij os Græci præstans ut maximus esset,
Qui caneret,tellus ænthea te peperit.
Primus enim in cœlum atq; Deum tua lumina tollens,
Et uitam & mores cernere diue Plato.
Socraticum Samio miscens cratere lyeum,
Exprimis è duplici nobile uite merum.

E GRAECO.

Occubui,sed te expectans,alium ipse moraris,
Omnes mors pariter suscipit una homines.

ALLVSIO.

Ipse hodie pery,tu cras morieris,ouile est
Orbis,ad interitum ducimur ut pecudes.

DE CEPHALO.

Insanis Cephale & nimium,stellantia linquens.

Tecta, & humum repetens, fœmineamq; fidem.
Illa parum constans, rara est nam fœmina amori.
Quæ non succumbat uel prece, uel pretio.
Esto ibi, nam si tu bene picta reliqueris astra,
Non aurora tibi, nec tibi Procris erit.

E GRAECO.

O'q; tui capitis sacri immortale uolumen.
Procle beate, Deum spirans simulachra marinum.
Quodq; reliquisti sacrum mortalibus ægris
Præsidium, pro te ille animas medicamine sanans
Quiq; tuam integram uitam monumenta tuarum
Virtutum scripsit relegenda nepotibus ipsis.

E GRAECO.

Bis tres, terq; decem astrologi me uiuere dicunt,
At mihi sufficiat uiuere tres decadas.
Hæc uita integra est homini ultra quæq; supersunt,
Nestori, & infernas Nestor adiuit aquas.

DE MANLIO TORQVATO.

Natum & uictorem, licet in tua iussa, securi
Cur dederas Manli, uel mage dura silex?
Error erat certus, natum præferre parenti.
Et legi ambiguum prælia inire fuit.

E GRAECO.

Iam florens cicer est, & pulchra rosaria uernant
Et caules cra nbe Sasyle prothotomi.
Caseus atque recens salsus, tum mena mouet se,
Iam lactucarum crispula cæsaries.
Non in conspectu, ut semper, nos stamus, ut ante

Sosyle, nec petimus littora curua maris.
Nam ludebat heri Antigones, Bacchusq́; peremptos
Ad tumulum hos ipsos nos hodie efferimus.

E GRAECO.

Aebrij erant omnes, fatuus uult sobrius esse.
Hinc solus uisus æbrius, & fatuus.

DE VLYSSE.

Vrbis ego & solus Troianæ euersor Vlysses.
Cuius mirator diuus Homerus erat.
Qui Cyrcem euasi, Sirenes, fulcra calipsus,
Antraq́; Cyclopis, Nausicaæ & laqueos.
Quid prodest terræ superasse pericula, & alti?
Anato, inq́; domo saucius occubui.

QVOS VTIQVE SERMONES Vlysses descendens in patriam.

E GRAECO.

Salue Ithace post bella, maris durosq́; labores
Ad tua tecta libens uenio, ut cognoscere possim.
Laertem, uxoremq́; & dulcem denique natum.
Me tuus euincens amor impulit, atque cupido.
Dulcius ecquid enim patria, atq; parentibus optem?

E GRAECO.

Agrum Menophanes mercatus ab arbore pendet.
A lterius laqueo uictus ab esurie.
Nec capere, aut tegere exanimē ualet emptus agellus,
Vicini pretio est contumulatus humo.
Menophanis si Epicurus agrum nouisset, inesse
Omnia plena agris diceret, haud atomis.

DE CAESARE AVGVSTO.

Brachia porrexi totum uictricia in orbem,
Sub Styge, & ad Superos cognitus usque Deos.
Subq; meo imperio proles æquæua parenti
Passa est humanas uirgine nata uices,
Prospera cuncta habui. quia Pax, Astrea, Themis'q;,
Cum Ioue mortali tunc coluere solum

E' GRAECO

Pingitur, & Phaeton, & habet sub imagine formam,
Ars tamen ardentem non Phaetonta facit.
Tu quoque Dux sapiens sapienti es pictus ab arte,
Sed tua non uirtus, nec tuus ipse labor.

E' GRAECO.

Non modo ad ilissum legum exoriuntur amantes,
Non modo ad Eurotam Martia gens oritur,
Sinesium stupuit Themis, & Victoria, tanquam
Mopsopium ciuem, tum Lacedemonium.

DE CADMO.

Cadme animo forti durum patiare parentem,
Orbe pererato conditor urbis eris.
Et comitum uindex, sinuosi uictor & hydri,
Armatæ & messis messor, & agricola.
Felix exilium, quo Alcides, Pindarus, Euan,
Astra, & humum oblectant, robore, uoce, mero.

E' GRAECO.

Quum timidum è bello amissis insignibus armis,
Mœsta reuertentem te exciperet genitrix
Lætalem extemplo Demetri compulit hastam,

*In latus illa tuum, talia uerba loquens,*
*Occumbas, neq; Sparta habeat te dedecus haud hæc.*
*Deliquit, natos si peperi trepidos.*

E' GRAECO. aliter.

*Mater ut è bello uenientem uidit inermem,*
*Irruit in natum, cuspide & interimit.*
*Quæ culpa est patriæ intrepide Lacedemonis, inquit,*
*Si te alui trepidum, si peperi & trepidum.*

DE TIBERIO CLAVDIO.

*Pressit & imperi tum uitiosus & ebrius Vrbis*
*Claudius ille Nero, Claudius immo mero.*
*Aurea mutauit qui in ferrea secula, per quem*
*Antra Iouis Stygij sunt spoliata pijs.*
*Vt redeant omnes pœnæ, tormenta & in unum,*
*Nec sat sunt uitijs tartara tcta suis.*

E' GRAECO.

*Extrema includis tu Memphi philocriton urna,*
*Qui à mercatura factus arator erat.*
*Nilus ubi excurrens uehementi confluit unda.*
*Sub modico hunc hominem deposuit tumulo.*
*Qui mare iam uiuens uitauit, opertus ab undis*
*Nunc moriens misero naufragat in tumulo.*

ALLVSIO.

*Naufragium metuens mercator liquerat undas,*
*Et terram inuertens factus arator erat.*
*Emoritur Memphi, & ripis ubi fluxus aquarum*
*Nili inerat maior, hospes habet tumulum.*
*Et quod iam uiuens fugit, fert mortuus, immo*

*Quod plus, naufragio pellitur è tumulo.*

DE PORO REGE INDORVM.

*Quantus erat Porus noscas, quod uictus ab illo.*
*Cui cessere Asiæ Regna, Duces, populi.*
*Viuere nolebat, cui Rex uirtute superba*
*Captus Alexander perdita regna dedit.*
*Magni ambo Reges, uincens hic, uictus & iste*
*Hic dono, hic gemitu, maximi uterque animi.*

É GRAECO.

*Non me occultabis, tellus licet ima dehiscat,*
*Quin oculus uideat uirginis, omne uidens.*
*Pro nece condonas urnam mihi, munere tali*
*Cœlitus æquales. Di tibi dent charites.*

E GRAECO.

*Eliodorus obit mortem, uxor Diogenia,*
*Dilectum subito subsequiturq; uirum.*
*Ambo uelut plocæ in lecto tumulantur eodem,*
*Læti, & concordes in tumulo, & talamo.*

DE C. CALIGVLA.

*Romule tu ne tuam pateris, quod diruat urbem*
*Caius portentum, dedecus atque tuum?*
*Ecce cupit totum colli unius esse Senatum,*
*Ictu uno ut cunctos tollat & ense Patres.*
*His dictis cecidisse illum, & cum coniuge natum*
*Sentio ad arma mouent impia facta Deos.*

E GRAECO.

*Aedes Andragoræ somno, uinoq; sepultas*
*Hyberno absumpsit tempore flamma latens.*

*Octoginta uiri, sed corpora libera seruis.*
*Cumq; suis diro deperiere rogo.*
*Non distincta ualent, affines colligere ossa,*
*Sunt monumenta simul, iustaq; facta simul.*
*Vnus & erectus tumulus facile attamen orcus*
*Vnumquenque etiam nouerat in cinere.*

E GRAECO.

*Si bacca insana est, lapis & furit æbrius, istud*
*Non natura facit, sed manus artificis.*

DE ARISTEO.

*Stringere Aristeus ni ueum lac repperit, & uos*
*Taurigenæ amissas congenerauit apes.*
*Illarumq; domos fragranti munere Diuum*
*Stipatus dulci depopulauit ope.*
*Perdita at Euridice nisi se luxisset, & illam,*
*Monstrasset nobis nectar, & ambrosiam.*

E GRAECO.

*Ad stygios nostri cum Dæmone muneris expers*
*Ne tu esses, tibi quod conuenit harmonia.*
*Nicomachus, Drome, & Nata, hac ratione columnam*
*Vsque tui memores struximus, & tumulum.*

E GRAECO.

*Dulce canens, ualidum emittens uocisq; tenorem*
*Sola ex fœmineis fœmina pectoribus.*
*Muta iacet tantum poterant ne stamina uitæ,*
*Dulcia Calliopes clauderet ut labia?*

DE DOMITIO NERONE.

*Roma tuus Phalaris, Phaeton, tuus atque procustes,*

Ecce Nero infames stat ferus ante fores.
Claude illas, pugna, ne intret, ne naufraga fias
Diluuio turpi sanguinis, & cineris.

E GRAECO.

Ortus; & occasus mundi mensura Neronis.
Et finem attingunt gesta utriusque soli.
Illius Armenios manibus sol uidit ab ortu,
Germanos, uictos, uidit ab Hesperijs.
Decantent belli geminatum robur Araxes.
Et Rhenus poti gentibus à domitis.

E GRAECO.

Non egressa prius Rhodijs ego sacra uolucris,
Primum cercaphidis aetos historia.
Tunc suspensa pedem altiuolans perq́; aera latum
Ipsa Rhodon petij, quando Neronis erat.
Tunc uersata domi manibus Regisq́;, futurum.
Non fugiens, immo sum uenerata Iouem.

DE FILIO TAMIRIDIS.

Massagetum fueram Reginæ filius, ætas
Certantem imprudens perdidit, atque merum.
Dedecus ut potui, utrusq́; fugare, fugaui
Sed quia me turpi tinxit utrunque nota
Ense uiam inueni, de plaga ut dulce uenenum
Prodeat, ut labem deleat ipse cruor.

E GRAECO.

Sæpe quidem dixi, hoc repetamq́; sepultus ab urna
Ebibite, ante tegat quam niger ossa cinis.

E GRAECO.

Fœmineum nunquam ingenium, nec cana senectus
  Lassa tuæ uocis soluerat harmoniam.
Sed uox communi cædens in funere legi,
  Heu, tua clausisti guttura Calliope.

DE CLAVDIO.

E latebris exi ignaue ac timidissime Claudi;
  Sors tua te stupidum quærit ad imperium.
Gens inuicta foris quæ pugnat, & imperat orbi,
  Vt monstro imbelli seruiat una domi.

E GRAECO.

Non tantum, quum bella sonant gemitu atra cadentum,
  Euasit per me liber Anaximenes.
Ast etiam è pelago, classem quum fregit Enyo,
  Adnantem in nostra libero eum tabula.
Olli sum clypeus spes terræ, atque æquoris, illum
  Audacem educens de duplici interitu.

E GRARCO.

Eheu, quæ Romæ lyricem fuit una sororum
  Emodulata, ab humo contegitur pharia.
Dulce melos cytharæ periit, reticentq; camœnæ;
  Cuncta cum Ioanna deperiere simul.
Forte & Castalides legem statuere sorores,
  Vrna ut Ioannæ sit sacer ipse Helicon.

DE DEMOCLE ATHENIENSI.

Detinuit stupidas Democles pulcher Athenas,
  Tanta fuit uultus forma, decorq; sui.
Hunc Rex auersum Demetrius arsit, & inter
  Balnea uim soli dum parat, atque dolos.

Quid facies miserande puer? discrimina ab omni
Plurima parte instant, heu miserande puer.
Non pugnare potes fugere hinc minus, urget & hostis
Feruidus, immo tenet, nudus, inermis eras.
Aude aliquid dignum patria. Tunc protinus audax
Se se in feruentes præcipitauit aquas.
Morte scelus, flammã extinguens calido amne, parauit
Aeternum nomen tum sibi, tum patriæ.

E' GRAECO.

Coe tuam uocem conscripsit Apollo, uel artis
Peoniæ fidus testis es Hippocrates.

E GRAECO.

Regis Iuliani medicorum maximus arte.
Quem uenereris erat diuus Oribasius.
Hic medici auxilij flores excerpsit ab hortis.
Ac ueluti in pratis sedula carpit apis.

DE SERGIO GALBA.

Galba tuas etiam Roma est moderatus habenas,
Sed quia auaritiæ iam studiosus erat.
Ne mage auarus opes condat, cæde iuit ad orcum
Longæus uita, sed breuis imperij.

E GRAECO.

Vnde fuit, qui te hic posuit? Byzantius, & quis?
Eusebius, quis tu? Coius Hippocrates.
Effinxit cur te? doctrinæ ob nomen, at illi
Grata urbs pro tali dona labore dedit.
Cur se non potius confinxit imagine? quod me
Dum celebrat, fruitur laude magis celebri.

E GRAECO.

*Tempus erat, quo mortales terra alma recepit,*
*Per te immortales ipsa Galene aluit.*

DE ANDROMACHA ET FILIO.

*Hectoreos cineres metuens ne spargat Vlysses,*
*Euocat è latebris Astyanacta parens.*
*Andromacha infelix dicens, spes altera Troiæ*
*Parue puer Danais iam metuende ueni.*
*Solue metus, patri, quam formidatur, & in te,*
*Dicito, tractus adhuc, & tumulatus adhuc.*

E GRAECO.

*Andromachæ sentimus adhuc lamenta, & ab imo*
*Mœnia adhuc Troiæ diruta conspicimus,*
*Et duri Aiacis casum sub mœnibus urbis,*
*Pendentemq; ab equis Hectora ab axe trahi.*
*Carminæ Meonidæ. quem non patria una poetam.*
*Terræ utriusque immo tollit utrunq; solum.*

E GRAECO.

*Ipse ego quum canerem, sacer exculpebat Homerus.*

DE M. SYLVIO OTHONE.

*Quod male quæsierat regnum, bene perdidit, urbis,*
*Nam nece quæsierat perdidit atque nece.*
*Pectus enim in proprium generosum condidit ensem.*
*Galbæ ultus manes sic uiolentus Otho.*
*Ad stygа multi illum in sese stricto ense sequuntur.*
*Et mors inuidiam sanguinolenta fouet.*

E GRAECO.

*Archiæ ò fili, tibi summa columna Pericles;*

Hæc sunt immersi, discite, saxa uiri.

DE VITELLIO.

Et tu etiam inuadis Romam scelerate Vitelli?
Ventri, & delitijs obsequiose tuis.
Sed quia fœdus eras, uitijs condigna tulisti
Fata, per obscenum tractus ubique lutum.
Discite uos alij, in terris Adrastia inultum
Nullum enorme unquam præterit ipsa nefas.

INTEROGATIO HOMERI
E' GRAECO.

Vos piscatores ò Archades ecquid habetis?

RESPONDENT.

Non captum ferimus, quod captum est, linquimus ipsi.

E' GRAECO.

Mnemosine expauit, quum sensit dulcia Saphus
Carmina, ne decimam Musam habeant homines.

DE CRESO REGE.

Esse pium in Superos, & relligionis amantem
Disce, iuuat, multis Rex opulentus eram.
Sorte, auro, & natis, hominesq; his posse beari
Dum reor, amisi natum ego, & imperium.
Et captiuus agor, uiuens & ab hoste cremabar,
Oro Deos, cælo præcipitantur aquæ.
Vita datur, solum ut celebrem clamansq; Solonem
Hoc repetam, ante obitum nemo beatus erit.

E' GRAECO.

Blandum Hymenæe tuum Alemanam, carmine qui te
Tollit, digna canens Pieridum albus olor.

*Vrna tenet sparte charitem magnam, iste petiuit*
*Lydus enim posito pondere Ditis aquas.*

DE ANACREONTE E GR.

*Floreat asserpens tumulo iucunde Poeta*
*Planta tuo bicolor Baccho & amata Deo.*
*Quattuor educat circum te sparsa corymbos,*
*Purpureos flores mollia prata ferant.*
*Decurrant niuei lactis fontesq́, merumq́;*
*Dulce, & odoratum sponte refundat humus.*
*Vt cinis arescens tuus oblectentur, & ossa,*
*Si qua peremptorum est sub styge lætitia.*

E' GRAECO.

*Astetit hesterna medicus mihi luce iacenti*
*Hostis, & ægroto denegat ille merum.*
*Iussit aquam bibere & fatuus, tum indoctus Homeri,*
*Vino hominum uires, qui inualuisse refert.*

DE VESPASIANO.

*Languebat triplici lacerata tyrannide Roma*
*Erigis oppressam Vespasiane manu.*
*Diruis & Solymam: longa turpiq; necarat*
*Cæde redemptorem quæ truculunta suum.*
*Postquam triumphales pompas conscendis olympum,*
*Et patriæ uindex, uerbigenæq; Dei.*

E' GRAECO.

*Naxius haud perijt lycus in tellure, sed alto,*
*Nanq; ratem, atque animam perdidit ille simul.*
*Soluerat Egina mercator, et occidit undis,*
*Marmor ego incisum nomen inane gero.*

*Hoc uerbum edico uerum, occidentibus hædis*
*Effuge habere fidem, tradere teq; mari.*

E' GRAECO.

*Primitias frugum è sparta Phœbo hasce ferentes*
*Nox una, unum æquor, condit & una ratis.*

DE ADRASTO.

*Quid superest Adrastus ait, mea dextra? peremptis*
*Fratre meo, & domino, qui mihi frater erat.*
*Nil, nisi ego infelix mihi, Disq; inuisus, at ipsa*
*Perdere sueta tuos, me quoque perde manus.*
*Dixerat, & subito manus obsequiosa peregit*
*Impietatis opus, ob pietatis opem.*

E' GRAECO.

*Quam cuperem celeres naues non esse, dolendus*
*Ne ue Dioclide Sopolis ipse foret.*
*Fama hunc est constans ponto periysse, sepulchrum*
*Nam pro illo uanum condimus, & titulum.*

E' GRAECO.

*Summa procella euri, noctis me perdidit umbra*
*Orionq; ferox, dum cadit undisonus.*
*Per mare dum medium curro surgentibus undis*
*Caliscus libycum, uita relicta mihi est.*
*Nec reuolutus aquis discessi, at piscibus alti*
*Præda fui, mendax, falsus & iste lapis.*

DE TITO.

*Quem uos optastis, moderatur sceptra Quirites*
*Vestra Titus, uestris plaudite delitijs.*
*At quia, quem optastis, linquit bene recta Quirites*

*Sceptra breui, uestras plangite delitias.*
*Nam quam gratus erat populo, quàm charus, & orbi,*
*Integra uita, & mors tam lachrymosa docet.*

E' GRAECO.

*Vrnam hominis penitus miseri hoc in littore cernas,*
*Qui infelix fractis distrahitur scopulis.*
*Hac caput absque comis, hac sunt sine dentibus ora,*
*Exungues manuum quippe iacent digiti.*
*Carne, utrunq; latus nudum est, neruo utraq; planta*
*Corpore deq; omni membra soluta iacent.*
*Hic, qui diuisus multis in partibus, olim*
*Vnus erat, felix qui minime exoritur.*

E' GRAECO.

*Iuxta Reginam & Regem erexere Tribuni*
*Hanc statuam Thomæ moribus, & meritis.*
*Ipse quidem ornauit diuina palatia, & auxit,*
*Et curauit opes cùm pietate tamen.*
*Gratus enim labor hic quid nam pictura rependit?*
*Debita quam gratis, & monimenta uiris.*

DE ALEXANDRO MAGNO.

*Dum tibi Alexander fortuna benigna quod optas*
*Largitur, penitus te tibi surripuit.*
*Nam patriam, mores, habitum, cum Perside mutans*
*Degener effeceris, barbarus, atque grauis.*
*Et dum furtiuum patrem mercaris ob aurum,*
*Ipse homines una decipis, atque Deos.*

E' GRAECO.

*Vel tua dextra author, uel tu sicyonie Plastes.*

Lysippe extiteris, gloria in ære fuit
Aere in Alexandri, non amplius argue Persas,
Si fugiunt uiso parce leone boues.

È GRAECO.

Audaces animos Lysippus in ære secutus,
Formam & Alexandri, robur & omne fuit.
Dicenti similis statua est ò Iuppiter, omnis
Terra mihi debet, tu tibi Olympon habe.

DE DOMITIANO.

Non potes esse diu absque tuis illæsa tyrannis,
Flauia & ipsa domus dat tibi Roma suum.
Tam similem Caio infami, diroq; Neroni,
Quam fratri, sancto dissimilemq; patri.
Ordine enim innocuo qui quum sæuiret in omni,
Tollitur ense urbis dedecus, atque domus.

È GRAECO.

Qui mare sulcatis uos, Cyrinensis Ariston,
Per summum ò nautæ, supplicet ipse Iouem.
Icaria ad patrem me saxa iacere Menoni
Immersum, ægeo, dicite, & in pelago.

È GRAECO.

Huic gressum, huic lucem sors abstulit, arsq; repēdens
Dat cæco inspicere, & tendere loripedi.
Cæcum equitat claudus, tum cæcas flectit habenas,
Præsto oculi pedibus, suntq; pedes oculis.

DE PHALARIDE.

Clauserat artificem Phalaris diræ artis in aluo,
Vt melius propria uoce probaret opus.

*Cernere erat taurum lætum, licet igne cremetur.*
*Emugire alto gutture, & ista loqui.*
*Quod me animal placidum, mortalibus utile, amicum*
*Nunc facis esse ferum, quod facis id facio.*

E GRAECO.

*Hic mutilus plantis, oculis hic, adiuuat alter.*
*Alterum in bis, quæ iam sors sibi surripuit.*
*Loripedem cæcus ceruice subibat, iterq;*
*Rectum incedebat lumine loripedis.*
*Instruit ista audax, & amarum cuncta necesse hoc,*
*Alteri enim alterius conferat ut pietas.*

E GRAECO.

*Mendicum cæcus claudum ceruice ferebat,*
*Et ducebatur lumine ab alterius.*
*Ambo imperfecti corpus iunguntur in unum, ut*
*Recte eat ut claudus, cæcus ut inspiciat.*

E GRAECO.

*Hunc claudum, hunc cæcū cernis, dum hic sustulit illū,*
*His tribuit pietas, quod negat impietas.*

DE COCCEIO NERVA.

*Te tantum imperio ostendis pie Nerua, parares*
*Aurea ut afflictis sæcula* Romuli *dis.*
*Optime adoptasti prolem, quæ exsuscitet urbem*
*Languentem, extendens brachia ad* Armeniam.
*Vsque etiam* Arrabias *bene olentes,* Indiam *& usque*
*Si quid &* Arrabia *est,* India *& ulterius.*

DE MASINISSA REGE.

*Multa Deis debes ò tu Masinissa, nec ullus*

*E numero Regum commoda tanta tulit:*
*Regna uiris, & equis, lata & regione gubernas*
*Ditia, Romanis fœdere iuncta uiris:*
*Sis licet annosus, tamen es ualidissimus, immo*
*Plantasti natum fertiliore solo.*
*Vicistiq; hostes magno certamine, quid plus?*
*Quam certare senem, tum generare senem.*

E GRAECO.

*Marmor inane meum cernens patrem, oro uiator,*
*Quum Chion aduenies fare Melissa goram.*
*Quod me tum nauem, ac merces malus abstulit eurus,*
*Ipsum autem Euippi mœnia nomen habent.*

E GRAECO.

*Phryx pater ista tibi teneræ monumenta iuuentæ*
*Aequore in Euxino Diogenes posuit.*
*Heu quantum procul à patria, nanq; aura Tonantis*
*Debentem luctum detulit ad patriam.*
*Qui prece te'q; sacris manibus dum conderet urnæ,*
*Vicinum Superis te dedit esse choris.*

DE XERXE.

*Europæ indixit bellum, diuis'q;, uiris'q;,*
*Vt necet ille homines, exuat atque Deos.*
*Turpiter at Xerxem hostem hominũ, diuum'q; fugarũt*
*Ferro, animis'q; uiri, fulmine, & imbre Dei.*

E GRAECO.

*Ite ad Iunonis claram glaucipidis ædem*
*Lesbides, auratos huc'q; referte pedes.*
*Ducite ibi choreas Diuæ, Sappho ipsa tenebit*

*Inter uos princeps aurea plectra manu.*
*Faustæ eritis saltu, iucundum audire canentem*
*Verum erit hanc uobis dulcia Calliopem.*

E GRAECO.

*Tanquam è libro Lycophronis.*

*Haud facile his nostris perplexibus, & laberynthis*
*In lucem euades, denique si incideris.*
*Sermones Priamis tales Cassandra canebat,*
*Anceps quum Regem nuntia iam monuit.*
*Carpe manu, si Calliope te diligit; at si*
*Inscius Aonidum es, nil nisi pondus erit.*

DE VLPIO TRAIANO.

*Hic domuit gentes, urbes subiecit & urbi,*
*Inuictos Reges, gentium & imperia.*
*Cui Roma acclamat tantis applausibus, alti*
*Vt resonent montes, sydera, terra, & aquæ.*
*Viue pater patriæ, Dux maxime, & optime Princeps*
*Te melius quid habent tartara, & astra, & humus.*

E GRAECO.

*Nominis æterni uatem concludit Homerum*
*Hic cinis, Heroum celebrat qui gesta, Ducumq;.*

DE AGAMENNONE.

*Ille hominum, atq; Ducũ Princeps celebratus Atrida,*
*Post domita elatæ regna superba Asiæ.*
*Dum patriam repeto, me excepit adulter, & uxor*
*Incautum, & Veneri uictima tanta cado.*
*Quæsieram ipse Helenam longinquo ex orbe, Parimq;*
*At mea ego infelix clauseram utrunque domo.*

QVOS VTIQVE DICERET SERmones Achilles Agamennone uulnerato.

É GRAECO.

*Nunc mea nota tibi est Agamennon ira peremptrix*
*Troiugenū ad pugnas tū robur in Hectore apertū est*
*Nanq; tuo nocumento omnes periysse dedisti,*
*Deterius nocumentum ingens tibi contigit ipsi.*
*Morte, operi imprudente malūintolerabile perfers,*
*Martia qui in cunctos moderaris sceptra Pelasgos.*

E' GRAECO.

*Scænales hederæ inserpant tibi magne Sophocles*
*Mollibus & plantis usque super tumulum.*
*Et tibi Cecropio fluat urna liquore perenni,*
*Cui uos taurigenæ mellificatis apes.*
*O utinam emanet tibi semper cæra libello*
*Attico, & usque premant laurea serta comas.*

DE LVCRETIA.

*Quum corruptorem nequeat Lucretia nudo*
*Ense sequi, illo aperit sanguinolenta latus.*
*Incorrupte exi corrupto è corpore, dixit,*
*Spiritus, inuicti testis & esto animi.*
*Vt quod non potui seruare oppressa pudicum,*
*Sentiat hoc geminam corpus inane necem.*

E GRAECO.

*Marmor amatorem puerorum continet istud,*
*Patrium, ob Aonides iste perennis erat.*
*Qui Charitum cantus, iam dum spirabat, amores*
*In uestros pueri lusit amore canens.*

Solus apud Manes grauiter fert, non quia solem
  Liquerit, & Lethes merserit amne animam.
Sed quod apud iuuenes gratum Megistea liquit,
  Smerdei Threca & unde peribat amans.
Harmoniæ non oblitus, nam barbitos illa
  In medio Eumenidum nec requiescit adhuc.

È GRAECO.

Tu cantu, & sonitu, & comitatus amore sub umbras,
  Qui dilexisti barbiton, ingrederis.

ALITER.

Et recinens, & amans petijsti regna profundi
  Tu, cui chara nimis barbitos usque fuit.

DE ARIONE.

Dum mare per medium delphino inuectus Arion
  Mulceret tumidas iam cytharedus aquas.
Nereides placidæ in numerum duxere choreas,
  Lusit & in summis tunc Galatea uadis.
Cernere saltantes fuerat delphinas, & ipsos
  Tritones raucis increpuisse tubis.
Omnia læta inerant, Sirenes, Scylla, Charibdis
  Latratum dulces & posuere dolos.
Gaudete ò uates, nam post fera numina auerni,
  Et mare pacatum, tunc lyra facta Dea est.

È GRAECO.

Erexit statuam Periander Arionis, & qui
  Aequora sulcanti tergora curua dedit.
Delphinis placidi monstrat pia fabula quantum
  Exuperant homines impietate feras.

E' GRAECO.

*Vrbe Philoctetem Tracino uidit, & illum*
*Excruciatum audet pingere Parrhasius.*
*Mutæ oculis lachrymæ in siccis, sensuq; carentes,*
*Heroem uexans at dolor intus erat.*
*Quam sapiens pictor, uerum sedare dolores*
*Debuit illius cura, dolorq; graues.*

DE MVTIO SCAEVOLA.

*Hostibus in medijs ausus distringere ferrum es*
*Scæuola, & errantem corrigere igne manum.*
*Recte inquam errasti, postquam successit, ut hostis*
*Parceret & patriæ, parceret atque tibi.*

E' GRAECO.

*Hospitio Herodotus Musas excæperat, illi*
*Librum unum tribuit singula pro hospitio,*

E GRAECO.

*Cunctorum tinctor quum mutas cuncta colore,*
*Tincta & egestate uisus eras locuples.*

DE FILIO CRESI REGIS.

*Mutus erat nâtus Regis Cræsi unicus hæres*
*Strictum ensem in patrem dum uidet, atque dolet.*
*Ne perimas Cræsum conatus dicere, dixit,*
*Nam uocem expugnat clamor, & ora metus,*
*Vtile enim & mirum fuit hoc timuisse duobus,*
*Attulit huic uocem, reppulit inde necem.*

E' GRAECO.

*Mutuo habens mentem oblecta, qui fœnore gaudent,*
*His numerum in digitis linquito, & ipse notas.*

E GRAECO.

In natum imbellem, inspiciens Lacedemone nata
In patriam celeres Marte referre pedes.
Irruit, occurrens trepidantia & ilia pulsat,
Mortuo & insultans talia ait genitrix.
Indignum Sparta pereas genus, atque parente,
Mentitum & martem, tum patriam pereas.

DE VIRGINE AEMILIA.

Aemiliæ precibus damnatæ crimine falso
Emicuit gelido uiuida flamma loco.
Quam bene iam Vestam coluere sub igne Quirites
Nam flammam extincto suscitat illa foco.

E GRAECO.

In eum qui corruperat nouercam.

Esca canum iaceat tumuli sine munere, matrem
Qui uiolat, mater tellus non suscipit illum.

E GRAECO.

Nolo ego nec precibus cupio ditescere, uerum
Hoc precor è modicis uiuere, & absque malo.

DE PALAMEDE.

Stratum in deserta corpus Palamedis arena,
Lege Agamemnonia, Dulichioq; dolo.
Vir probus, & sapiens tumuli sine bonore iacebat,
Aiax nudato sustulit ense, & ait.
Sarcina te pietas si non tutabitur ensis,
Sola tamen pietas tuta & apud stygios.

E GRAECO.

E Troia in reditu Graium usque capharides estis

Pernicies c'aſſi, militibusq́ simul.
Lampadas euincens quum fax mentita uocaret
Cheraras in petras nocte rates miseras.
Altera Troia fuit Danais infestior annos
Perq́ decem bello, perniciesq́ grauis.
Hancq́ euerterunt inuictus nempe caphareus
Nauplie, Græca tibi terra erat in gemitu.

E` GRAECO.

Hei mihi pubertas, languens senium'q́ uolente,
Euolat illa à me, nolentem hoc deuolat ad me.

DE QVINTIO CRISPINO.

Hospicij Crispine Deos quum lædere nolles,
Iurgia te cogunt commaculare fidem.
Arma capis, conscendis equum, concurris in hostem
Feruidus, & Badium cuspide sternis humi.
Quem modo & audisti tumidū, nunc cernis inermem,
Turpiter & uitæ consuluisse fuga.
Iuris amicitiæ temeritati quosque timebas,
Perfidiæ ultores cernis habere Deos.

E` GRAECO.

Sicubi comperies fructus Demetrium amantem
Quisquis es, hoc uerbum uir leue fac referas.
Quod iam candentes fructus, maturaq́ ficus,
Decocti panes sole, uel igne mihi.
Nam statio non certa mihi est, quod si arbore ab ipsa
Carpere uult fructus puriter, acceleret.

DE CYMONE ATHENIENSE.

Quis nam, qui incedit tantis stipatus amicis?

*Munera qui secum tot pretiosa gerit.*
*Hic ille excelsus uictor terráq; maríq;*
*Cymon, qui quod habet, diuidit in patriam.*
*Quam bene uicisti, & spoliasti barbara regna*
*Postquam alis, & uestis, & decoras patriam.*

E' GRAECO.

*Hectore conspersum clypeum gestamen Achillis*
*Prauo habuit Danaum Rex Ithacæ arbitrio.*
*Naufrago Vlysse salum diuellens compulit illud*
*Non Ithacam, Aiacis sed tulit ad tumulum.*

E GRAECO.

*Mortalem noui, meq; unius esse diei,*
*Ast ubi conspicio currere signa poli.*
*Nondum pulso solum pedibus, uerum Iouis infra*
*Numen, diuina perfruor ambrosia.*

DE FILIO TORQVATI.

*Torquato genitus dicebat, parcite ciues,*
*Nam qui me genuit, perdere me potuit.*
*Victima grata cado patriæ, nam obprobria tollens*
*Hoste lacessitus uictor, & ultor eram.*

E GRAECO.

*Iuppiter Otriadem serua pater, haud alium unquam,*
*Qui mage sit præstans cernere nemo potest.*
*Ne patriam è Tyrea solus petat, ense ferit se,*
*Argiuos contra scribit & exuuias.*

DE ANNIBALE.

*Orbis ab extremo Aeneadis qui iam intulit arma,*
*Ante aras patrijs arma professa Deis.*

*Poſt pontem extructum miſera de cæde Quiritum,*
*Sanguinis & fuſi flumina, ſtagna, lacus.*
*Annibal euicit ſe ſe, iam [illegible] inuictus ab armis,*
*Nam luxu eſt Capuæ captus, & illecebris.*

E GRAECO.

*Iam maris & ſenij, & uitæ, mortiſq; ſupremæ*
*Nauta Hyeroclides nauem habuit ſociam.*
*Qua mercatura & piſcatu iuſtior unquam*
*Nulla fuit per aquas expatiata maris.*
*Ad ſenium uſque labore aluit, demumq; peremptum*
*Contumulauit agens ad ſtygis uſque lacum.*

E GRAECO.

*Sectantem pueros, mirum hoc audite, Cratippum*
*Nuntio, enim magna eſt attamen hic Nemeſis,*
*Sectantem pueros nos uidimus, eſt aliud quid,*
*Speraui ipſe iſtam te Venerem ne ſequi?*
*Stultitiam ſperaui iſtam quum creditus eſſes*
*A quocunq; lupus, tam ſubito hædus eras.*

DE ANTIGONO ET PYRRHO REGIBVS.

*Quum Pyrrhi caput Antigonus uidiſſet oborto*
*Fletu, & aui, & patris tunc ſubiere neces.*
*Euerſans animo imperij uariabile fatum,*
*Hoſtem regales duxit ad inferias.*
*Egregium eſſe putans, quem uiuum uicerat armis*
*Defunctum extremo uincere & officio.*

E GRAECO.

*Petra rotunda ego ſum nullo nec tempore trita,*

*Heracleti intus contineo ipsa caput.*
*Me similem atriuit lapidi æuum, cuncta ferentem*
*In curru iuuenum semita aperta ego sum.*
*Nuntio enim cunctis, & sim licet absque columna,*
*Latrantem sacrum plebis habere canem.*

E GRAECO.

*Ante mihi dederas lac, nunc mi porrige uinum,*
*Si me plus bromio diligis ò genitrix.*
*Iam tibi nate sitim nostrum lac reppulit, at nunc*
*Vade, bibens undas, & tibi pelle sitim.*

DE PAVLO AEMILIO.

*Cœperat Aemilius Persen, Macedumq; phalanges*
*Fuderat edomitis urbibus, & populis.*
*Axe triumphali effusamq; inuectus in urbem*
*Ditarat phiscum pluribus exuuijs.*
*Quum moritur charus cunctis, subiere pheretrum*
*Legati Macedum, triste ministerium.*
*Sic Paulum in patria ornauit terra aucta triumphis*
*Incolumem spolijs, post sua fata humeris.*

E GRAECO.

*Nos mare sulcamus Dionysi, ac undique plena*
*Plena inquam est liquido tota carina mari.*
*Istriũ, & Aegeum hauritur Superumq; & Hetruscum*
*Non ratis est, sed fons ligneus oceani.*
*Armate o Cæsar, Dionisius arte gubernat*
*Non mage nauigium, continet immo salum.*

E GRAECO.

*Demagoram & pestem æquales uir senserat unus,*

Lance

Lance malum ſubito librat utrunq; pari.
Poſtq̃ onus exactum eſt æquali examine libræ,
Euicit peſtem pondere Demagoras.

E` G R A E C O.

Ante ſolyciſmum fecit, quàm uerba Philippus
Rhetor, ut os ſoluit barbara uerba ſonat.
Cætera ſollicitans dextra annuit, atque ego ut illum
Inſpexi, ſubito lingua ligata mihi eſt.

D E H O M E R O.

Qui cœlum illuſtrat, mortales inſtruit, æquor
Demulcet dulci carmine Meonides.
Perpetuo terram qui ueſtit ſuaue rubenti
Vere, in Io uitam liquit, & oſſa ſenex.
Vt quem naſcentem perfudit odore roſarum
Iam Rhodos, in uiolis poſt tumularet Ios.

E` G R A E C O.

Hellados omnis honor patriæ & Colophonis Homere
Nate Miletis eras, perpetuumq; decus.
Tu geminas ſacra peperiſti mente puellas,
Quarum una errores, altera & arma canit.
Arma ducum Europæ, atq; Aſiæ tum funera, Vlyſſis
Errores, reditum, paſſaq; damna mari.

E` G R A E C O

Es Chius? haud dico, Smyrneus, & hoc nego, nunquid
Patria Homere tibi Cuma ne, uel Colophon?
Neutra urbs, an Salamis? nec in hac ſum natus, at ipſe
Denique mi referas, quæ ſit origo tua?
Non dicam, ſed cur uerum ſi dixero, fiet

*Illa inimica mihi tunc alia, atque alia.*

DE VIRGILIO.

*Pascis, aras, uincis, pecora, atque noualia, & hostes,*
*Hæc tria tu præstas ò uenerande Maro.*
*Diuus eras, noxere tuum iam numen olores,*
*Ingenium & siren, Romaq; celsa tuum.*
*Nasceris in cantu ò felix, morerisq; canendo,*
*Cæsaris in gemitu, Parthenope & gremio.*

E GRAECO.

*Contineas quamuis regnum irrisibile, & umbras*
*Persephone, ipsa animam suscipe Democriti*
*Grate arridentem, tua de te & mœsta dolensq;*
*Nam solo risu est exhilarata parens.*

DE ZEVSI.

*Pinxit olorinam Zeusis tanta arte puellam,*
*Per quam homines, & Di conseruere manus.*
*Vt Lædam euincens, & Homerum, dicat, habere*
*Vestram Helenam, ipse meam progenui, & peperi.*

E GRAECO.

*Istius patrem, nomemq;, laresq; columna*
*Inclama, & moriens qua nece uictus erat.*
*Huic Priamus genitor, domus ilios, Hectora dicunt,*
*O hospes, certans pro patria occubui.*

E GRAECO.

*Rhetora labrosum obstupui maurum ipse uidendo*
*Vestibus in niueis dæmona rhetorices.*

DE BRVTO ET
PORTIA.

Optime erant thalamo Brutus tum Portia iuncti,
Magnus uterque domo, maior uterque animo
Cæsaris in cædem coniurat uterq; tyranni,
Hic patriæ, ista sui patris ob interitum.
Integer unus erat uitæ, uitæ integra & una
Sponte maritus adit, sponte marita necem.
Vixere unanimes, perierunt fortiter ambo,
Brutus enim ferro, Portia & igne obijt.

E GRAECO.

Thessalus Hippocrates Coa hic de gente sepultus,
Phœbo, immortalis debuit esse satus.
Armis sospitibus quod plura trophea parauit
Morborum haud casu, sed magis arte potens

E GRAECO.

Rhetoris hæc statua est, hic rhetor rhetoris icon,
Et cur? non loquitur, nil mage conueniens.

DE MEDEA.

Pulsa domo, sed non animo Medea profatur,
Exuli enim exilium Rex creo ut ipse iubet.
Redde mihi patriam, quam pro te perdidi Iason,
Quasq; mihi clausi, miq; reclude uias.
Quæ pro te feci, taceo ingratissime, nam sunt
Nota mari & terræ, nota homini atque Deo.
Nanque pudor, frater, genitor tibi patria cessit
Vni uni, dos, & dos mea, uita tua est.

E GRAECO.

Impia quis nam te pinxit sub imagine Colchi?
Fecit & idolo barbarum inesse tuo?

*Vsque necem es sitiens puerorum, uel quis Iason,*
*Alter, uel Glauce, quæ mouet ansa manus?*
*Natorum maculata uale nece, sentit & iram*
*Nam pictura tuam, te quoque zelotypam.*

E GRAECO.

*Ne mi iterum apponas post cœnam sumina porcæ.*
*Frustra inquam, uenter quum satur esse potest.*
*Post spicam agricolis pluuia importuna putanda est:*
*Nec Zephyrus nautas in statione iuuat.*

DE VAL. PVBLICOLA.

*Dirue Publicola, ecce arci nimis imminet altæ,*
*Suspectumq; nimis te facit ipsa, domum*
*Diruit & subito, Tarpeam & deserit arcem,*
*Incolit atque urbis inferiore loco.*
*Damna ferens retulit populi plaudentis amorem,*
*Ex humili ascendens celsior arce fuit.*

E GRAECO.

IN PVERVM NOMINE HELICONEM.

*Quondam Helicon dederas fœcundam uersibus undam*
*Sæpius à sacris fontibus Hesiodo.*
*Mollis adhuc Helicon niuea mihi uina ministrat*
*Ausonia è tuto nunc mage fonte manu.*
*Poculum ab hoc unum mallem exhaurire bibendo,*
*A te, quam mille pocula Pegasidis.*

E GRAECO.

*Vitrea porge mihi & splendentia pocula, curas*
*Mordaces tristi pectore uina fugant.*

## DE HAMILCARE.

Crescite, dicebat, nati, truculentus Hamilcar,
Terna eritis Romæ fulmina, tresq; faces.
Vos ideo genui, Annibalem tum sistit ad aras,
Iuret ut ante Deos perpetuum ille odium.
Di tamen in patriæ has iras uertere ruinam,
Iuratasq; minas patris in exitium.
Fulmina nanq; illa euertunt Carthaginis arces,
Huncq; suam & patriam diripuere faces.

## E GRAECO.

Non aurum, terræ innumeras urbesq; uolebam,
Ac neque quod Thebe, ut dixit Homerus, habent.
Sed calicem nitidum & terretem, qui uina refundat,
Mi labra perpetuo sit madefacta mero.
Antiqui mecum biberent uinumq; ministri
Curarent uites, quæ quoq; agenda forent.
Vsque mihi hæc fœlix uita est, non curo secures
Consulis aurati, pocula dum teneam.

## E GRAECO.

Mi breue uiuendi tempus dant astra periti,
Verum est, sed curæ nil solet esse mihi.
Ad styga descendunt omnes, uelocius & si
Emoriar, Minos me excutiet citius.
Potemus, nam uere ad iter sunt uina iugales,
Quandoquidem pedibus mortis eunda uia est.

## E GRAECO.

Me genuit tellus, morientemq; excipit illa
Ex eadem dulcem, trade, bibam pateram.

DE DECIIS.

Hoc Decijs patri & nato commune sepulchrum,
Ob patriam casu qui periere pari.
Quorum mors peperit uitam, mortem, atque salutem,
Et sibi tum uictis hostibus, & patriæ.

E' GRAECO.

Ductus Epitecti sapientis lumine ridet
Vitam hanc, & tumidũ tranquillus nauigat æquor.
Classéq; uitali postquam sulcauerit orbem,
Incolet æterni radiantia sydera mundi.

E' GRAECO.

Hermocrates moriens se se inscribebat auarus
Hæredem census in tabulis proprij.
Computat ille iacens quanta dabit ære resurgens
Mercedem medicis, æger & exposuit.
Repperit ut dragma plus posse resurgere saluum,
Esse mori satius duxit, & emoritur.

DE MILCIADE.

Absolui patriam oppressam, & super astra locaui
Melciades, audi, quæ monumenta tuli.
Sæuitiam moriens, uiuens quoq; carcere clausit
Me uiuum, extincto denegat illa rogum.

E' GRAECO.

Te penitus cynicum dixere Menestrate cuncti
Ob'q; pedes nudos, frigus & ob nimium.
Verum si arripies cereris tu frusta pudenti,
Vt canis, ore parum, uerbera fuste feres,

E' GRAECO.

Occumbens Migdon ueteri non lintre Charontis,
Sed propria ad stygias puppe meauit aquas.
Viuenti illa dedit uitam testata labores,
Gentibus æquoreis sæpe onerata fuit.
Et simul in læto currentem est nactus eandem,
Cumq; illa exusta mortis adiuit iter.
Regi inerat sic fida domum quod Migdonis augens,
Vt nec eum in uita, nec nece deseruit.

DE SYLLA ET C. MARIO.

Dicite carnifices Romani sanguinis, ò uos
Sylla cruente, & tu sanguinolente Mari.
Estis adhuc hostes ima tellure repositi?
Diri, & adhuc hostes sub phlegetonte sumus.
Nec sine sorte sumus diuerso more sepulti,
Vnus enim flammis conditus; alter aquis.

E GRAECO.

DE LEONIDA. Leo loquitur.

Optimus iste hominum, uelut ipse existo ferarum,
Cuius marmoreum seruo uigil tumulum.

E GRAECO.

Horum hominum uirtus fumum non iactat in altum,
Quum Tegeæ tellus corruat igne graui.
Qui uoluere urbem tunc libertate uigentem
Linquere pignoribus, inter & arma mori.

DE CHILONE ET SOPHOCLE.

Teq; Chilon sapiens, & te longæue Sophocles
Mors tulit ad tristes exhilarata domos.
Quid non est nobis ex omni parte timendum?

Gaudia si nostros desecuere dies.

E GRAECO.

Non ego regna Herebi captaui odiosa Sophocles
Infelix si sardoo iam gramine risi
Sic ego, uerum aliiq; aliter, penitus tamen omnes.

E GRAECO.

Flos extincte iaces Musarum antique Sophocles
Bacchi uuam absumens ore racemiferam.

E GRAECO.

Sensim hedera adserpas magni monumenta Sophoclis
Effundens uirides expatiata comas.
Floreat atque rosis folium undique uinea & uuas
Humidulo circum palmite cincta ferat
Eloquium ob sapiens quod dulci ex ore fluebat
Immixtum charitum, Pieridumq; choro.

ALLVSIO.

Quis ne Sophocleum decorari hac fronde sepulchrum,
Et pendere uuas iusserit inde suas?
Dedecus hoc cernam, patiar ne hostile tropheum,
Rideat ut casu planta superba meo.
Huc tragicæ ultrices adducite falce Lycurgum,
Qui secet audaces in mea fata comas.
Nam fructu, unde alii dulces hausere Camœnas,
Solus ego exhausi mortis amariciem.

DE ROSCIO.

Roscius ille fuit, populus, quo scæna, senatus
Lætus erat, celebes, capti & amore duces.
At morientem illum, populus, scæna, atque senatus

Mœstus, & inceleber, flentq; dolentq; duces.

E' GRAECO.

Nomen mi, quid enim? patria autem, quid mihi & istud?
Clari ego sum generis si modo degeneris.
Vixerim ubi ad laudem, perij sine laude, sepultus
Si iaceo, hic ecquis? talia cui loqueris.

E' GRAECO.

Testa hominis duri hæc, nunquid peregrine fuisti
Mercator? uel qui retia tendit aquis.
Dic generi humano, talem nos soluimur in spem,
Ad spem aliam nostrum dum celeramus iter.

DE SEMIRAMIDE.

Non satis est quod equum probrosa Semiramis arsit
Vsque ad delitias, concubitumq; suum.
Verum etiam stimulata sui prurigine nati
Detegit infandum tam scelerata nefas.
Oblitus matris mœcam ipsam obtruncat iniquam,
Mauult ille manus, quàm scelerare animam.

E' GRAECO.

Insula mi nutrix Tyrus est, quæ me edidit Athis,
Patria in Assyrijs gente frequens Gadaris.
Eucrate sum genitus cum Castalidis Meleager,
Ex patria primus condere metra fui.
Si Syrus, haud mirũ est, unã hospes patriam habemus
Orbem, omnes unum nos genuit chaos:
Ante urnam impressi hoc libris longæuus in ipsis,
Nanq; aderat senium, proximæ, & inferiæ.
Quare nugacem atque senem me uoce salutans

Dic gaude, ad ſenium garrulum & ipſe ueni.

E' GRAECO.

Hoſpes ad Eubuli prudentis nomen amici
 Potemus, ſtatio eſt omnibus una necis.

DE CATONE VTIC.

Laudis erat tantæ, & pretij tua libera cædes.
 Quod ferro incumbens inuidioſus eras.
Hoſtis enim indoluit Cæſar non parcere poſſe,
 Nam tibi ne parcat, concidis enſe Cato.
Et quem odit uiuum, mirari, & amare peremptum
 Cogitur, & uictor inuidus eſſe tibi.

E' GRAECO.

Per Superum Regem oramus, patri iſta Charino
 Significa Thebas hoſpes ad Aeolidas.
Menin, tum Polynicum occiſos, denique dices,
 Quod non lugemus fata peracta dolo.
Quanuis nos hominum dextræ abſumpſere, dolemus.
 Sed quia diſſicili eſt orphanus in ſenio.

E GRAECO.

Inſpicis haud Cræſi tumulum, ſed pauperis urnam
 Paruus enim eſt tumulus, ſed mihi ſufficiens.

DE DIDONE ET SORORE.

Arma repugnantem ualido dum cernit amori
 Germanam aggreditur ſic miſerata ſuam.
Tu ne etiam patiere tuam intabeſcere mentem?
 Obſtabis geminis una ne Eliſa Deis?
Cui ſoror, heu timeo nam Laomedonta, Parimq;
 Hoſpicium iſte ſuum, prodidit ille Deos.

*Anna refert, pius iste fuit, patriq; Deisq;,*
*Traxit ab igne Deos, hostibus atque patrem.*
*Huic Dido, immo sua deserta coniuge furtim*
*Abstulit iste Deos, prodidit & patriam.*
*Hoc uideam quanuis, peiora capescere cogor,*
*Heu Venus, heu Veneris perniciose puer.*

E GRAECO.

*Sufficit exiguus puluis mihi, multa sepultum*
*Magnifice tellus deprimat ipsa alium.*
*Marmor onus durum, defunctis, sat mea fata*
*Alexandri hæc noscant, hæc quoq; Callitenes.*

E GRAECO.

*Quid miseri errantes manibus confiditis, & spe*
*Certum est, quod nobis noxia uita data est.*
*Verborum, & uitæ fuit omnibus ipse Seleucus*
*Integer, ast illi trunca iuuenta fuit.*
*Quam procul à Lesbo extremis tumulatus Iberis,*
*Hospes in immensis littoribusq; iacet.*

DE PLAVTIIS.

*Plautij & cineres quanuis sub marmore flagrant,*
*Tantum hæsit rapti saucia flamma tori.*
*Qui quum non possent lachrymis ignem, atq; dolorem*
*Tollere, sedarunt sanguine, tum gladio.*

E GRAECO.

*Ad tumulum Aiacis rheteo in littore uirtus*
*Illachrymans sedeo saucia mente graui*
*Sordida, scissa comas, quia stat sententia Gaium,*
*Debeat ut uirtus cedere uicta dolo.*

*Arma igitur dicant Pelidæ inuicta, uigorem*
*Qua sperabamus, cœpimus inde dolos.*

DE PENELOPE ET HELENA.

*Tempora damnabat tardo incedentia gressu*
*Penelope, atque citis gressibus ipsa Helena.*
*Illa quod in uiduo lecto expectabat Vlyssem,*
*In gremio pulchrum quod fouet ista Parim.*
*Vtraque diuersa est, & utrique est una querela*
*Sit licet una Helenæ, ac altera Penelope.*

E GRAECO.

Si *quem unquam audisti acceptum* Mauortis *alumnũ,*
Viribus *inuictum, ac audentem in prælia multum,*
*Hectora percipias* Priami *solum orbe fuisse*
*Consilio hunc* Superum *pugnantem sustulit olim*
Aiax, *pro* Teucris *fœdantem cæde* Pelasgos,
*Hunc etiam fato stratum hæc circuntegit urna.*

E GRAECO.

*Hectore cum forti deleta est* Troia, *superbas*
*Nec magis in* Danaos *sustulit illa manus.*
*Pella cum* Alexandro *periyt, mortalibus ergo*
*Non patriæ, immo uiri gloria sunt patrijs.*

DE M. ANTONIO ET CICERONE.

*Prospice quid facias* Antoni *in funere* Tulli,
*Pro* Marco *geminas tu dabis ipse animas.*
*Nec satis, inqs tuam uideo te stringere ferrum,*
*Nam post fata etiam te* Cicero *exagitat.*

E GRAECO.

*Spargite cana super monumentum lilia ut ante,*
*Tympanaq; ad stelim frangite* Anaximenis.
*Inq; plicas longos uos circumuoluite crines,*
*Circa urbis* Bacchæ mœnia Strymoniæ.
*Dulciaq; in uestris huius spirantis adaptis*
*Saltauit leges sæpius ad teneras.*

IN TIMONEM E GR.

*Hic iaceo abrumpens grauiter data stamina uitæ,*
*Ne quæras, qui sim, malus es,* Di *te male perdant.*

DE GORGIA LEONTINO.

*Cuius imago est hæc? Gorgiæ est, aurea sed cur?*
*Quod uirtuti aurum quàm simile esse solet.*
*Quis dicat hanc?* Hellas *tota, omni quã* Hellade, *et auro*
*Non aliter uirtus condecoranda fuit.*

È GRAECO.

*Fortunæ grauis obtruncans animam situs hic sum,*
*Nomen ne quæratis iniqui, sed pereatis.*

ALITER.

*Hinc animam effundens situs est tristemq; grauemq;,*
*Nomen parce, malus quũ sis, te mars male perdat.*

DE MARTIO CORIOLANO.

*Martius ut uidit natos, matrem atque maritam,*
*Non poteras aliter uincere* Roma, *refert.*
*Cui ue horum, atque addit, merito uictoria cædet,*
*Vxori, an natis, an tibi chara parens?*
*Vince onus ob uentris mater, cape uentris honorem,*
*O felix uenter, uentris onusq;, & honor.*

E GRAECO.

*Sic Pylium imberbem mors indiscreta necasti*
*Eolium propero funere agenoridem?*
*Extimulans Parcas rapidas in stamina, tristi*
*Heu uir Plutoni quàm lacerandus eris.*

E GRAECO.

*Ecquis es? & cuius prope callem hæc ossa miselli*
*Nuda quidem, & tumulo semisepulta iacent.*
*Istud enim infelix monumentum auriga uiator*
*Continue abradens axe, ferit ue rota.*
*Conteret atque latus iam iam tibi currus inherens,*
*Nemo tibi & lachrymas o miserande dabit.*

DE PHEDRA.

*Este preces nostri cordisq; incendia testes,*
*Fata nouercari me imperiosa trahunt.*
*Quid fatum incuso? ferus est priuignus, amoris*
*Iam, sed nunc tanti causa furoris erit.*
*Sentiat hic, postquam me spernit, & odit amantem,*
*Quid generosa & amans, spreta nouerca potest.*

È GRAECO.

*Nescio quod uerbum crudele admurmurat auri*
*Hyppolytus uetulæ, percipere haud potui.*
*Verum autem ex oculis irati noscitur, ipsam*
*Admonet, ut dicat ne magis illicita.*

È GRAECO.

*Ne discas patriam, aut nomen, tantum uolo mortem*
*Oppetere, ad nostrum qui ueniat tumulum.*

È GRAECO.

*Timon, non magis hos, tibi quid lux? nox ue inimicum?*
*Nox, maior ueſtrum pars ſtygis antra petit.*

DE CAESARE AVGVSTO ET CICERONE.

*In patris eloquij conſentis funus iniquum*
*Octaui in patris patriæ & imperij?*
*O ſcelus infandum quanuis ſub morte patroni*
*Lite tibi extincta ceſſerit imperium.*
*Nempe eſt plus damni Ciceronem occumbere, Eoum*
*Quàm lucri imperio tendere ad Oceanum.*

E GRAECO.

*Hectora ne confer tumulo, aut metire ſepultum,*
*Qui fueram cunctis oppoſitus Danais.*
*Ilias urna mihi, tum Græcia, Homerus, Achiui,*
*Palantes, cunctis condimur his tumulo.*

E GRAECO.

*Orce prece, & pretio non exorabilis iſtum*
*Caleſcum infantem cur rapis in tenebras?*
*Perſephones puer in domibus, luſuſq; iocuſq;*
*Hic erit, at triſtis pœna, dolorq; domi*

DE ISOCRATE.

*Structa ſuis dapibus menſa eſt exculpta, poetas,*
*Rhetores, & uarios accubuiſſe uides.*
*Sireneſq; ſuper tumulum cantu omnia complent,*
*Rhetor, & orator inter utrunq; cubat.*
*Pauiſti patriam dulci uirtute, quieſcas*
*Sub cantu & Bromij lætitia alme ſenex.*

E GRAECO.

*Curarum immunem crudelis sustulit orcus,*
*Quinquennem puerum me modo Challimachum,*
*At ne me plores, mihi nam pars parua malorum*
*Est data, quod uitæ portio parua fuit.*

E GRAECO.

*Prima parens Lucina mihi, tu, & terra sepulchrum,*
*Perfeci stadium, plaudite, morte meum*
*Qui sim cuius eram, quo pergam nescio, nec uos*
*Hoc scio, & hoc tantum sufficit, unde abij.*

DE CAMILLA VOLSCORVM REGINA.

*Dum uolucri ferro transfixa uirago Camilla*
*Tranaret mortis stagna ruentis ait.*
*Non ego debebam soli sic cedere inulta,*
*Oppetere ignoto tum minus hoste necem.*
*O pereat quicunque alas ferro addidit acres,*
*Mars uolucris facta est, ocyus ut peream.*

E GRAECO.

*Defunctos capulum assidua mercede ferentem*
*Detulit, ut uiuat tempora longa Philon.*
*Paruo errore cadens perijt, nam promptus ad orcum*
*Prætextu senij sollicitarat iter.*
*Quem tulit ante alijs multis lassatus ab annis,*
*Ipse onus in se ipsum pertulit, & latuit.*

E GRAECO.

*Viginti atque nouem sum pignora Callicratea*
*Enixa, & nullum uidi obijsse diem.*

Centum

*Centum & quinque annos uixi, baculumq; trementes*
*Et senio effœtæ nec subiere manus.*

DE POLIDORO FILIO PRIAMI.

*Parue puer Regi nec te committe, nec aurum,*
*Nam uitam, & tantas perdere quæris opes.*
*Quin fuge spes generis crudele, & littus auarum,*
*Regia non intrat limina nuda fides.*

E GRAECO.

*Cum Superis sis gloria Anacreon inclyta Ionum,*
*Non sine festiuis lusibus, atque chely.*
*Atque oculi madeant, agitentur tempora sertis,*
*Et coma sit redolens, ora refusa mero.*
*Siue tu ad Eurypilem conuersus siue Megistem*
*Smerdei, aut Threci denique Cæsariem.*
*Suaue merum fundens perfusa ueste Lyeo.*
*Nectar ubi è puris carpseris arboribus.*
*Nam tua uita senex tribus est absumpta Camœnis,*
*His tribus adde merum, nequitiamq; tuam.*

DE NVMA POMPILIO.

*Mens bona, non tua fraus, mores, nõ fabula Nymphæ,*
*Carpere te fecit Aeneadum imperium.*

RETRO.

*Imperium Aeneadum fecit te carpere Nymphæ*
*Fabula, non mores, fraus tua, non bona mens.*

E GRAECO.

*Non Smyrneus ager sacrum produxit Homerum,*
*Non Colophon alma Sydus in Ionia.*

Nec tu Aegypte ferax, non Cypros pura, Chiosq;,
Nec saxosa fuit patria Laertiadæ.
Non Argos Danai, non cyclopea Mycene,
Nec quæ nomen habet docta Minerua tuum.
Non telluris opus, uerum mortalibus alto
Miserunt munus æthere Castalides.

DE EVAGORA.

Parce, tibi Euagora, meritos quis reddit honores?
Solus enim Euagoras exprimit Euagoram.

E GRAECO.

Nauibus amissis clypeo dum se induit Aiax,
Sustinuit solus tristia bella Phrygum.
Telorum haud strepitus, iaculorum & nubila & enses,
Ignis & hastarum, nec fugat hunc crepitus.
Sed sic intrepidus constans quoque ferre procellam
Hostilem, ut rupes in medio acta mari.
Si te non armis decorauit Græcia Achillis
Pro uirtute tua præmia digna ferens:
Sic Parcæ uoluere, ullo ne uictus ab hoste,
Verum tu propria quod moriare manu.

E GRAECO.

Hic ego scissa meos infelicissima crines
Aiacis uirtus ad tumulum iaceo.
Victa dolis doleo te iudice Græcia fallax,
Viribus inuictis plus ualuere doli.

DE CATONE VTIC.

Magnanimi excessus monimentum est terra, fretumq;,
Nam tanto ipse imples nomine utrunq;: Cato.

Ense uirum melius monstrans occumbere fortem,
Quàm uitam indignam uiuere, & indecorem.
Gloria nam maior, quam sanguis fluxit ab ictu,
Quæ te, & adhuc laudes pingit ubique tuas.

E' GRAECO.

Te moriente orcus crudelis Tityre risit,
Te defunctorum fabulam & esse facit.

E' GRAECO.

Per Iouis inferni dextram iuramus, & atros
Coniugis horrendæ Persephones thalamos.
Virgineas nunquam zonas absoluimus, in nos
Sed niger Archilocus turpia multa tulit.
Virginibus quid Pierides nocuistis iambis?
Impio, & huic uestra gratificastis ope?

DE DIDONE ET VIRGILIO.

Parce sacro uati, licet implacabile crimen,
Tam castum & sanctum commaculasse torum.
Quis melius poterat prudentem fallere Elisam
Quàm Venus, & Veneris natus uterq; simul?
Hic pietate potens, hic impietate, dolisq;,
Hic hominum uictor, hic hominum atque Deum.
Sub cinere immundo Carthaginis, ipsa iaceres
Ignota Aeneadis, qui tua fata gemunt
Extingunt, fletuq; lauant, plagasq;, rogumq;,
Perq; pium uatem mortua uiuis adhuc.
Qui te tibi conspicuam per latum duxerit orbem,
Felicem campis te locat Elysys.

E GRAECO.

*Longa dies lapidem, & ferrum consumit, & una*
*Omnia ab impensa deperitura ruunt.*
*Sic etiam tumulus Laertis, littora iuxta*
*Qui sensim gelidis, usque rigatur aquis.*
*Attamen Herois manet indelebile nomen,*
*Carmina quum nequeat rodere longa dies.*

E GRAECO.

*Thessale, te extollent durantia secula, quod tu*
*Debueras Phrygibus Protesilae animam.*
*Nanque tuum circa contectum corpus ab ulmis*
*Iliades currunt è regione nurus.*
*Sint licet inuisæ, quas, si fors, uiderit arbor,*
*Aut Troiam, siccis deperit illa comis.*
*Si fuit ira ingens Heroibus inspice, postquam*
*Planta odium seruat non animata suum.*

DE COCLIDE.

*Victorem dum se Cocles demittit in amnem,*
*Tybri pater dixit, nunc mihi redde uices.*
*Tunc qui tutatus pontem, seruauit & urbem,*
*Pons fuit unda illi, perpetua atque salus.*

E GRAECO.

IN ACHILLEM ET PATROCLVM

*O uos præstantes animis, & uiribus ambo*
*Saluete, Aeacide, tuq; Meneciade.*

E GRAECO.

*Multa tibi Ptolomee pater, sed plura creatrix*
*Indoluit flauas dilacerata comas.*

*Multa uiris cum belligeris conquestus alumnus,*
*Obscurum inspersit puluere & ipse caput.*
*Aegyptus cum ueste comas lacerauit & ampla,*
*Et latæ Europæ congemuere domus.*
*Luna quoq; obscurum traxit lachrymosa colorem,*
*Sydera cœlestes deseruere uias.*
*Quæ solidum uorat usque solum, tum peste peremptus*
*Quum caperes tenera sceptra paterna manu.*
*Nec nox te excepit tenebris, non infera Reges,*
*Tales sed retinent regna superna Iouis.*

DE AMPHIARAO.

*Amphiarae ruens felicia fata subisti*
*Quum tua auara uxor prodidit utiliter.*
*Hellas tota tibi sacrat, quo absumptus, hiatum,*
*Vaticinum & subito te facit esse Deum.*
*Plus Ioue, plus Phœbo credit tibi Græcia, mirum,*
*Ascendisse fuit, nam cecidisse, tuum.*

E GRAECO.

*Phocensi in saxo quæ cernitur urna sepulchrum est*
*Horum, quos morti medica dextra dedit.*
*Tercenti procul à patria cecidere, cadentes*
*Debilitant Persas, ac Lacedemonios.*
*In me si intueare feræ sculptam ipse figuram,*
*Scito, quod hæc ducis est urna Leonidao.*

E GRAECO.

*Non Leo sic ferus est, habitat qui in montibus altis,*
*Scuto ut Crinagores ipse Micanis erat.*
*Si modicum tegmen, ne iucuses bella gerentes.*

Dura pati didicit nam locus exiguus.

DE OCTAVIA.

Si potes, extinguas flammam hanc Octauia belli
Omnis Romulidum sanguine terra rubet.
Ecce duo inuoluunt armis ciuilibus orbem,
Et multos Reges in fera bella trahunt.
Vnus enim est frater, qui sub ditione secures
Vrbis, & Europæ continet imperium.
Vir tuus est alter, cui parent ditia regna.
Regna Asiæ, phary deliciæq; soli.
Nec pellex teneat te, nec mens cæca mariti,
Sors quocunq; cadat, in tua damna ruit.

E GRAECO.

Hostibus oppositus Cleonide est talia fatus,
Iuppiter aut palmam trade, uel interitum.
Quando illam ad fossam sudata nocte laborum
Diri hostes duras conseruere manus.
Verum te uirtus præ cunctis tollit ab haustu
Quum manus externo sanguine tincta foret.

E GRAECO.

Tu quoq; in Aetholos ad laida amara parentum
Bella gerens pubes fortiter ense cadis.
Haud facile est fortem reperire, & cernere achiuum
Cui inficiant canæ tempora tarda comæ.

DE SEMELE.

Quid petis imprudens, & tanti nescia uoti,
Fulmineum Semele cernere uelle Iouem?
Mortales oculi hunc nequeunt tollerare nitorem,

Nanq; Deo inspecto uiuere nemo potest.
Te nisi compescas, ignis, tu, & Iuppiter ipse
Fies prægnanti uentre secunda parens.

E GRAECO.

Cecropiæ nati, qui dum agmina Persica fundunt,
Tam graue detrudunt seruitium patriæ.

E GRAECO.

O Lacedemonij uobis uirtute nitentem
Gillin pro Thyrea continet urna uirum.
Quippe uirum, tres, qui Argiuos dum sustulit, inquit,
Emoriar, sparta digna gerens patria.

DE Q. CATVLO.

Cum Mario Catulus, qui Cimbros uicit, in urbem
Axe triumphali qui modo uectus erat.
Iussus eodem idem ipse mori, se calce recenti
Aspersa inclusit delituitq; domo.
Tunc calida, & perijt, si uitam est perdere, mortem,
Tot patriæ & casus cernere nolle truces.

E GRAECO.

Quum super exanimis clypeo Trasibule uenires
Vulnere ab Argiuis saucius in Pitane.
Anteriora uidens septem tua uulnera, dum te
Conderet, exclamat Tinicus alta pater.
Plorentur timidi, fili sine luctibus inquam.
Condam ego teq; meum, tum Lacedemonium.

E GRAECO.

Per Superos, Manesq; deos non uidimus illum
Ac neque septriferæ per sacra templa Deæ.

*Legitimam ex nobis prolem cur ille uolebat,*
*Si fuimus prauæ, fœdæ & adulterio?*

DE AENEA.

*Dardanio Aeneæ confectum ætate parentem*
*Portanti cedunt ignis, & arma pio.*
*Visentiq; illum sub tristia tartara eidem*
*Dantq; locum Manes, terrificæq; feræ.*
*Dum meat, & remeat per tanta pericula, tutus,*
*Non Duce; non ue Deo, sed pietate fuit.*

E GRAECO

*Ex igne Iliaco, medioq; ex hoste parentem*
*Sanctum onus Aeneas tam pius eripiens.*
*Clamabat, Danai ne tangite, lucra senex est,*
*Vobis parua, mei, maxima præda humeris.*

E GRAECO.

*Ambraciæ in cursu clypeum dum sustinet acri*
*Ipse Teopompi natus Aristagoras.*
*Maluit, haud mirum est, mortem q̃ currere, charam*
*Dores amant patriam, non pereuntem animam.*

DE TVTIA VIRGINE DEAE VESTAE.

*Tutia Vestalis uirgo, nec credita uirgo,*
*Ante Deam supplex obstupefecit aquas.*
*Cribro & ab amne illas ad sanctos detulit ignes,*
*Quod nec gutta ausa est effluere una foras.*
*Nam precibus castis Diui, & Natura mouentur,*
*Et trepidæ ante ignes conglaciantur aquæ.*

E GRAECO.

*Extremum currens super aera lada sequentem*
*Dum fugis, & spiras tam bene, qualis eras.*
*Talem ex ære Myron duxit te corpore ab omni,*
*Et te inspectantem debita dona tibi.*
*Quam spe plenus inest, supremo & anhelat ab ore*
*Feruidus, atque cauo palpitat e latere.*
*Ars o spiritibus uelocior, æneus inquam*
*Ad sertum saliet, nec basis ipsa tenet.*

E GRAECO.

*Si baccha est amens, non est Natura, sed ars hoc*
*Quæ facit, & spirat non lapis his furias.*

ALITER.

*Quod baccha est amens, saxumq; insaniat istud,*
*Non est Naturæ, sed magis artis opus.*

DE ANAXARCHO.

*Eloquio dulci qui latum disserit orbem,*
*Et freta qui penetrat, scandit & astra poli,*
*Qui rerum concors bellum miratur, & imbres*
*Suspendi, ad terras fulmina & alta premi,*
*Regis Alexandri attonitas quæ reddidit aures,*
*Inclyta Anaxarchi lingua recisa silet.*
*Nam patiens fuerat pœnæ, non ille minarum,*
*Hinc linguam, Regis expuit in faciem.*
*O iactura grauis, dicoq; indigna tyranno,*
*Aurea plaga fuit, ferreus ille & erat.*

E GRAECO.

*Hospes dic sparte, nos hic ut morte iacemus.*
*Illius uerbis dum damus obsequium.*

ALITER.

*Stantem in præcipiti qui absoluimus, Hellada nostris*
*Viribus hac parua contumulamur humo.*

DE SCAEVOLA.

*Quis me occidisset nisi fimbria, Scæuola dixit,*
*Quis me accusasset de nece semineccem?*
*Altius excœpi quod non mihi uulnus adactum,*
*Victima quod tinxit busta cruore parum.*
*Tu tamen hoc paruo maculabere sanguine tantum,*
*Quod non delebunt tempora, mors, nec aquæ.*

E GRAECO.

*O utinam errasset pictor dum fingere uult te,*
*Non foret in lachrymis tam memor usque dolor.*

ALITER.

*Pingens Theodetim, uellem, peccasset in arte*
*Pictor tam uiuus non foret iste dolor.*

DE DIONYSIO TYRANNO.

*Effere te ne rear Dionysi tristia læ um*
*Tartara, & horrendos transiluisse lacus.*
*Post scelera innumera & cædes iucundus abires*
*E uita ad pœnas sub phlegetonte tuas?*
*Credam equidem, sceleratus homo non credit Erynnes,*
*Immo post mortem nil superesse putat.*

E GRAECO.

*Deplorans genitrix nati cita fata Menippe*
*Magno ululatu animam fudit amara suam.*
*Nec mage respirans à fletibus ora rigauit,*
*Nam simul à uita desijt, & lachrymis.*

E' GRAECO.

*Vrna Rhodes, mulier Tyria hæc, quæ uenit in urbem*
*Hanc patriæ, & natis obsequiosa suis.*
*Lectum exornauit memorandi casta gemelli,*
*Vrbem qui instructam legibus ante dedit.*
*Longæua occubuit, numero sine debuit annos*
*Viuere, mortales tam benefacta iuuant.*

DE M. IVVENTIO TALPA.

*Talpa ubi post uictos Corsos perlegit honores,*
*Vrbs sibi quos dederat, lætitia occubuit.*
*Quid si uicisset Pœnos, Gallosq;, Scythasq;?*
*Credibile est illum bis uoluisse mori.*

E' GRAECO.

*Turba Themistocli magnensis inane sepulchrum*
*Sacrauit Medum libera facta iugo.*
*Externam ingressus terram, lapidemq; uolebat*
*Sic liuor, uirtus præmia rara refert.*

E' GRAECO.

*Bellica serta ferens collo Elius aurea, promptus*
*Argorum domitor sero ubi deficeret.*
*Consumptus morbo testem citat usque priorum*
*Factorum ille uirum de latebris animi.*
*Et dedit in gladium sua uiscera, talia dicens,*
*Marte uiri, morbi morte cadunt timidi.*

DE MEDVSA.

*Virgo tuis spectanda olim, & metuenda capillis,*
*Ne graue sit duram te subijsse necem.*
*Nanq; tuo est ortus de funere Pegasus, ob quem*

Ebibit Aonidas sexus uterque Deas.
Et deserta manet Libyæ te uindice, & hostis
Diua tuum caput in pectore robur habet.
Officiosa nece es, nam castam Pallada honoras,
Seruasti, & qui te perdidit ense, uirum.

E GRAECO.

Transgressum leges Demetrion ulta creatrix
Est Lacedemonia; sic lacedemonium.
Dente fremens mulier uere Spartana macheram
Impulit in summum pectus, & inquit abi.
Pessima progenies, indignaq; ad infera uade,
Indecori, & trepido lac cui tradidimus.

ALITER.

Ignauum a bello excipiens quondam inclyta natum
Cordaq; confodiens cuspide mater ait.
Occumbe indigne & uita, & Lacedemone, crimen
Quod patriæ, timidum si peperi, atque alui.

DE SCIPIONE SVPERIORE.

Scipio quantus eras, Hispania, et Aphrica, & hostes
Inuicti monstrant, magnanimiq; Duces.
Nec satis est, positis armis uenere latrones
Ante tuas ualuas, eximiosq; pedes.
Quos ubi uiderunt, dextram & te tigere potentem,
Postq; relicta uelut munera sacra Deo.
Læti abeunt, ecquid fructu est excelsius isto?
Quàm placare hostes nomine, & allicere.

E GRAECO.

Simplice pro tumulo pone Hellada, ligna superq;

*Barbaricæ cladis naumachiæ inditia.*
*Persicum & inscribas Mauortem in calce sepulchri,*
*Et Xerxem, his ipsis conde Teſtimoclea.*
*Iuncta columna adsit Salamin, mea gesta retexens,*
*Quid magnum parua contumulatis humo?*

E GRAECO.

*Ex præstante Rhode saxo tibi construit urnam,*
*Vtq; animam absoluat dat bona pauperibus.*
*Debet enim officio tibi uir, quia morte dedisti*
*Libertatem illi mortua tam celeri.*

DE CONONE ATHENIENSE.

*Si male pugnaui, non est mea culpa, gubernat*
*Omnia sors, pugnas uersat, & illa premit.*
*Nunc bene certaui, solitum fortuna tenorem*
*Mutauit, iussu facta benigna suo.*
*Quorum erat & manibus mea patria diruta, per me*
*Illorum spolijs restituenda fuit.*

QVOS DICERET SERMONES
*Deidamia Pyrrho diripiente Troiam.*

E GRAECO.

*Tu mihi sæuum omnem sedasti in corde dolorem,*
*Ob cædis causam uestri genitoris Achilli,*
*Perdiderat quem Troia gemens, uerum Ilion omnẽ*
*Diripis, & cupidis decus immortale parasti*
*Quod non Argolicis pugnantibus omnibus anni*
*Iam tribuere decem, quos lassa absumpsit Enio.*

ALLVSIO.

*Aeterni o cineres o formidata parentis*

*Ossa & adhuc, inter sydera & umbra nitens*
*Hos cineres uobis Troiæ, Priamiq; cruorem*
*Consecro, & ante rogum uirginis hanc animam.*
*His placate iram, & uestram mihi semper acerbam*
*Semper honoratam post quoque fata necem.*
*Quæ non fecerunt tot bella, Ducesq; tot anni*
*Militis hæc uestri sunt monimenta noui.*

DE MANLIO CAPITOLINO ET ANSERIBVS.

*Galli aderant taciti, atque arcis iam summa tenebant,*
*Mallius & somno, & nocte sepultus erat.*
*Anser adesse uigil clangore enuntiat hostes,*
*Terribili, & trepidos turbat ab arce sono.*
*Quod uigilando canes, cantando & uincis olores,*
*Roma memor statuam, datq; alimenta tibi.*

E GRAECO.

*A genitrice trahas miser ubera, non mage habebis,*
*Extrahe, postremum lac morientis habe.*
*Iamiam animam ferro liquit, sed matris amores*
*Pignora procurant ad stygis usque lacum.*

QVOS DICERET SERMONES *Clitemnestra iugulanda ab Oreste.*

E GRAECO.

*Irruere in seipsam furibundum ut uidit Orestem,*
*Iam gladio enudans pectora mater ait.*
*Quonã adiges strictũ, in uentrem ne, aut ubera ferrũ?*
*A uentre es genitus, pastus ab uberibus.*

DE TIMONE

Inſpue, minge ſuper tumulum, ſaxis pete, quid tum?
Hic eſt nulla mei pars: Deus aſtra colo.
Quid rides? Superi peius Timone patrarunt,
A Ioue ſi incipias, Febris ad uſque Deam.
Percurras cœlum, tum ſydera, portio nulla eſt,
Quæ careat monſtris, crimine, adulterio.
Quid faciam in cœlo? Phœbũ ſtimulo, atque Tonantem,
Vt perdant homines fulmine, peſte, fame.

E GRAECO.

Vade ſuper tumulum, qui me tegit, atque ſalutem
Ne des, nec nomen poſcito, ne ue patrem.
Si non expedias, iter effice, ſi remearis
Ore tace, nec ſic utile quid facias.

E GRAECO.

Alceſtis noua ſum, iuſti Zenonis amore
Mortua, mi ſolus pectoris ignis erat.
Qui mihi luce fuit, natis, & charior omni
Admiranda uiro Callicratea fui.

DE PORTIA.

Bruto digna uiro, generoſi nata Catonis
Ebibis ardentes cur moritura faces?
Non aliter potui tantum compeſcere luctum,
Igne exſiccantur, igne domantur aquæ.

E GRAECO.

Tu quoq; iam Empedocles liquida ut tua corpora flãmã
Luſtraſti, ignem hauris de patera Superum.
Non dicam in fluxum quod te ultro ieceris ipſe,
Sed cadis inuitus, delituiſſe uolens.

E' GRAECO.

*Empedoclem curru fama est cecidisse peremptum.*
*Causa fuit mortis coxa refracta suæ.*
*Si in calices saliji flammæ, & uitam hausit ab igne,*
*Quomodo adhuc tumulus cernitur in Megaris?*

DE TAGE.

*Gleba mihi est mater, nam de tellure subortus,*
*Quam primum excrescens maximus augur eram*
*Ventura explicui celata tepentibus extis*
*Inter aratores, rura & Hetrusca Tages.*
*Vera puta hæc, nec enim teneris spectentur ab annis,*
*Vna dies uidit me puerum, atque senem.*

E' GRAECO.

*Venit ut in Scythian Anacharsis multa laborans,*
*Tentabat Græca uiuere lege suos.*
*Hunc, manabat adhuc sermo imperfectus ab ore,*
*Quum cita ad æternos traxit arundo Deos.*

IN DIONEM SIRACVSANVM E' GRAECO.

*Laomedontiadis nuribus neuere sorores*
*Parcæ, Hecubæ & lachrymas ortu & ab usq; suo.*
*At tua digna Dion celebri post fata triumpho*
*Demones effusas spes peperere pij.*

DE RAPTV SABINARVM

*Irruere in mortem Aeneadas, acresq; Sabinos*
*Vxorum, & rapti sanguinis urget amor.*
*Parua, genitrices atræ, & sua pignora secum*
*Ante patres, & auos flentq; rogántq; suos.*

Exorantq;

*Exorantq; illos, tantum potuere querelæ,*
*Et data pax, per quas, bella fuere, fuit.*

E GRAECO.

*Iuppiter è stadio rapuisti Clæe Thaletem,*
*Dum sapiens nudum rursus agona uidet.*
*Quod prope te adducis laudo, non amplius inquam*
*A terra poterat astra uidere senex.*

IN PITTACVM E GR.

*His Mithyleneus quæsitus ab hospite uerbis*
*Natus atarnitæ est Pittacus hirradio,*
*Tatta senex, instant geminæ mihi nubere, & una*
*Sponsa opibus mecum, & nobilitate pari.*
*Altera præcellit, quid præstat consule, quænam*
*Ducenda in thalamos illa, uel illa meos.*
*Hic autem attollens baculum arma senilia dixit,*
*Ecce illi dicent, quod petis omne tibi.*
*Illi euoluebant celeres sub uerbere crebro*
*In triuio pueri tunc spaciante trochos.*
*Hos sequere, atque audi sequitur uestigia, at illi,*
*Percute, dicebant, qui magis aptus erat.*
*Hospes, ubi hæc sensit, se se ab maiore marita*
*Abstinet, atque omen sic puerile capit.*

E GRAECO.

*Terra Prieneum, tegit hic præclara Biantem*
*Qui fuit Ionij gloria magna soli.*

DE POLIXENA.

*Perplacui Aeacidæ patris comes Hectora ementis*
*Continuitq; manus impatienter amans.*

*Despondetq; illi genitor me, & inermis Achilles*
*Ad tedas ueniens concidit insidijs,*
*Troades e templo aufugiunt, Agamennona adiui,*
*Supra & amatorem stansq; gemensq; loquor,*
*Suscipe sponse tuam sponsam, uenio ecce sub umbras,*
*Dixit, & ensem hausit pectore, & occubuit.*

E GRAECO.

*Othriyadem taceat sparte decus, aut cynegirum*
*Naumacon, omnimodo belli opere eximios.*
*Miles erat Martis latius prope flumina Rheni*
*Semianimis stratus messe sagittifera.*
*Hostibus auferri signum dum nouit amicum,*
*E terra subito uiuidus exiluit.*
*Hoste perempto aquilam tutam dum reddit amico,*
*Inuictam solus suscipit ille necem.*

E GRAECO.

*Cur cœlum aspiciens super hæc monumenta uolasti?*
*Aut dic, cuius auis, quæ geris arma Ioui?*
*Sum defuncti animæ sacra ipsa Platonis imago.*
*Hac genitum tellus attica corpus habet.*

DE CASSIIS.

*Cassius à patria iam seditione necatus,*
*Cassius & ciues liberat ense suo.*
*Nomine uterq; pari, atq; domo, sed dispare uita,*
*Optimus est natus, pessimus at genitor.*

E GRAECO.

*Ille ut, ait; uerum est, sapientis frangitur arcus,*
*Tempore præterito quum mage laxus erit.*
*Otia iam spernens ualidus Theophraste fuisti,*

Illa at amans moreris corpus ob inualidum.

E GRAECO.

Heraclite miser sic occidis? hoc tua nunquam,
Vita proba, & mores nec meruere tui
Miror enim, nam quum lymphis tua membra rigasset
Morbus, ab æterna lumina nocte cubant.

DE VLYSSE ET ANDROMACHA.

Hectoris Andromacham pellax urgebat Vlysses,
Eripere occultis Astyanacta dolis.
Illa autem lachrymans natum, tunc funus acerbum
Causatur, scelerum Dux negat ista, & ait.
Deciperis mulier, credens te fallere Vlyssem,
Qui solitus matres decipere, immo Deas.

E GRAECO.

Seruus eram, & pauper, tum mancus corpore sed Dis
Gratus Epictetus ille, uel ille, licet.

ALITER.

Irus egestate, & seruus non integer ipso
Corpore Epictetus, Dis sed amicus eram.

E GRAECO.

Nosco Philoctetem cernens, nanq; omnibus, & qui
Longe astant, monstrat, quam gemit, atque dolet.
Crinem habet agrestem, crinem intueare iacentem
Atque coloratas, aridulasq; comas.
Cernere rugosam est pellem, siccam, atque tenacem,
Forte quidem & resonam, palpat ubi ipsa manus,
Arenti sub palpebra stat luctus utraque,
Insomnis miseri tristia signa animi.

Dura pati didicit nam locus exiguus.

DE OCTAVIA.

Si potes, extinguas flammam hanc Octauia belli
Omnis Romulidum sanguine terra rubet.
Ecce duo inuoluunt armis ciuilibus orbem,
Et multos Reges in fera bella trahunt.
Vnus enim est frater, qui sub ditione secures
Vrbis, & Europæ continet imperium.
Vir tuus est alter, cui parent ditia regna.
Regna Asiæ, phary deliciæq; soli.
Nec pellex teneat te, nec mens cæca mariti,
Sors quocunq; cadat, in tua damna ruit.

E GRAECO.

Hostibus oppositus Cleonide est talia fatus,
Iuppiter aut palmam trade, uel interitum.
Quando illam ad fossam sudata nocte laborum
Diri hostes duras conseruere manus.
Verum te uirtus præ cunctis tollit ab hausto
Quum manus externo sanguine tincta foret.

E GRAECO.

Tu quoq; in Aetholos ad laida amara parentum
Bella gerens pubes fortiter ense cadis.
Haud facile est fortem reperire, & cernere achiuum
Cui inficiant canæ tempora tarda comæ.

DE SEMELE.

Quid petis imprudens, & tanti nescia uoti,
Fulmineum Semele cernere uelle Iouem?
Mortales oculi hunc nequeunt tollerare nitorem,

*Nanq; Deo inspecto uiuere nemo potest.*
*Te nisi compescas, ignis, tu, & Iuppiter ipse*
*Fies prægnanti uentre secunda parens.*

E GRAECO.

*Cecropiæ nati, qui dum agmina Persica fundunt,*
*Tam graue detrudunt seruitium patriæ.*

E GRAECO.

*O Lacedemonij uobis uirtute nitentem*
*Gillin pro Thyrea continet urna uirum.*
*Quippe uirum, tres, qui Argiuos dum sustulit, inquit,*
*Emoriar, sparta digna gerens patria.*

DE Q. CATVLO.

*Cum Mario Catulus, qui Cimbros uicit, in urbem*
*Axe triumphali qui modo uectus erat.*
*Iussus eodem idem ipse mori, se calce recenti*
*Aspersa inclusit delituitq; domo.*
*Tunc calida, & perijt, si uitam est perdere, mortem,*
*Tot patriæ & casus cernere nolle truces.*

E GRAECO.

*Quum super exanimis clypeo Trasibule uenires*
*Vulnere ab Argiuis saucius in Pitane.*
*Anteriora uidens septem tua uulnera, dum te*
*Conderet, exclamat Tinicus alta pater.*
*Plorentur timidi, fili sine luctibus inquam.*
*Condam ego teq; meum, tum Lacedemonium.*

E GRAECO.

*Per Superos, Manesq; deos non uidimus illum*
*Ac neque septriferæ per sacra templa Deæ:*

Legitimam ex nobis prolem cur ille uolebat,
Si fuimus prauæ, fœdæ & adulterio?

DE AENEA.

Dardanio Aeneæ confectum ætate parentem
Portanti cedunt ignis, & arma pio.
Visentiq; illum sub tristia tartara eidem
Dantq; locum Manes, terrificæq; feræ.
Dum meat, & remeat per tanta pericula, tutus,
Non Duce; non ue Deo, sed pietate fuit.

E GRAECO

Ex igne Iliaco, medioq; ex hoste parentem
Sanctum onus Aeneas tam pius eripiens.
Clamabat, Danai ne tangite, lucra senex est,
Vobis parua, mei, maxima præda humeris.

E GRAECO.

Ambraciæ in cursu clypeum dum sustinet acri
Ipse Teopompi natus Aristagoras.
Maluit, haud mirum est, mortem q̃ currere, charam
Dores amant patriam, non pereuntem animam.

DE TVTIA VIRGINE DEAE VESTAE.

Tutia Vestalis uirgo, nec credita uirgo,
Ante Deam supplex obstupefecit aquas.
Cribro & ab amne illas ad sanctos detulit ignes,
Quod nec gutta ausa est effluere una foras.
Nam precibus castis Diui, & Natura mouentur,
Et trepidæ ante ignes conglaciantur aquæ.

E GRAECO.

*Extremum currens super aera lada sequentem*
*Dum fugis, & spiras iam bene, qualis eras.*
*Talem ex aere Myron duxit te corpore ab omni,*
*Et te inspectantem debita dona tibi.*
*Quam spe plenus inest, supremo & anhelat ab ore*
*Feruidus, atque cauo palpitat e latere.*
*Ars o spiritibus uelocior, aeneus inquam*
*Ad sertum saliet, nec basis ipsa tenet.*

E G R A E C O.

*Si baccha est amens, non est Natura, sed ars hoc*
*Quae facit, & spirat non lapis his furias.*

A L I T E R.

*Quod baccha est amens, saxumq; insaniat istud,*
*Non est Naturae, sed magis artis opus.*

DE ANAXARCHO.

*Eloquio dulci qui latum differit orbem,*
*Et freta qui penetrat, scandit & astra poli,*
*Qui rerum concors bellum miratur, & imbres*
*Suspendi, ad terras fulmina & alta premi.*
*Regis Alexandri attonitas quae reddidit aures,*
*Inclyta Anaxarchi lingua recisa silet.*
*Nam patiens fuerat poenae, non ille minarum,*
*Hinc linguam, Regis expuit in faciem.*
*O iactura grauis, dicoq; indigna tyranno,*
*Aurea plaga fuit, ferreus ille & erat.*

E G R A E C O.

*Hospes dic sparte, nos hic ut morte iacemus.*
*Illius uerbis dum damus obsequium.*

ALITER.

*Stantem in præcipiti qui absoluimus, Hellada nostris*
*Viribus hac parua contumulamur humo.*

DE SCAEVOLA.

*Quis me occidisset nisi fimbria, Scæuola dixit,*
*Quis me accusasset de nece seminecem?*
*Altius excœpi quod non mihi uulnus adactum,*
*Victima quod tinxit busta cruore parum.*
*Tu tamen hoc paruo maculabere sanguine tantum,*
*Quod non delebunt tempora, mors, nec aquæ.*

E GRAECO.

*O utinam errasset pictor dum fingere uult te,*
*Non foret in lachrymis tam memor usque dolor.*

ALITER.

*Pingens Theodetim, uellem, peccasset in arte*
*Pictor tam uiuus non foret iste dolor.*

DE DIONYSIO TYRANNO.

*Esse te ne rear Dionysi tristia læ um*
*Tartara, & horrendos transiliisse lacus.*
*Post scelera innumera & cædes iucundus abires*
*E uita ad pœnas sub phlegetonte tuas?*
*Credam equidem, sceleratus homo non credit Erynnes,*
*Immo post mortem nil superesse putat.*

E GRAECO.

*Deplorans genitrix nati cita fata Menippe*
*Magno ululatu animam fudit amara suam.*
*Nec mage respirans à fletibus ora rigauit,*
*Nam simul à uita desiit, & lachrymis.*

E' GRAECO.

*Vrna Rhodes, mulier Tyria hæc, quæ uenit in urbem*
*Hanc patriæ, & natis obsequiosa suis.*
*Lectum exornauit memorandi casta gemelli,*
*Vrbem qui instructam legibus ante dedit.*
*Longæua occubuit, numero sine debuit annos*
*Viuere, mortales tam benefacta iuuant.*

DE M. IVVENTIO TALPA.

*Talpa ubi post uictos Corsos perlegit honores,*
*Vrbs sibi quos dederat, lætitia occubuit.*
*Quid si uicisset Pœnos, Gallosq;, Scythasq;?*
*Credibile est illum bis uoluisse mori.*

E' GRAECO.

*Turba Themistocli magnensis inane sepulchrum*
*Sacrauit Medum libera facta iugo.*
*Externam ingressus terram, lapidemq; uolebat*
*Sic liuor, uirtus præmia rara refert.*

E' GRAECO.

*Bellica serta ferens collo Elius aurea, promptus*
*Argorum domitor sero ubi deficeret.*
*Consumptus morbo testem citat usque priorum*
*Factorum ille uirum de latebris animi.*
*Et dedit in gladium sua uiscera, talia dicens,*
*Marte uiri, morbi morte cadunt timidi.*

DE MEDVSA.

*Virgo tuis spectanda olim, & metuenda capillis,*
*Ne graue sit duram te subijsse necem.*
*Nanq; tuo est ortus de funere Pegasus, ob quem*

Ebibit Aonidas sexus uterque Deas.
Et deserta manet Libyæ te uindice, & hostis
Diua tuum caput in pectore robur habet.
Officiosa nece es, nam castam Pallada honoras,
Seruasti, & qui te perdidit ense, uirum.

E GRAECO.

Transgressum leges Demetrion ulta creatrix
Est Lacedemonia: sic lacedemonium.
Dente fremens mulier uere Spartana macheram
Impulit in summum pectus, & inquit abi.
Pessima progenies, indignaq; ad infera uade,
Indecori, & trepido lac cui tradidimus.

ALITER.

Ignauum à bello excipiens quondam inclyta natum
Cordaq; confodiens cuspide mater ait.
Occumbe indigne & uita, & Lacedemone, crimen
Quod patriæ, timidum si peperi, atque alui.

DE SCIPIONE SVPERIORE.

Scipio quantus eras, Hispania, et Aphrica, & hostes
Inuicti monstrant, magnanimiq; Duces.
Nec satis est, positis armis uenere latrones
Ante tuas ualuas, eximiosq; pedes.
Quos ubi uiderunt, dextram & te tigere potentem,
Postq; relicta uelut munera sacra Deo.
Læti abeunt, ecquid fructu est excelsius isto?
Quàm placare hostes nomine, & allicere.

E GRAECO.

Simplice pro tumulo pone Hellada, ligna superq;

Barbaricæ cladis naumachiæ inditia.
Persicum & inscribas Mauortem in calce sepulchri,
Et Xerxem, his ipsis conde Testimoclea.
Iuncta columna adsit Salamin, mea gesta retexens,
Quid magnum parua contumulatis humo?

E GRAECO.

Ex præstante Rhode saxo tibi construit urnam,
Vtq; animam absoluat dat bona pauperibus.
Debet enim officio tibi uir, quia morte dedisti
Libertatem illi mortua tam celeri.

DE CONONE ATHENIENSE.

Si male pugnaui, non est mea culpa, gubernat
Omnia sors, pugnas uersat, & illa premit.
Nunc bene certaui, solitum fortuna tenorem
Mutauit, iussu facta benigna suo.
Quorum erat & manibus mea patria diruta, per me
Illorum spolijs restituenda fuit.

QVOS DICERET SERMONES
Deidamia Pyrrho diripiente Troiam.

E GRAECO.

Tu mihi sæuum omnem sedasti in corde dolorem
Ob cædis causam uestri genitoris Achilli,
Perdiderat quem Troia gemens, uerum Ilion omnē
Diripis, & cupidis decus immortale parasti
Quod non Argolicis pugnantibus omnibus anni
Iam tribuere decem, quos lassa absumpsit Enio.

ALLVSIO.

Aeterni ò cineres ò formidata parentis

Ossa & adhuc, inter sydera & umbra nitens
Hos cineres uobis Troiæ, Priamiq́ʒ cruorem
Consecro, & ante rogum uirginis hanc animam.
His placate iram, & uestram mihi semper acerbam
Semper honoratam post quoque fata necem.
Quæ non fecerunt tot bella, Ducesq́ʒ tot anni
Militis hæc uestri sunt monimenta noui.

DE MANLIO CAPITOLINO ET ANSERIBVS.

Galli aderant taciti, atque arcis iam summa tenebant,
Mallius & somno, & nocte sepultus erat.
Anser adesse uigil clangore enuntiat hostes,
Terribili, & trepidos turbat ab arce sono.
Quod uigilando canes, cantando & uincis olores,
Roma memor statuam, datq́ʒ alimenta tibi.

E GRAECO.

A genitrice trahas miser ubera, non mage habebis,
Extrahe, postremum lac morientis habe.
Iamiam animam ferro liquit, sed matris amores
Pignora procurant ad stygis usque lacum.

QVOS DICERET SERMONES Clitemnestra iugulanda ab Oreste.

E GRAECO.

Irruere in seipsam furibundum ut uidit Orestem,
Iam gladio enudans pectora mater ait.
Quonã adiges strictũ, in uentrem ne, aut ubera ferrũ?
A uentre es genitus, pastus ab uberibus.

DE TIMONE

*Inspue, minge super tumulum, saxis pete, quid tum?*
*Hic est nulla mei pars: Deus astra colo.*
*Quid rides? Superi peius Timone patrarunt,*
*A Ioue si incipias, Febris ad usque Deam.*
*Percurras cœlum, tum sydera, portio nulla est,*
*Quæ careat monstris, crimine, adulterio.*
*Quid faciam in cœlo? Phœbũ stimulo, atque Tonantem,*
*Vt perdant homines fulmine, peste, fame.*

E GRAECO.

*Vade super tumulum, qui me tegit, atque salutem*
*Ne des, nec nomen poscito, ne ue patrem.*
*Si non expedias, iter effice, si remearis*
*Ore tace, nec sic utile quid facias.*

E GRAECO.

*Alcestis noua sum, iusti Zenonis amore*
*Mortua, mi solus pectoris ignis erat.*
*Qui mihi luce fuit, natis, & charior omni*
*Admiranda uiro Callicratea fui.*

DE PORTIA.

*Bruto digna uiro, generosi nata Catonis*
*Ebibis ardentes cur moritura faces?*
*Non aliter potui tantum compescere luctum,*
*Igne exsiccantur, igne domantur aquæ.*

E GRAECO.

*Tu quoq; iam Empedocles liquida ut tua corpora flãmã*
*Lustrasti, ignem hauris de patera Superum.*
*Non dicam in fluxum quod te ultro ieceris ipse,*
*Sed cadis inuitus, delituisse uolens.*

E' GRAECO.

*Empedoclem curru fama est cecidisse peremptum.*
*Causa fuit mortis coxa refracta suæ.*
*Si in calices saliji flammæ, & uitam hausit ab igne,*
*Quomodò adhuc tumulus cernitur in Megaris?*

DE TAGE.

*Gleba mihi est mater, nam de tellure subortus,*
*Quamprimum excrescens maximus augur eram*
*Ventura explicui celata tepentibus extis*
*Inter aratores, rura & Hetrusca Tages.*
*Vera puta hæc, nec enim teneris spectentur ab annis,*
*Vna dies uidit me puerum, atque senem.*

E' GRAECO.

*Venit ut in Scythian Anacharsis multa laborans,*
*Tentabat Græca uiuere lege suos.*
*Hunc, manabat adhuc sermo imperfectus ab ore,*
*Quum cita ad æternos traxit arundo Deos.*

IN DIONEM SIRACVSANVM E' GRAECO.

*Laomedontiadis nuribus neuere sorores*
*Parcæ, Hecubæ & lachrymas ortu & ab usq; suo.*
*At tua digna Dion celebri post fata triumpho*
*Demones effusas spes peperere pij.*

DE RAPTV SABINARVM

*Irruere in mortem Aeneadas, acresq; Sabinos*
*Vxorum, & rapti sanguinis urget amor.*
*Parua, genitrices atræ, & sua pignora secum*
*Ante patres, & auos flentq; rogantq; suos.*

*Exorantq; illos, tantum potuere querelæ,*
*Et data pax, per quas, bella fuere, fuit.*

E GRAECO.

*Iuppiter è stadio rapuisti Clæe Thaletem,*
*Dum sapiens nudum rursus agona uidet.*
*Quod prope te adducis laudo, non amplius inquam*
*A terra poterat astra uidere senex.*

IN PITTACVM E GR.

*His Mithyleneus quæsitus ab hospite uerbis*
*Natus atarnitæ est Pittacus hirradio,*
*Tatta senex, instant geminæ mihi nubere, & una*
*Sponsa opibus mecum, & nobilitate pari.*
*Altera præcellit, quid præstat consule, quænam*
*Ducenda in thalamos illa, uel illa meos.*
*Hic autem attollens baculum arma senilia dixit,*
*Ecce illi dicent, quod petis omne tibi.*
*Illi euoluebant celeres sub uerbere crebro*
*In triuio pueri tunc spaciante trochos.*
*Hos sequere, atque audi sequitur uestigia, at illi,*
*Percute, dicebant, qui magis aptus erat.*
*Hospes, ubi hæc sensit, se se ab maiore marita*
*Abstinet, atque omen sic puerile capit.*

E GRAECO.

*Terra Prieneum, tegit hic præclara Biantem*
*Qui fuit Ionij gloria magna soli.*

DE POLIXENA.

*Perplacui Aeacidæ patris comes Hectora ementis*
*Continuitq; manus impatienter amans.*

Illa at amans moreris corpus ob inualidum.

E' GRAECO.

Heraclite miser sic occidis? hoc tua nunquam,
Vita proba, & mores nec meruere tui
Miror enim, nam quum lymphis tua membra rigasset
Morbus, ab æterna lumina nocte cubant.

DE VLYSSE ET ANDROMACHA.

Hectoris Andromacham pellax urgebat Vlysses,
Eripere occultis Astyanacta dolis.
Illa autem lachrymans natum, tunc funus acerbum
Causatur, scelerum Dux negat ista, & ait.
Deciperis mulier, credens te fallere Vlyssem,
Qui solitus matres decipere, immo Deas.

E GRAECO.

Seruus eram, & pauper, tum mancus corpore sed Dis
Gratus Epictetus ille, uel ille, licet.

ALITER.

Irus egestate, & seruus non integer ipso
Corpore Epictetus, Dis sed amicus eram.

E GRAECO.

Nosco Philoctetem cernens, nanq; omnibus, & qui
Longe astant, monstrat, quam gemit, atque dolet.
Crinem habet agrestem, crinem intueare iacentem
Atque coloratas, aridulasq; comas.
Cernere rugosam est pellem, siccam, atque tenacem,
Forte quidem & resonam, palpat ubi ipsa manus,
Arenti sub palpebra stat luctus utraque,
Insomnis miseri tristia signa animi.

## IN CATELLAM ET LVPVM.

*Eductas cœlo domini conscenderat ædes,*
*Docta meletheos blanda Catella iocos.*
*Prospicit errantem (alta fames stimulabat) aperto*
*Gutture, terribili lumine, & ore lupum,*
*Facta animosa loco probris incesserat hostem,*
*Et demum adiunctis uisa leena minis.*
*Ista Lycaonius ridens prædo excipit; hæc sunt*
*Iurgia in accessæ, non tua, sed speculæ.*

## E' GRAECO

*Hic tibi formica infelix operosa paraui*
*Aream apud gleba Sarcophagum aridula.*
*Spicifer ut sulcus Cereris te morte iacentem*
*Rurali, & culto mulceat in thalamo.*

## E' GRAECO.

*Quid tibi uis Crateri uox ò mage, causa fuisti*
*Quod tacuere hostes, nec tacuere tui.*
*Te uiuente omnes acclamauere canenti,*
*Te moriente omnes conticuere tui.*
*Post tua fata suas aures extendere passus*
*Nemo magis numeris, nemo magis fidibus.*

## QVAE VERBA POTVIT DIXISSE

*Volumnia Martio Coriolano.*

*Quæ matrum pompa hæc grauis, et mœstissima uultu,*
*Atque habitu incedens castra inimica petit?*
*Quisue inter proceres sedet implacabilis, iram*
*Mente premens alto pectore magnum agitat?*
*Obuius occurrit, reuerenter & excipit illas*

*Amplexu, & miscent colloquia, & lachrymas.*
*Martius hic Dux est Volscorum, hæc mater, & uxor,*
*Hi nati, istæ urbis turba uerenda nurus.*
*Suppliciter ciuem, natum, patrem, atque maritum,*
*Oratum ueniunt supplice pro patria.*
*Sic genitrix est orsa loqui: charissime quondam*
*Fili, at nunc hostis, tum mihi, tum patriæ:*
*Quam bello oppugnas non exorabilis ulli,*
*Auersus Superis, supplicibusq; Deis.*
*Huc me conduxit senium, longiq; labores*
*Pro te suscepti, & triste puerperium.*
*Te peperi, ut uideam profugum primum unice fili;*
*Qui solamen eras, spes mea, uita mea.*
*Nunc dolor, & luctus, mors & longissima, donec*
*Victorem, aut uictum te uideam in patria.*
*Captiuum aut duci, captiuam aut diruere urbem,*
*Sanguine ciuili, & te scelerare manus*
*Vxorem, & natos, & me ostentare triumpho,*
*Et patriæ Volscis subdere colla tuæ.*
*Quæ te aluit, quæ te instruxit, clarumq; creauit,*
*Hæc audire potes, num potis ista pati?*
*Te ne igitur genui, ut patria oppugnetur ab hoste?*
*Te ne alui, ut perdas mœnia, templa, lares.*
*Ista ego ne cernam miseranda miserrima mater,*
*Contra me potius uerte tuam rabiem.*
*Quæ tu suxisti ferias hæc ubera, uentrem,*
*Qui te portauit, percute, dilacera.*
*Viscera dispergas, quæ te inclusere, measq;,*

Quæ te curarunt, ense rescinde manus.
Horum ego causa fui, quæ te genuiq́;, tuliq́;,
Tam diro ut uenias in patriam exitio.
Quæ si te exilio afflixit, sat passa laborum,
Pœnarumq́; fuit, sat quoque supplicij.
Supplex ecce rogat, prostrata, & uicta, gemensq́;
Spesq́; suas posuit in prece, & in lachrymis.
Hic color, iste habitus, tam consternata nurumq́;
Harum ora hæc monstrant parcere q̃ egregium est.
Parce tuæ patriæ, & domui, templisq́; Deorum,
Maiorum & tumulis, ossibus atque patrum.
Quid potuit maius? quam mittere Roma sorores,
Vxores, matres, suppliciterq́; nurus.
Maior inesse tibi quis nam potis esse triumphus?
Quam patriam inuictam uincere pace tua.
Non te damnauit patria omnis, num patria omnis
Debuit ob paucos ista nefanda pati?
Parce tuis, iræq́; tuæ, precibusq́; tuorum,
Molliat hic luctus saxea corda tibi.
Et si quid possunt lachrymosa precantia fili
Verba infelicis matris, & ora tuæ.
Condona patriam patriæ, aut largiere parenti,
Omnibus ostentans quam tibi amata parens.
Esto urbem capias, urbem populeris, in urbem
Sæuiat & ferrum, ac ignis, & omne nefas.
Indue te natum, & captiuam respice matrem
Ante tuos oculos, hoc poteris ne pati?
Indue te patrem, perimi tum respice natos

*Ante tuos oculos, hoc poteris ne pati?*
*Indue teq; uirum, ac uxorem conspice ab hoste*
*Prostitui ante oculos, hoc patiere nefas?*
*Indue te ciuem, populari prospice & urbem,*
*Et patriam ante oculos, hoc patiere nefas?*
*Hunc ego te peperi? ut captiua abducar ab hoste,*
*Hos genuisti ipsos? ut uideas perimi.*
*Duxisti uxorem? & uiolandam tradis ob iram,*
*Ob quoque uindictam perdere uis patriam?*
*Ima mihi potius potius mihi terra dehiscat,*
*Et uideam potius tartara, quam scelus hoc.*
*Hæc tibi si mens est, si tantum ingratus, & hostis,*
*Si perstas patriam diruere ipse tuam.*
*Confice nos ferro primum, impietate peracta*
*Vt discas in nos impietate frui.*
*Incipe, quid tardas? quid stas? quid ue ambigis? ardens,*
*Si tibi tanta sitis sanguinis in patriam.*
*Hinc non est animus discedere uelle, priusquam*
*Aut uincam, ant pellam pectore uicta animam.*
*Quid retices? quid stas? immoto lumine tanquam*
*Aspera dura silex, indomitusq; adamas.*
*Hæ lachrymæ, hi gemitus, atq; hæc suspiria uincant*
*Mentem obduratam, propositumq; ferum.*
*Dixerat, atque pedes gnati prostrata tenebat,*
*Hos nati, hos coniux cum gemitu, & lachrymis.*
*Amplius haud potuit tantas perferre querelas,*
*Indignasq; preces Martius, & lachrymas.*
*Qualia fecisti ò genitrix mihi, filius inquit,*

Legitimam ex nobis prolem cur ille uolebat,
Si fuimus prauæ, fœdæ & adulterio?

DE AENEA.

Dardanio Aeneæ confectum ætate parentem
Portanti cedunt ignis, & arma pio.
Visentiq; illum sub tristia tartara eidem
Dantq; locum Manes, terrificæq; feræ.
Dum meat, & remeat per tanta pericula, tutus,
Non Duce; non ue Deo, sed pietate fuit.

E GRAECO.

Ex Igne Iliaco, medioq; ex hoste parentem
Sanctum onus Aeneas tam pius eripiens.
Clamabat, Danai ne tangite, lucra senex est,
Vobis parua, mei, maxima præda humeris.

E GRAECO.

Ambraciæ in cursu clypeum dum sustinet acri
Ipse Theopompi natus Aristagoras.
Maluit, haud mirum est, mortem q̃ currere, charam
Dores amant patriam, non peteuntem animam.

DE TVTIA VIRGINE DEAE VESTAE.

Tutia Vestalis uirgo, nec credita uirgo,
Ante Deam supplex obstupefecit aquas.
Cribro & ab amne illas ad sanctos detulit ignes,
Quod nec gutta ausa est effluere una foras.
Nam precibus castis Diui, & Natura mouentur,
Et trepidæ ante ignes conglaciantur aquæ.

E GRAECO.

Extremum currens super aera lada sequentem
Dum fugis, & spiras tam bene, qualis eras.
Talem ex ære Myron duxit te corpore ab omni,
Et te inspectantem debita dona tibi.
Quam spe plenus inest, supremo & anhelat ab ore
Feruidus, atque cauo palpitat è latere.
Ars ò spiritibus uelocior, æneus inquam
Ad sertum saliet, nec basis ipsa tenet.

E GRAECO.

Si baccha est amens, non est Natura, sed ars hoc
Quæ facit, & spirat non lapis hic furias.

ALITER.

Quod baccha est amens, saxumq; insaniat istud,
Non est Naturæ, sed magis artis opus.

DE ANAXARCHO.

Eloquio dulci qui latum differit orbem,
Et freta qui penetrat, scandit & astra poli,
Qui rerum concors bellum miratur, & imbres
Suspendi, ad terras fulmina & alta premi.
Regis Alexandri attonitas quæ reddidit aures,
Inclyta Anaxarchi lingua recisa silet.
Nam patiens fuerat pœnæ, non ille minarum,
Hinc linguam, Regis expuit in faciem.
O iactura grauis, dicoq; indigna tyranno,
Aurea plaga fuit, ferreus ille & erat.

E GRAECO.

Hospes dic sparte, nos hic ut morte iacemus.
Illius uerbis dum damus obsequium.

ALITER.

*Stantem in præcipiti qui absoluimus, Hellada nostris*
*Viribus hac parua contumulamur humo.*

DE SCAEVOLA.

*Quis me occidisset nisi fimbria, Scæuola dixit,*
*Quis me accusasset de nece semineçem?*
*Altius excœpi quod non mihi uulnus adactum,*
*Victima quod tinxit busta cruore parum.*
*Tu tamen hoc paruo maculabere sanguine tantum,*
*Quod non delebunt tempora, mors, nec aquæ.*

E GRAECO.

*O utinam errasset pictor dum fingere uult te,*
*Non foret in lachrymis tam memor usque dolor.*

ALITER.

*Pingens Theodetim, uellem, peccasset in arte*
*Pictor tam uiuus non foret iste dolor.*

DE DIONYSIO TYRANNO.

*Effere te ne rear Dionysi tristia læ'um*
*Tartara, & horrendos transiliisse lacus.*
*Post scelera innumera & cædes iucundus abires*
*E uita ad pœnas sub phlegetonte tuas?*
*Credam equidem, sceleratus homo non credit Erynnes,*
*Immo post mortem nil superesse putat.*

E GRAECO.

*Deplorans genitrix nati cita fata Menippe*
*Magno ululatu animam fudit amara suam.*
*Nec mage respirans à fletibus ora rigauit,*
*Nam simul à uita desijt, & lachrymis.*

E' GRAECO.

*Vrna Rhodes, mulier Tyria hæc, quæ uenit in urbem*
*Hanc patriæ, & natis obsequiosa suis.*
*Lectum exornauit memorandi casta gemelli,*
*Vrbem qui instructam legibus ante dedit.*
*Longæua occubuit, numero sine debuit annos*
*Viuere, mortales tam benefacta iuuant.*

DE M. IVVENTIO TALPA.

*Talpa ubi post uictos Corsos perlegit honores,*
*Vrbs sibi quos dederat, lætitia occubuit.*
*Quid si uicisset Pœnos, Gallosq́, Scythasq́?*
*Credibile est illum bis uoluisse mori.*

E' GRAECO.

*Turba Themistocli magnensis inane sepulchrum*
*Sacrauit Medum libera facta iugo.*
*Externam ingressus terram, lapidemq́; uolebat*
*Sic liuor, uirtus præmia rara refert.*

E' GRAECO.

*Bellica serta ferens collo Elius aurea, promptus*
*Argorum domitor sero ubi deficeret.*
*Consumptus morbo testem citat usque priorum*
*Factorum ille uirum de latebris animi.*
*Et dedit in gladium sua uiscera, talia dicens,*
*Marte uiri, morbi morte cadunt timidi.*

DE MEDVSA.

*Virgo tuis spectanda olim, & metuenda capillis,*
*Ne graue sit duram te subijsse necem.*
*Nanq; tuo est ortus de funere Pegasus, ob quem*

Ebibit Aonidas sexus uterque Deas.
Et deserta manet Libyæ te uindice, & hostis
Diua tuum caput in pectore robur habet.
Officiosa nece es, nam castam Pallada honoras,
Seruasti, & qui te perdidit ense, uirum.

E GRAECO.

Transgressum leges Demetrion ulta creatrix
Est Lacedemonidis sic lacedemonium.
Dente fremens mulier uere Spartana macheram
Impulit in summum pectus, & inquit abi.
Pessima progenies, indignaq; ad infera uade,
Indecori, & trepido lac cui tradidimus.

ALITER.

Ignauum a bello excipiens quondam inclyta natum
Cordaq; confodiens cuspide mater ait.
Occumbe indigne & uita, & Lacedemone, crimen
Quod patriæ, timidum si peperi, atque alui.

DE SCIPIONE SVPERIORE.

Scipio quantus eras, Hispania, et Aphrica, & hostes
Inuicti monstrant, magnanimiq; Duces.
Nec satis est, positis armis uenere latrones
Ante tuas ualuas, eximiosq; pedes.
Quos ubi uiderunt, dextram & te tigere potentem,
Postq; relicta uelut munera sacra Deo.
Læti abeunt, ecquid fructu est excelsius isto?
Quàm placare hostes nomine, & allicere.

E GRAECO.

Simplice pro tumulo pone Hellada, ligna superq;

Barbaricæ cladis naumachiæ inditia.
Persicum & inscribas Mauortem in calce sepulchri,
Et Xerxem, his ipsis conde Testimoclea.
Iuncta columna adsit Salamin, mea gesta retexens,
Quid magnum parua contumulatis humo?

E GRAECO.

Ex præstante Rhode saxo tibi construit urnam,
Vtq; animam absoluat dat bona pauperibus.
Debet enim officio tibi uir, quia morte dedisti
Libertatem illi mortua tam celeri.

DE CONONE ATHENIENSE.

Si male pugnaui, non est mea culpa, gubernat
Omnia sors, pugnas uersat, & illa premit.
Nunc bene certaui, solitum fortuna tenorem
Mutauit, iussu facta benigna suo.
Quorum erat & manibus mea patria diruta, per me
Illorum spolijs restituenda fuit.

QVOS DICERET SERMONES
Deidamia Pyrrho diripiente Troiam.

E GRAECO.

Tu mihi sæuum omnem sedasti in corde dolorem
Ob cædis causam uestri genitoris Achilli,
Perdiderat quem Troia gemens, uerum Ilion omnẽ
Diripis, & cupidis decus immortale parasti.
Quod non Argolicis pugnantibus omnibus anni
Iam tribuere decem, quos lassa absumpsit Enio.

ALLVSIO.

Aeterni ô cineres ô formidata parentis

*Ossa & adhuc, inter sydera & umbra nitens*
*Hos cineres uobis Troiæ, Priamiq́; cruorem*
*Consecro, & ante rogum uirginis hanc animam.*
*His placate iram, & uestram mihi semper acerbam*
*Semper honoratam post quoque fata necem.*
*Quæ non fecerunt tot bella, Ducesq́; tot anni*
*Militis hæc uestri sunt monimenta noui.*

DE MANLIO CAPITOLINO ET ANSERIBVS.

*Galli aderant taciti, atque arcis iam summa tenebant,*
*Mallius & somno, & nocte sepultus erat.*
*Anser adesse uigil clangore enuntiat hostes,*
*Terribili, & trepidos turbat ab arce sono.*
*Quod uigilando canes, cantando & uincis olores,*
*Roma memor statuam, datq́; alimenta tibi.*

E GRAECO.

*A genitrice trahas miser ubera, non mage habebis,*
*Extrahe, postremum lac morientis habe.*
*Iamiam animam ferro liquit, sed matris amores*
*Pignora procurant ad stygis usque lacum.*

QVOS DICERET SERMONES Clitemnestra iugulanda ab Oreste.

E GRAECO.

*Irruere in seipsam furibundum ut uidit Orestem,*
*Iam gladio enudans pectora mater ait.*
*Quonã adiges strictũ, in uentrem ne, aut ubera ferrũ?*
*A uentre es genitus, pastus ab uberibus.*

DE TIMONE

*Inſpue, minge ſuper tumulum, ſaxis pete, quid tum?*
*Hic eſt nulla mei pars: Deus aſtra colo.*
*Quid rides? Superi peius Timone patrarunt,*
*A Ioue ſi incipias, Febris ad uſque Deam.*
*Percurras cœlum, tum ſydera, portio nulla eſt,*
*Quæ careat monſtris, crimine, adulterio.*
*Quid faciam in cœlo? Phœbũ ſtimulo, atque Tonantem,*
*Vt perdant homines fulmine, peſte, fame.*

E GRAECO.

*Vade ſuper tumulum, qui me tegit, atque ſalutem*
*Ne des, nec nomen poſcito, ne ue patrem.*
*Si non expedias, iter effice, ſi remearis*
*Ore tace, nec ſic utile quid facias.*

E GRAECO.

*Alceſtis noua ſum, iuſti Zenonis amore*
*Mortua, mi ſolus pectoris ignis erat.*
*Qui mihi luce fuit, natis, & charior omni*
*Admiranda uiro Callicratea fui.*

DE PORTIA.

*Bruto digna uiro, generoſi nata Catonis*
*Ebibis ardentes cur moritura faces?*
*Non aliter potui tantum compeſcere luctum,*
*Igne exſiccantur, igne domantur aquæ.*

E GRAECO.

*Tu quoq; iam Empedocles liquida ut tua corpora flãma*
*Luſtraſti, ignem hauris de patera Superum.*
*Non dicam in fluxum quod te ultro ieceris ipſe,*
*Sed cadis inuitus, delituiſſe uolens.*

E' GRAECO.

Empedoclem curru fama est cecidisse peremptum.
Causa fuit mortis coxa refracta suæ.
Si in calices salijt flammæ, & uitam hausit ab igne,
Quomodò adhuc tumulus cernitur in Megaris?

DE TAGE.

Gleba mihi est mater, nam de tellure subortus,
Quamprimum excrescens maximus augur eram.
Ventura explicui celata tepentibus extis
Inter aratores, rura & Hetrusca Tages.
Vera puta hæc, nec enim teneris spectentur ab annis,
Vna dies uidit me puerum, atque senem.

E' GRAECO.

Venit ut in Scythian Anacharsis multa laborans,
Tentabat Græca uiuere lege suos.
Hunc, manabat adhuc sermo imperfectus ab ore,
Quum cita ad æternos traxit arundo Deos.

IN DIONEM SIRACVSANVM
E' GRAECO.

Ladomedontiadis nuribus neuere sorores
Parcæ, Hecubæ & lachrymas ortu & ab usq; suo.
At tua digna Dion celebri post fata triumpho
Demones effusas spes peperere pij.

DE RAPTV SABINARVM

Irruere in mortem Aeneadas, acresq; Sabinos
Vxorum, & rapti sanguinis urget amor.
Parua, genitrices atræ, & sua pignora secum
Ante patres, & auos flentq; rogantq; suos.

Exorantq;

Exorantq; illos, tantum potuere querelæ,
Et data pax, per quas, bella fuere, fuit.

E GRAECO.

Iuppiter è stadio rapuisti Clæe Thaletem,
Dum sapiens nudum rursus agona uidet.
Quod prope te adducis laudo, non amplius inquam
A terra poterat astra uidere senex.

IN PITTACVM E GR.

His Mithyleneus quæsitus ab hospite uerbis
Natus atarnitæ est Pittacus hirradio,
Tatta senex, instant geminæ mihi nubere, & una
Sponsa opibus mecum, & nobilitate pari.
Altera præcellit, quid præstat consule, quænam
Ducenda in thalamos illa, uel illa meos.
Hic autem attollens baculum arma senilia dixit,
Ecce illi dicent, quod petis omne tibi.
Illi euoluebant celeres sub uerbere crebro
In triuio pueri tunc spaciante trochos.
Hos sequere, atque audi sequitur uestigia, at illi,
Percute, dicebant, qui magis aptus erat.
Hospes, ubi hæc sensit, se se ab maiore marita
Abstinet, atque omen sic puerile capit.

E GRAECO.

Terra Prieneum, tegit hic præclara Biantem
Qui fuit Ionij gloria magna soli.

DE POLIXENA.

Perplacui Aeacidæ patris comes Hectora ementis
Continuitq, manus impatienter amans.

*Illa at amans moreris corpus ob inualidum.*

E GRAECO.

*Heraclite miser sic occidis? hoc tua nunquam,*
*Vita proba, & mores nec meruere tui*
*Miror enim, nam quum lymphis tua membra rigasset*
*Morbus, ab æterna lumina nocte cubant.*

DE VLYSSE ET ANDROMACHA.

*Hectoris Andromacham pellax urgebat Vlysses,*
*Eripere occultis Astyanacta dolis.*
*Illa autem lacbrymans natum, tunc funus acerbum*
*Causatur, scelerum Dux negat ista, & ait.*
*Deciperis mulier, credens te fallere Vlyssem,*
*Qui solitus matres decipere, immo Deas.*

E GRAECO.

*Seruus eram, & pauper, tum mancus corpore sed Dis*
*Gratus Epictetus ille, uel ille, licet.*

ALITER.

*Irus egestate, & seruus non integer ipso*
*Corpore Epictetus, Dis sed amicus eram.*

E GRAECO.

*Nosco Philoctetem cernens, nanq; omnibus, & qui*
*Longe astant, monstrat, quam gemit, atque dolet.*
*Crinem habet agrestem, crinem intueare iacentem*
*Atque coloratas, aridulasq; comas.*
*Cernere rugosam est pellem, siccam, atque tenacem,*
*Forte quidem & resonam, palpat ubi ipsa manus,*
*Arenti sub palpebra stat luctus utraque,*
*Insomnis miseri tristia signa animi.*

IN CATELLAM ET LVPVM.

*Eductas cœlo domini conscenderat ædes,*
*Docta melethœos blanda Catella iocos.*
*Prospicit errantem (alta fames stimulabat) aperto*
*Gutture, terribili lumine, & ore lupum,*
*Facta animosa loco probris incesserat hostem,*
*Et demum adiunctus uisa leena minis.*
*Ista Lycaonius ridens præda excipit; hæc sunt*
*Iurgia in accessæ, non tua, sed speculæ.*

E' GRAECO

*Hic tibi formica infelix operosa paraui*
*Aream apud gleba Sarcophagum aridula.*
*Spicifer ut sulcus Cereris te morte iacentem*
*Rurali, & culto mulceat in thalamo.*

E' GRAECO.

*Quid tibi uis Crateri uox ò mage, causa fuisti*
*Quod tacuere hostes, nec tacuere tui.*
*Te uiuente omnes acclamauere canenti,*
*Te moriente omnes conticuere tui.*
*Post tua fata suas aures extendere passus*
*Nemo magis numeris, nemo magis fidibus.*

QVAE VERBA POTVIT DIXISSE
Volumnia Martio Coriolano.

*Quæ matrum pompa hæc grauis, et mœstissima uultu,*
*Atque habitu incedens castra inimica petit?*
*Quisue inter proceres sedet implacabilis, iram*
*Mente premens alto pectore magnum agitat?*
*Obuius occurrit, reuerenter & excipit illas*

*Amplexu, & miscent colloquia, & lachrymas.*
*Martius hic Dux est Volscorum, hæc mater, & uxor,*
*Hi nati, istæ urbis turba uerenda nurus.*
*Suppliciter ciuem, natum, patrem, atque maritum,*
*Oratum ueniunt supplice pro patria.*
*Sic genitrix est orsa loqui: charissime quondam*
*Fili, at nunc hostis, tum mihi, tum patriæ:*
*Quam bello oppugnas non exorabilis ulli,*
*Auersus Superis, supplicibusq; Deis.*
*Huc me conduxit senium, longiq; labores*
*Pro te suscepti, & triste puerperium.*
*Te peperi, ut uideam profugum primum unice fili;*
*Qui solamen eras, spes mea, uita mea.*
*Nunc dolor, & luctus, mors & longissima, donec*
*Victorem, aut uictum te uideam in patria.*
*Captiuum aut duci, captiuam aut diruere urbem,*
*Sanguine ciuili, & te scelerare manus*
*Vxorem, & natos, & me ostentare triumpho,*
*Et patriæ Volscis subdere colla tuæ.*
*Quæ te aluit, quæ te instruxit, clarumq; creauit,*
*Hæc audire potes, num potis ista pati?*
*Te ne igitur genui, ut patria oppugnetur ab hoste?*
*Te ne alui, ut perdas mœnia, templa, lares.*
*Ista ego ne cernam miseranda miserrima mater,*
*Contra me potius uerte tuam rabiem.*
*Quæ tu suxisti ferias hæc ubera, uentrem,*
*Qui te portauit, percute, dilacera.*
*Viscera dispergas, quæ te inclusere, measq;,*

*Ante tuos oculos, hoc poteris ne pati?*
*Indue te'q; uirum, ac uxorem conſpice ab hoſte*
*Proſtitui ante oculos, hoc patiere nefas?*
*Indue te ciuem, populari proſpice & urbem,*
*Et patriam ante oculos, hoc patiere nefas?*
*Hunc ego te peperi? ut captiua abducar ab hoſte,*
*Hos genuiſti ipſos? ut uideas perimi.*
*Duxiſti uxorem? & uiolandam tradis ob iram,*
*Ob quoque uindictam perdere uis patriam?*
*Ima mihi potius potius mihi terra debiſcat,*
*Et uideam potius tartara, quam ſcelus hoc.*
*Hæc tibi ſi mens eſt, ſi tantum ingratus, & hoſtis,*
*Si perſtas patriam diruere ipſe tuam.*
*Confice nos ferro primum, impietate peracta*
*Vt diſcas in nos impietate frui.*
*Incipe, quid tardas? quid ſtas? quid ue ambigis? ardens,*
*Si tibi tanta ſitis ſanguinis in patriam.*
*Hinc non eſt animus diſcedere uelle, priuſquam*
*Aut uincam, aut pellam pectore uicta animam.*
*Quid retices? quid ſtas? immoto lumine tanquam*
*Aſpera dura ſilex, indomitus'q; adamas.*
*Hæ lacbrymæ, hi gemitus, atq; hæc ſuſpiria uincant*
*Mentem obduratam, propoſitum'q; ferum.*
*Dixerat, atque pedes gnati proſtrata tenebat,*
*Hos nati, hos coniux cum gemitu, & lachrymis.*
*Amplius haud potuit tantas perferre querelas,*
*Indignas'q; preces Martius, & lachrymas.*
*Qualia feciſti ò genitrix mihi, filius inquit,*

Prostratam & matrem sustulit ipse manu.
Vicisti, per te detur uictoria tantum
Clara nimis patriae, perniciosa mihi.
Pauca creatrici postquam intulit, atque maritae,
Pignoribusq; suis, pace data ille abijt.
Gaudete o matres, & uentri plaudite, & ipsis
Vberibus, uobis iste triumpus eat.
Nam, quem non flexit patria, & reuerentia Diuum,
Euicit natum mater amata suum.

E GRAECO.

Huc accede meam ad pinum, sedeasq; sub umbra
Quae resonat molles dulciter ad Zephyros.
Suaue fluentis aquae ad fontem, nam dulce canendo
Hic ego desertis somnum agito calamis.

E GRAECO.

Multa laborantem ob uictum lampona molossum
Traxit aquam ad stygiam perniciosa sitis.
Nam pedibus fodiebat humum, gemituq; uocabat,
Et latebris pigras sollicitabat aquas.
Deficit, & moritur, prope post lampona fluebant,
Iris ceruorum quae medicantur aquae.

DE HERMAPHRODITO.

Nos duo iam fuimus, quos corpore cernis in uno
Formosi iuuenes, Nympha ego, & iste puer.
Saucia amansq; fui, nec amans nec saucius iste,
Quo mage blanda fui, tam mihi durus erat.
Aggredior, capio, teneo, dum se abluit unda hac,
Luctatur, pugnat, & fugiturus erat.

*Vota, precesq; Ioui dederam, nos uinxit in unum,*
*Vt capiam, & teneam, quem capio, & nequeo.*

E GRAECO.

*Hic sedeas hilaris lauri sub tegmine denso,*
*Atque hauri potum dulce fluentis aquæ.*
*Solstitio defessa graui ut tua membra quiescant,*
*Sede repercussa flatibus à Zephyri.*

E GRAECO.

*Dentibus attritum absumens mus roserat aurum,*
*Cui tenuis Lybici cessit arena maris.*
*Intumuere graui cœna sua uiscera, uelox*
*Qui fuerat, media carpitur ille uia.*
*Excisum uentris furtum est, animalia & ipsa*
*Ergo aurum attentas, causa famesq; mali?*

ALLVSIO.

*Dentibus intrito mus uentrem oppleuerat auro,*
*De mure ut fieret ditior ille Myda.*
*Sensit herus furtum, furem dum quæritat, auri*
*Pondere tardatus carpitur ipse latro.*
*Siccine ait dominus, penus hic non sufficit? unde*
*Prima parata dapum, & mensa secunda tibi.*
*Mus contra, mortale genus tantum appetit aurum,*
*Quo nihil esse potest dulcius, & melius.*
*Quippe tuum studium numerato omne incubat auro*
*Tentaui diues linquere & ipse nuces.*
*Peccaui, parcas, quid non committitur auro?*
*Iuppiter auro etiam falsus adulter erat.*

*Vir turbam inspiciens syluis exire luporum*
*Se celer in Nili præcipitauit aquas.*
*Non tamen euasit, fremit hic, fremit illic per undas,*
*Mordicus implicitis fit uia longa feris.*
*Ponte uelut iunctum est flumen, Mars occupat illum,*
*Tranantum nam dux, atque magister erat.*

E' GRAECO.

*Me pastor deserta colentem rura cicadam*
*Quid lucri è ramis demere roscidulis?*
*Nympharum philomela, æstus dum feruet, in umbra*
*Montibus, & syluis dulciter ipsa cano.*
*Ecce autem merula, & turdus, sturniq; rapaces,*
*Tot numero, fructus quæ populantur, aues.*
*Perdere fas istas, folia & uiridantia, rorem.*
*Atque nouum, quæ nam decutere, inuidia?*

IN CARDVELEM.

*Per te lætus eram, per te sum tristis, utrunq;*
*Ipsa facis uolucris, dum canis, atque siles.*
*Accipe par, si hilaris uixi, celeber quoque uiues,*
*Si cantu ipse tuo, tuq; dolore meo.*

E GRAECO.

*Quæ terram euertunt formicarum agmina, quum iam*
*Agricolæ eruerent cærea regna fauos.*
*Mersit aqua extremum alueoli, pestem arceat ut uir,*
*Naufraga ne possit turba redire magis.*
*At subito paleis classem struxere, reguntq;,*
*Ipse etiam imbriferis dant sua uela notis.*
*Charus enim uenter docuit corpuscula ad undas*

E tellure rates construere, & regere.

ALLVSIO.

Oci inimica, hyemis studiosa, & messis amatrix,
Quum formica domos dilapidaret apum.
Dulcia mersit aquis extremáq; tecta fauorum
Villicus, ut fures pellat, & interimat.
Extemplo annexis paleis fecere carinas,
Ipsæ etiam remis incubuere suis.
Sedula quid magnum semper formica patrauit,
Nunc nautas, olim Myrmidones peperit.

AD LECTOREM DE PAVLO III. PONT. MAX.

Si bene partitur Paulus sacra munera honoris
Purpurei, quisquis iudicet ista uidens.
Immerito tribuit, nolentiq; obtulit ostrum,
Promissum optanti, promeritoq; negat.

E GRAECO.

Sub pedibus tenuem texebat aranea telam,
Quum fuit insidijs capta cicada gemens.
Lugenti in laqueis obliquis currit aragne,
Ob'q; puellares tunc miserata sonos.
Soluit eam uinclis, & quum dimitteret, inquit,
Salua esto, dulci quod recinis strepitu.

E GRAECO.

Victor ad Alpheum merui prius ipse coronam,
Bis me uincentem Castalis ora habuit.
Me Nemeæ leo cinxisti tempora, & Isthmos
Me inspexit cursu iam superasse notos.

At nunc ipse senex inuerto uolubile Saxum,
Grande coronarum dedecus, & domini.

IN ACANTHIDA.

Dulce mihi atq; meis curis solamen, & ipsa
Vita, hæc si uita est, hæ lachrymæ, & gemitus.
Accipe pro cantu luctum dulcissimi Acanthi,
Liquisti misero nil aliud moriens.
Et licet ingratum munus dem; suscipe; dantur.
Nanq; isthæc raras non nisi ad inferias.

E GRAECO.

Si cupitis Cererem mures, aliena petatis
Tecta, casa hæc simplex, & uacua, ite aliò.
Hic ubi quod superest cœnæ, fit plurima cœna,
Ficus sicca, nuces, caseus atque recens.
Nam si iterum nostros libros percurritis, ore
Rodentes, uobis cœna dolenda manet.

E GRAECO.

Testibus excisis Cybeles quum forte sacerdos
Erraret sylvis per caua saxa miser.
Huic leo ab ingenti occurrit metuendus hiatu
Oris, ut ad certas esuriente dapes.
Ob'q; feram metuit dum tristia fata, sacrato
Tympana de saltu rauca dedere sonum.
Tunc funesta leo clausit sua guttura, collo
Concitus afflato uertit, et inde fugam.
Euadens fatum Rheæ sacrat ille leonem
Saltantem choreas sponte sua Cybeles.

*Aut ubi sunt pinnæ, quæ tibi iam fuerant.*
*Templa ubi Diuorum domus, ac connubia ubi sunt*
*Sysiphia? & quondam multiplices populi?*
*Vlla infausta tui nec enim uestigia restant,*
*Omnia corripiens Mars ferus omne uorat.*
*Oceani tantum inuictæ Nereides altis*
*Luctibus usque tuis mansimus alcyones.*

E GRAECO.

*Hic ne iugo patriam oppressam, luctuq; iacentem*
*Qui soluunt atra contumulantur humo?*
*Maximam habent laudem uirtutis, ciuis erit ne,*
*Qui uideat, uelit & pro patria ille mori?*

IMITATIO GRAECA.

*Quam bene pinxisti, male lugeo, rursus ademptam*
*Theodotim, est tantus, laus tua quanta dolor.*
*Arte tua est icon uera, atque simillima pictor,*
*Quam uiuam admiror, tam tacitam doleo.*

E GRAECO.

*Quam male sortiti sunt munera scutifer Aiax,*
*Hectorq; inter se pignus amicitiæ?*
*Baltheon Hector habet, gladiũ Aiax, Hectora baltheus*
*Traxit, & ipse Aiax incubuit gladio.*
*Fac ne unquam ostentans hosti donaueris hostis,*
*Sub charite occulta mors inimica latet.*

DE EVRIPIDE ET DEMOSTHENE.

*Vera hæc Euripidis, uera hæc Demosthenis icon,*
*Ex humili ad summas qui gradiuntur opes.*

E' GRAECO.

*Memphis enim simus, Daphnem, Niobemq́, peregit,*
*Ligneus ut Daphnem, saxeus ut Nioben.*

DE L. SICINIO DENTATO.

*Romanum Aeacidem Dentatum ad sydera cœli*
*Imperij authores Marq́, Venusq́; ferunt.*
*Et uirtus & honor tumulum non marmore ponunt,*
*Sed coaceruarunt hic spolia, arma simul.*
*Armillas, torques, phaleras, uariasq́; coronas.*
*Pallas at in titulo est anxia, tantus erat.*

E' GRAECO.

*Da mihi Homerum alium facunda Heliconis habentis*
*Musa fauos, alter quoniam surrexit Achilles,*

DE PYTHAGORA.

*Ciuibus ornatam largis opibusq́; Crotonem*
*E patria accessit Pythagoras Samius.*
*Tam uirtute sua, tam sanctis moribus auxit,*
*Vt moriente illo sit sua facta domus.*
*Delubrum Cereris, sub quo celebratur uterq́;,*
*Sub Cerere hic Samius, sub Samio ipsa Ceres.*

E' GRAECO.

*Non animata unus damnasti, at nos quoq́;, quis nam*
*Nostrum animata labris Pythagorea premit?*
*At quum quid salsum fuerit coctum igne, uel undis,*
*Tunc edimus, certi hoc non habuisse animam.*

E' GRAECO.

*Famam Heraclide tentasti linquere, dum te*
*Viuentem colubrum mortuus esse refers.*

*Sed tua quũ fuerint deprehensa sophismata, ut usus*
*Ipse fera es, fera eris maxima; non sapiens.*

DE TVLLIOLA CICERONIS ET TERENTIA.

*Parce uiro ò coniux, nimium si Tullius arsit*
*Tulliolam, tali flamma adamanda fuit.*
*Docta, uenusta, decens, formosa, & filia, et una,*
*Quem non torsisset Diuum, hominum, atq; patrem?*

E GRAECO.

*Non patris inscripsit Bianor, matrisq; columnam,*
*Maturi fato sint licet ambo senes.*
*Virginis at natæ, bis sex quæ uixerat annos,*
*Plutoni hanc duxit, non Hymenæe tibi.*

E GRAECO.

*Protagora, & de te sensi, dum linquis Athenas*
*Longæuus, peregre fata suprema subis.*
*Cecropis exul eras, & Palladis exul ab urbe,*
*Sed non Plutonem, Persephonemq; fugis.*

DE BELLEROPHONTE.

*Damnatum morti falso, & uirtute solutum,*
*Aera tranantem Bellerophonta uides,*
*Iste securigeras deuicit Amazones armis,*
*Et multos populos, multiplicemq; feram.*
*Pro nece consequitur tædas, & sceptra, pudoris*
*Illæsi castæ tam potuere faces.*

E GRAECO.

*Gorgiæ Cynici caput hac ego contegor urna,*
*Nec nasum emungo, nec screo ab ore magis.*

E' GRAECO.

Quod mortale tenet, quodq; immortale Platonis,
Terra sinu, æquales inter & astra Dei.

DE SIMILI ROMANO.

Munere multiplici perfunctus spreuit honores,
Deseruitq; urbem rura petens Similis.
Incoluitq; annis septemq; ibi mortuus, annis
Nec mage quam septem, uixit, & ipse senex.

E' GRAECO.

Sol ualeas, dicendo Cleombrotus Ambraciota,
Se ex alto in stygias præcipitauit aquas.
Morte nihil passus dignum, sed scripta Platonis
Vnde immortalem legerat esse animum.

E' GRAECO.

Immisit terris Ascrepion atque Platonem
Phœbus, ut hic curet corpus, & hic animam.
Post celebres tedas positam in tellure Tonantis
Vrbem adyt, quondam quam sibi condiderat.

DE AIACE LOCRENSI.

Cassandram extraxi delubro è Palladis Aiax,
Intacto mecum quippe pudore fuit.
Rex Danaum subtraxit eam mihi, læsus Achiuos
Deserui, æquoreis cum rate mersus aquis.
Amisi prædam, aufugi, tum fata subiui,
Per scopulos, fluctus, littora adhuc patior.
Numina ne lædas, cœloq; hereboq; mariq;,
Te inuenient, ultrix dextera ubiq; Dei est.

E GRAECO.

*Ecquis tam prudens, qui sic memorabile factum*
*Egerit? ut noscens omnia Democritus.*
*Nam tribus ille domi latitantia fata diebus,*
*Conclusit calidi panis odore tenens.*

E GRAECO.

*Et Phaeton pictus Phaetontis creditur icon,*
*Dextra potest solem pingere, non radios.*
*Et tu orbis princeps es pictus ab arte Valeri*
*Sed pingi uirtus, nec ualet artis labor.*

DE COCLITE.

*Quod mihi, quodq́ tibi Cocles seruaueris urbem,*
*Hæc sunt seruatæ præmia, Tybris ait.*
*Restitui patriæ, & reddam per sæcula cuncta,*
*Gurgite te incolumem, murmure te celebrem.*

E GRAECO.

*Hoc tumulo est Aiax Telamonis, quem sua parca*
*Ense suo, atque sua sustulit usa manu.*
*Tantum audax quia nullus erat, qui perderet illum,*
*Aiax Aiacem tradidit ipse neci.*

E GRAECO.

*Te licet Euripedes rapuit mors flenda, lupoq́;*
*Qui lacerant, & te desecuere canes.*
*Et scænæ dulcem Musam, tum cosmen Athenis,*
*Texentem sophiæ cum tragicam charitem.*
*Pella tibi tumulus dedit hoc præclara minister*
*Pieridum ut maneas hic prope Pierides.*

## DE LAVSO MEZENTII FILIO.

*Tot licet ætates lapsæ, quibus aureus urget*
*Ignipodes Titan præcipitanter equos.*
*Lause recens me stringit adhuc pietatis imago,*
*Quam cædem instantem pro genitore subis.*
*Dignus eras meliore astro, uitaq; perenni;*
*Sed qui te, æternum, sustulit, ille facit.*

## E GRAECO.

*Plangere forsan adhuc ignaram cymbala Baccham*
*Ipse uerecundo fecerat ore Myron.*
*Dimisso capite est & dicere uelle uidetur,*
*Ite foras, & tunc cymbala percutiam.*

## E GRAECO.

*Hanc prope littus ego Theodorus consul ahenam*
*Erexi statuam tibi Rex Iustine nitentem*
*Prospice de portu tranquillas marmoris undas.*

## DE M. ANTONIO ET CLEOPATRA.

*Continet urna duos diuersæ mortis amantes,*
*Decidit ense unus, aspide & una cadit.*
*Hic Asiæ dominus, Nili hæc Regina, quid illis*
*Iam geniale magis, nunc miserum ue magis?*
*Ambo necem dignam exquirunt; Antonius ultro,*
*Atque manu, ipsa uolens, & Cleopatra dolo.*

## E GRAECO.

*Illorum est tumulus, quorum celebramus & arma,*
*Qui Tegeam ob ditem conseruere manus.*

*Vrbis belligeri, non illis Græcia demet*
*Vim libertatis, sint licet in cinere.*

DE PASIPHAE.

*Pasiphae infelix candentis amore iuuenci*
*Perdita per syluas per iuga summa, & agros*
*Errat, & ut frustra, & sequitur uestigia frustra,*
*Allicit ut frustra, hæc impatienter ait.*
*Cur ego non sum Io, uel saltem Europa, iuuenca*
*In medio illa gregis, per medium illa mare?*

E GRAECO.

*Quæq; mala, & fallax est fœmina, iudice Homero,*
*Et casta, & meretrix utraque pernicies.*
*Tot mala mœcha Helenæ peperit, cladesq; uirorum,*
*Castam ob Penelopem tot periere proci.*
*Ilias ex una factum est crudele poema,*
*Causa, & Odyssea Penelopea fuit.*

DE FAVSTO SYLLAE FILIO ET CASSIO.

*Laudanti Fausto Syllam de cæde Quiritum*
*Dat colaphum puero Cassius ipse puer.*
*Digna manus, ni se maculasset Cæsare cæso*
*Immo digna magis, quod maculata fuit.*

E GRAECO.

*Cur tumulum, & cuius scandis regina uolucrum,*
*Suspiciens nitidi sydera celsa poli?*
*Sum simulachrum animæ reuolantis in astra Platonis,*
*Corpus humo genitum patria condit humus.*

## DE XERXE ET EVRISTHEO REGIBVS.

*Quae uos exagitat tam stulta, & dira cupido?*
*Persarum Reges, funus, & obprobrium.*
*In Superos, hominesq; manus sceleraslis, Amasim*
*Tu e tumulo effossum percutis, iste salum.*

## E GRAECO.

*In Danaum Xerses è Perside rura phalanges,*
*Atque Titus lata duxit ab Ausonia.*
*Fine tamen uario. Europae seruile minando*
*Ille iugum, iste iugo libera ut Hellas eat.*

## E' GRAECO.

*Certè omnes satyri arrident, sed tu mihi dicas,*
*Ad quem respectans risu hilaris satyre es?*
*Rideo demirans, illinc huc quomodo uectus,*
*Factus sum satyrus tam subito ex lapide.*

## DE PROMETHEO.

*Ex tellure hominem fingens conscendis in astra*
*Viuificosq; ignes solis ab axe rapis.*
*His animasq; lutum ueluti Natura, Deusq;*
*Humanum reparans absque parente genus.*
*Nec maiora ualent Superi diuine Prometheu,*
*Nec mage dura homines supplicia ulla pati.*

## E' GRAECO.

## IN IMAGINEM PROMETHEI

*Artis, frugiferam ille dedi flammam fero ab arte,*
*Atque igne instantis talia & ora mali.*
*Ingratum semper genus est mortale Prometheum.*

*Tot mala nanque nefas, ob benefacta pati.*

E' GRAECO.

*Aes uocat indomitum liber excellentis Homeri,*
*Ast ipsum Plastes dicere falsa probat,*
*Eia age, plorantem intueare Promethea, & audi*
*Corde quidem ex imo quam dolet aes domitum.*
*Post pharetram Alcide indignum tot ferre dolores*
*Vsque renascentes Iapetionidem.*

DE C. MARIO ET CARTHAGINE.

*Saxa ruinosae cineres Carthaginis inter*
*Immundosq; sedens exul inopsq; mari.*
*Euersam altam urbem cernis, quae iam aemula Romae*
*Sola fuit, pueri quippe iacere solo.*
*Prostratum illa Ducem, & fugitiuum, primus in urbe*
*Qui fueras uili triste sedere loco.*
*Alteri eras alter solamen triste, leuabas*
*Tu exilium exitio, tu exitium exilio.*

E' GRAECO.

CLITEMNESTRA IN ORESTEM.

*In uentrem, an mammas poteris ne recondere ferrum?*
*Ventre ego te genui, mammis te denique paui.*

E' GRAECO.

*Troiam urbem sacram, & munitam turribus altis,*
*Hospes quae tanti nominis usque fui,*
*Me cinis absumpsit secli, septa aurea habentem*
*Portarum, uerum Meonidae altaceo.*
*Non me confodient plus spicula achaica, & enses,*
*Graeciae inerit resonans nomen in ore meum.*

# DE CAMILLA REGINA VOLSCORVM.

*Volscorum de gente pater princepsq; Camillam*
*Dum cupit imberbi tradere uelle uiro,*
*Vt generis lapsi spem suscitet illa nepotes,*
*Nata ait hæc patri uirginitatis amans.*
*Cerne Hecubæ, et Niobes partus, quibus utraq; läguet,*
*Illa canis latrans, ista lapis lachrymans.*

# QVOS VTIQVE DICERET SERmones Pyrrhus ascendens Troiam.

## E' GRAECO.

*Fine mei patris clari caruere labores.*
*Ast ego qui exitium passim tibi Troia paraui,*
*Accessi attollens maiorem robore laudem.*
*Nam Priamum regem, tum quos dimisit Achilles,*
*Vna omnes mea dextra potens demittet ad orcum,*
*Martia diripiam, & populabor pergama, bello*
*Hasta decennali tum nostra absoluet Achiuos.*

## DE L. BRVTO.

*Audio Brute tuas quoties horresco secures,*
*Nec possum fasces amplius inspicere.*
*Tu tamen exolui fasces, ferrumq; iubebas,*
*Ferrum, sublata est quo tua posteritas.*
*Immo natorum tetræ ad spectacula uitæ*
*Pascebas oculos impietate tuos.*
*O diram mentem, atque oculos in patre pudendos,*
*Ad mortem natos tradere, & inspicere.*

E GRAECO.

*Pertransite quiete urnam, ne uespa quiescens*
*Excita de somno surgat amara suo.*
*Nanq; Hipponactis rabies iam muta quiescit,*
*Qui latrauit eis, qui genuere & eum.*
*Prouidi at estote illius nam uerba nocere*
*Sub styge apud Manes, & dedicere Deos.*

DE ALEXANDRO MACEDONE.

*Maxime Alexander, ni dira cupido fuisset,*
*Diuus eras, quæ te dum per inane trahit,*
*Præcipitem dedit, ipse dolo, & conamine multo*
*Dum cupis esse Deus, desinis esse Deus.*

E GRAECO.

*Inspice Alexandrum audacem uiuamq; iuuentam,*
*Lucentesq; oculos, omnia in ære nitent.*
*Qui, quod conspiciunt radij summo æthere solis,*
*Pellea posuit sub ditione solum.*

DE EVRIDICE.

*Euridice debet lasitanti admorsa colubro,*
*Per quem seruauit morte pudicitiam.*
*Sub styge & experta est flammamq;, chelymq; mariti,*
*Styx flamma inuenta est, tartara uicta chely.*

E GRAECO.

*Pera una, & uestis simplex, undæq; subacta*
*Massa, solo infixus scipio & ante pedes.*
*Terreus atque calix, sapienti curta supellex*
*Sufficit ista cani, tum superest aliquid.*
*Nanq; cauis manibus cernens ex amne bibentem*

Diogenes, uanum proijcit & calicem.

DE PAVLO AEMILIO.

Paulus apud Manes, ut erat deiecta profundos
Cannarum illa dies exitiosa, uidens.
Cur ait, hic non sunt alia, unde urbs concidit, & nos,
Nanque euro, & sole, & puluere concidimus.

E GRAECO.

Præcipiti impluuio Lysippes paruus oberrans
Astyanacteam cœperat ire uiam.
Tunc uocem, & mammam profert dum mater, ad illas
Adserpens mortem liquit, & esuriem.

DE CANACE.

Heu plus quàm decuit fratrem, me frater amauit,
Quanq; patrem decuit, odit & ipse pater.
Aeque amor, ac odium, natæ, nocuitq; sorori,
Hic causam, hic gladium præbuit, unde obij.

E GRAECO.

Hostilis medicus me inuisit, & astitit ægro,
Atque interdixit pocula nectar heri.
Ebibe dixit aquam uanus, tum ignarus Homeri,
Qui uoluit nostrum robur inesse merum.

DE CICERONE.

Et uellem, & nequeo Ciceronis pingere casum,
Nam tua opus lingua mi Cicero, atque manu.
Vtraq; concisa est, silet illa, quiescit & ista,
Quum nequeam uerbis, pingo tamen lacbrymis.

E GRAECO.

Non humus Euripedem tegit hæc, magis hanc tegit ipse

Nanque ab honore huius nobilitatur humus.

E GRAECO.

Excipe Diogenem cynicum me ò portitor orci,
Cui uitæ nudum est omne supercilium.

DE TARQVINIA VXORE

Seruij Regis.

Seruij eram coniux Regis, quem cæde iacentem
Inq; luto & pressum, nata scelesta tibi
Quod rapui ad tumulum nam rex; uir charus, & urbi
Dilectus fuerat, destinor ipsa neci.
Non doleo mortem, at potius, quia funus iniquum
Non potui lachrymis accumulare meis.
Et doleo, ille, & enim media quem è morte redemi,
Atque alui, cædem præbuit, & laqueum.

E GRAECO.

Quē sensim infernas Hermes deduxit ad umbras;
Annorum incuruum mole Bianta tego.
Egit enim causam socij, acclinatus & ulnis
In pueri extendit somnia longa senex.

DE PLVTARCO.

Cur sua Plutarcho non est exposta diserto
Vita recenseri debuit illa quidem.
Comparat Ausonios Grais, Græcosq; Latinis,
Conferri posset qui sibi nullus erat.

E GR. IN CHIRONEM.

Iunxit equo celeri ludens Natura, tacebat
Imperfectus homo, & fronte carebat equus.

DE C. MARIO.

*Hunc tumulum Mario ne construe, Teutones immo*
*Parte una, & Cymbros accumulato simul,*
*Seruatasq; alia, Ausoniam, Romamq, secures*
*Pone & honoratas, multiplicesq; super.*
*Fortunamq; humilem, & lætam uariam atq, fugacem,*
*Sic patrem condas urbis, & Italiæ.*

E GRAECO.

*Heraclete tuos quum tam bene uixeris annos,*
*Inde mihi mirum est, quod male fata subis.*
*Nanq; oculis lucem extinxit tua turgida splendens*
*Morbus, ubi internis membra rigauit aquis.*

ALLVSIO.

*Heraclete tuum quum sic ploraueris æuum,*
*Non mihi erit mirum, si male fata subis.*
*Fortius ut posses lachrymare, dolere, rigari,*
*In largas toto es corpore uersus aquas.*

DE TVRNO.

*Et tu Turne iaces iuuenum pulcherrime, Achilles*
*Alter in Ausonia, sanguis & ipse Deum.*
*Qui, quia turbasti pacem, quia fata Deorum*
*Aeneæ manibus concidis ante diem.*
*Te deplorarunt Iuturna, Iunilia, Iuno,*
*Felix, qui in lachrymas cogis inire Deas.*

IN CRATETEM E GR.

*Tanta habeo quanta edidici, & meditabar, & alma*
*Cum Musis cecini; mors multa, & ditia ademit.*

DE CLAVDIA VESTALI VIRGINE.

*Claudia Vestalis uirgo nec credita, traxit*
*Sola manu hærentem, difficilemq́; ratem.*
*Suppliciter rogitans, quod si foret ipsa pudica,*
*Approbet accessu diua pudicitiam.*
*Tunc potuit, quod non populus, non uota, precesq́;,*
*Nanque preces iustæ numina sancta mouent.*

E' GRAECO.

*Pithagoram pictor poterat finxisse loquentem,*
*Verum Pithagoram conticuisse iuuat.*

DE QVINTIO FLAMINIO.

*Quis clamor plausus, duplexq́; triumphus in uno?*
*Hæc est Flaminij gloria terna; Ducem*
*Nam Macedum uicit, post liberam & Hellada fecit,*
*Ciuium & ære emit millia bina suo.*
*Proinde triumphales gemini debentur honores,*
*Ciuibus adductis, hostibus & domitis.*

E' GRAECO.

*Optimæ eris nostræ monumentum tu ne Sabinæ,*
*Magnum inquam magnæ marmor amicitiæ?*
*Vsque ego te quæram, si fas, acheronte sub ipso,*
*Tu mihi ne Lethes pocula fonte bibas.*

DE PALAMEDE ET NAVPLIO.

*Nauplius insontis nati post funus iniquum*
*Cædis enim ultores impulit esse Deos.*
*Nam qui patrarunt cæci, sunt cæca caphareï*
*Experti saxa ob saxa cruenta, necem.*

E' GRAECO.

*Continet una duos bis fratres urna duobus.*

*Nam uitam una dies fecit, & una necem.*

DE L. PAVLO AEMILIO.

*Ante triumphales captiuum ducere currus*
*Persea Paule tibi gloria magna fuit.*
*Ante triumphales, & post duo funera currus*
*Cernere natorum quam tibi triste fuit.*
*Qualis eras inter plausus, & gaudia uultu*
*Paule, foris plausus, intus erat gemitus.*
*Nosq; triumphantem in plausu te inspeximus una,*
*Teq; triumphatum uidimus à gemitu.*

E GRAECO.

*Littore in Ionio dum fallit arundine pisces,*
*Submersi abrasum uir trahit inde caput.*
*Defunctum miseratus humo dum traderet, urnam*
*Ferrum aberat proprijs excitat hic manibus.*
*Thesaurum occultum & reperit, non perdidit unquam*
*Præmia uir iustus, nec pietas meritum.*

DE PARIDE.

*Quid trepidas stantem ante fores admittere mortem*
*Quis tibi conferri post tua fata potest.*
*Arbiter es Superum generosi atque Hectoris ultor,*
*Vltor & Hesiones magnanime ipse Pari.*
*Rapta Helena, Aeacida occiso, uisisq; Deabus,*
*Felices oculi, brachia, labra, manus.*

E' GRAECO.

*In Sypilo petra & adhuc Niobe lachrymosa peremptos*
*Bis septem ob natos condolet, atque gemit.*
*Desinet à luctu num tempore? quid ne loquuta est.*

*Quod uitam, & natis, & sibi surripuit?*

DE CATONE VTIC.

*Quid Cato iam speras prostratis uiribus urbis?*
*Aggrediare audax ense Catonis opus.*
*Pro patria semper certantem est turpe Catonem*
*Stare cadente, immo non moriente mori.*

E GRAECO.

*Voce uiatores hilari reuerenter honesto*
*Dicite lætitiam, & gaudia Praxiteli.*
*Aonidum fuerat pars maxima, congruus idem*
*Ad Bromium gaude mi andrie Praxiteles.*

DIALOGVS CLITEMNESTRAE *& Cassandræ.*

*Abstrahite hanc, quid opus? ueniam, moriare, libenter,*
*Polluis ipsa torum, polluis ipsa magis.*
*Nuntia eas horum ad Manes, iam nuntia & horum*
*Plura etiam referam, quid furibunda feres?*
*Prima patri dicam, mersos tot in æquore naues,*
*Tot Danaum errores, funera, adulteria.*
*Euersorem Asiæ inq; domo cecidisse nefanda,*
*Vulnere semiuiri, coniugis atq; dolo.*

E GRAECO.

*Eheu morbe atrox animis illaberis ecquid?*
*Quum cupiunt iuuenes uiuere secla senum,*
*Qui Timarchum etiam ab dulci rapis ipse iuuenta,*
*Vt nequeat sponsæ noscere philtra suæ.*

DE SERVIO TVLLO.

*Vrbis eram sextus Rex, regnum, & denique uitam*

Tullia consilijs abstulit, ense gener.
Nec sat, me exanimum, fœdumq́; cruore, lutoq́;
Sparsit & ille uijs, pressit & illa rotis.

E GRAECO.

Qui montem hunc colitis pastores, mittite passim
Hac errare capras, lanigeras & oues.
Clitagoræ per humum placidam, charis arcta licet sit,
Terrestris causa soluite Persephones.
Balet ouis sub rupe rudi, pastorq́; cicutam
Insuflet lætus, dum saturum omne pecus.
Vere autem primo decerpens prata sepulchrum
Rusticus exornet flore nitente meum.
Lacte nouo spargatq́; alius monumenta, premendo
Vtraque ouis siccans ubera tensa manu.
Humectans imum tumuli Manes styge ab ima
Inter defunctos retribuent chariten.

DE ACTEONE
AVSONIO.

Pulcher es Acteon, cingisq́; indagine saltus,
Ab te ne offendant Delia, Amorq́; furens.
Nomine in infausto semper quid triste timendum,
Tertio enim, caueas ne, lacerare puer.

E GRAECO.

Iulianus iacet hic celeris post flumina Tygris,
Rex bonus existens, acer bellator in armis.

ALLVSIO.

Sub styge Iulianus tarde post crimina uitæ est,
Rex malus existens, Christi desertor, & hostis.

DE PORTIO CATONE.

*Quo ruis ense tibi amisso per tela, per hostes,*
*Plus ne ualet gladius quam tua uita Cato?*
*Attoniti cædunt hostes, mirantur ob ensem*
*Te uoluisse mori, & cædere se stupidos.*
*Vade tamen, gladium inuenies, pacemq; per hostes,*
*Dum te mirantur sumere, non capere.*

E' GRAECO.

*Nubere qui tentat rursum, bis quærit in alto*
*Currere difficiles naufragus ille uias.*

DE PVERO ALEXANDRI MA-
*cedonum Regis.*

*Vidit Alexander combustum, & sensit odorem,*
*Exuri puerum sustinuitq; diu.*
*Thura dabat Superis, puer atque tenebat acerram,*
*Brachium et exardens non trahit inde suum.*
*Vnius & sacri Diuiq; hominesq; iuuantur.*
*Carnis Alexander, thuris, odore, Dei.*

E GRAECO.

*Ecquis tanta sciens factum præstauerit illud?*
*Quod fecit ridens omnia, & omne sciens.*
*Nanque dies per tres præsentia fata repressit*
*Panis odorati subsidio calidi.*

DE SCIPIONIBVS APHRIC.

*Scipiadæ ò quantum dispar uictoria utrique*
*Vestra fuit, uirtus quum tamen una foret.*
*Per te summa habuit Romana potentia apertam,*
*Per te summa habuit luxuria ipsa uiam.*

E GRAECO.

*Ecquid inexplicitos numeros, quibus omnia constant*
*Liquerit ò Plastes Pythagoras Samius?*
*At potius seruat studiosa silentia, quod nil*
*Tam promptum huic, quàm sit differere, atq; loqui.*

DE CANACE.

*A duro misera excipiens patre filia ferrum,*
*Condat ut in proprium sanguinolenta latus.*
*Tunc Canace infelix nudato pectore, & ense,*
*Occumbam gemina dixerat una nece.*
*Vna erit iste ensis patrius mors, altera chari*
*Fratris in amplexu non potuisse mori.*

E GRAECO.

*Puluere, tum risu, & nihilo sunt omnia plena,*
*Et siquid uacuum est, stultitiæ illud erit.*

DE FIMBRIA.

*Qui Mithridatem fudit, Flaccumq; peremit,*
*Viq; Ducem sese fecerat, atque dolo.*
*In Syllæ aduentu dextram conuertit & in se,*
*Seq; sui euicto Fimbria uictor obit.*

E GRAECO.

*Donec eris cœlebs numeri, prospera uitæ*
*Cuncta uidebuntur, tum bona cuncta fluent.*
*Quumq; aderit coniux, subito infelicia uitæ*
*Cuncta uidebuntur, tum mala cuncta fluent.*
*Si ob natos nubis Numeri, pignora habebis*
*Prædia habens, natos pauper amare nequit.*

## DE HESCHILO.

Quæ regina auium mouit te causa? poetam
Quod tragicum fato straueris immerito?
Non te cæca fames, fueras depasta Promethei
Vsque renascentes in sua damna dapes.
Sed metus ob raptum Ganimedem, ac Orphea uictum
Igne Iouis, ne in te scriberet, atque Iouem.
Hoc fuit exitio, flammamq́, extinguere oliuo,
Heschilus infracto nam magis ore sonat.

## E' GRAECO.

Quam sapiens Plastes uitam non indidit æri,
Socratis sanctæ gratificans animæ.
Aeri utinam posses animam tu infundere & uni
Socraticam, fueras Socratis ut figulus.

## DE IVLIA CAESARIS.

Iulia apud Manes plusquam ciuilia ut hausit
Bella, patris, Magni scilicet atque uiri.
Quàm bene fila mihi ante diem rupere sorores,
Ne uideam patriam corruere in patriam.
Et liceat, dixit, tantum posuisse timorem,
Cum sponso ut caderem, uel patre, uel patria.

## E' GRAECO.

Talis olor saxo tumulatur Anacreon, ardens
Qui furor in pueros; purus & ignis erat.
Mulcet adhuc lyrico plectro resonante Bathillum,
Pallentes hederas & lapis albus olet.
Orcus apud Manes tibi nondum extinxit amores,
Illam & adhuc sentis sub styge nequitiam.

DE HECTORE.

*Hectora quid paruo concludis Troia ſepulchro?*
*Tam breuis ingentem non capit urna uirum.*
*Mille rates, totidemq́; Duces, natiq́; Deorum*
*Vix potuere illum ſternere, & ipſa tegis?*
*Europæ atque Aſiæ fines, non Troia ſepulchrum eſt,*
*Vni unus titulum ſcripſit, & iſte ſatis.*

E GR· IN HECTOREM.

*Nunc mea poſt fatum contundite membra, leoni*
*Ipſi etiam illudit poſt ſua fata lepus.*

DE REMO.

*Quam mihi naſcenti duxiſtis dira ſorores*
*Stamina lanigeræ, ſydera & atra diem?*
*Infelix primum incerto genitore creatus,*
*Ante meosq́; ortus carcere tentus eram.*
*Nondum hauſi et lucem, & tumidis mergendus ab undis*
*Expoſitus fueram piſcibus, atque feris.*
*Euaſi his, ſed quid nato infelicibus aſtris*
*Profuit? heu fratri uictima grata cado.*

IN HOMERVM. APOLLO.

E' GRAECO.

*Quæq; ego cantabam, ſacer intexebat Homerus.*

DE ARISTEO ET EVRIDICE

*Parce mihi Euridice, fletu ingeminabat amator,*
*Viſa fuit lachrymis parcere uelle pijs.*
*Quumq; daret iuuenis morienti baſia amatæ,*
*Viſa fuit lachrymis parcere nolle ſuis.*
*Digna Deum natis, & adamantina ſuluere iura,*

*Perdidit heu te, huius, & huius amor.*

E GRAECO.

*Rhetoris elinguis statua est, nil uerius ista,*
*Hæc riget, ipse riges, hæc tacet, ipse taces.*

DE BRVTO ET CASSIO.

*Quum sua colla darent Brutus, tum Cassius ensi,*
*Postquam extorserunt fata superba prece.*
*Vsque etiam ad Manes sequimur, dixere, tyrannum,*
*Non illum satis est occubuisse semel.*

E GRAECO.

*Si barba inspirat sophiam longissima, & hircus*
*Barbatus poterit cultus inesse Plato.*

DE IVLIO CAESARE.

*Qui generum, & patriam oppressit ciuilibus armis,*
*Sanguine ciuili pinxit & omne solum.*
*Dans pœnas urbi, & Magno post sanguine tinxit*
*Pompei statuam, curiæ & omne solum.*

E GRAECO.

*Quis te icon statuit? sermo, cuius? Ptolomei,*
*Quæ patria huic? Crete, quæ ratio? probitas.*
*Quæ nam? cuncta, in quos? qui longa lite tenentur,*
*Aurum ubi non ualuit ligna ibi sufficiunt.*

DE AMPHIONE ET ORPHEO.

*Artifices ne manus, aures ne habuistis acutas*
*Saxa repercussis obsequiosa sonis?*
*Quū bonus Amphiō premeret uos, pectine, et Orpheus*
*Sensistis quantum carmine uterque ualet.*

Fine tamen uario grata, ac ingrata fuistis,
Orphea destruitis, mœnia construitis.

E' GRAECO.

Quem trifida exussit Thracem Orphea, flāma Tonātis
Chrysolyram, Aonides hoc posuere rogo.

DE CVRIONE.

Tantū alieni æris contraxit Curio, ut illi
Soluere uix possent Cæsar, & imperium.
Publicum ad omne malum dexter, facundus, & audax
Pacem discussit inter utrunque Ducem.
Tamq; libidinibus studuit, genioq;, uoluptas
Vt non sufficeret tanta libidinibus.

E' GRAECO:

Huic residens mensæ factæ de marmore leui
Iactabis celeres ludicra grata cubos.
Victor ne exulta, si destituare parumper,
Ne iactum accuses, & cruciare minus.
Nanq; & in exiguis mens nostra uidetur aperte,
Prudens taxillis noscitur è leuibus.

DE CIRCE ET VLYSSE.

Quanta erat in Circe ius carminis aspice, & audi
In monstra informes exululare uiros.
Quam melius iam uincla pati, & præsepia Vlyssem,
Quàm cadere, & nati conscelerare manus.

DE AENEA:

Prospectu Italiæ in primo tondere iugales
Vidit ut Aeneas gramina tristis ait.
Bella & adhuc monstratis equis: bis parcite captis,

Per uos iam satis est bis periisse phryges.

E GRAECO.

Naufragus hic situs, opposita tum rusticus urna,
Quod mors mortales una ubicunque rapit.

E GRAECO.

Damocaris subiit suprema silentia mortis,
Barbitos, heu Musæ pulchra quieta silet.
Grãmaticæ basis interiit, sacra & insula Coos
Denuó collachrimat, luxit ut Hippocratem.

DE POPEA NERONIS.

Nec tibi nunc parcit tua forma Popea, leporq́,
Vt fuit ante Nero, sic Nero semper erit.
Ipsa parens dicat, prudens Octauia, & uxor,
Atque alii; quorum tartara plena sonant,
Non tantum ore, manuq́ idem sæuitq́, necatq́,
Portat & in pedibus, fert ut in ense necem.

E GRAECO.

Sit mare sulcanti placidum, & tractabile, nam si
Ventus, ut ad portum me impulerit stygium.
Te quoque ne pontum incuses, sed temet, & ausum,
Qui funem nostro soluerit è tumulo.

E GRAECO.

Naufragio perii, terram hic dum findit & urna
Vtraque communem denotat esse necem.

DE ALCESTE ET ADMETO.

Formosæ Alcesti poteras ne Admete superstes
Esse tuæ? quæ te sic uenerata fuit.
Quid poterat maius pro te, quàm fata subire?

Quum nullus pro te fata subire uelit.
Accipe pro meritis mulier dignissima cœlo
Immo non mulier, sed Dea digna Ioue.
Donec erunt laudes, tot celebraberis orbe
Vna maritarum gloria, & una uirum.

E' GRAECO.

Hanc super Architeles lapicida Agathanore adempto
Nato urnam miseris struxerat hic manibus.
Eheu, non lapidem ferrum hunc insculpsit abundans
Flentis ac assiduis est madefactus aquis.
Esto columna leuis defuncto, heu, dicat ut ille
Imposuit lapidem quippe paterna manus.

E' GRAECO.

Desine remigium semper, tum rostra sepulchro
Pingere, quum pingas in gelido cinere.
Nauifragi tumulus, nec enim nocumenta profundo
Facta uiri extincti sunt renouanda magis.

DE P. RVTILIO.

Quid magis exilio infelix, & ab urbe fugari?
In qua sis genitus, uixeris & celeber.
Exul ab urbe Asiam petijt Rutilius, illi
Occurrunt urbes, oppida, rura, domus.
Hoc ne erat exilium, an potius nouus iste triumphus?
Pulsum urbe, & patria, patriam habere Asiam.

E' GRAECO.

Emoriens totus nullius computor, æquam.
Nam partem de me terra, fretumq; tenent,
Corpus enim pisces in aquis rosere profundi,

Nuda quidem in gelido littore & ossa iacent.

DE CONIVGE ASTRVBALIS.

Hastrubalis coniux se se deturbat ab arce,
Ne captiua foret, maluit igne mori.
Tresq; trahit secum natos in fata ruentes,
Quos pater indictos spernere uisus erat.
Digna uiro maiore uxor, natiq; parente
Ite, necem, & tumulos una ruina dabit.
Et licet extincti uobis Carthaginis ignes
Lucebunt, uirtus sub styge & usque nitet.

E' GRAECO.

Hic cumulus terræ est tumulus, quare ipse iuuencos
Contineas, misso solue & aratra iugo.
Nam cinerem exagitas, tali ne in puluere semen
Frumenti, uerum sparge dolens lachrymas.

E' GRAECO.

Ante faces absumpta Philenion es, neque mater
Pythias ad sponsum duxerat in thalamos
Formosos, sed quum bis septem aspexeris annos,
Dilacerata genas excitat hunc tumulum.

DE LEPIDO AEMILIO.

Insigne ætatis teneræ statuente Senatu,
Iam statuam emeruit Aemilius Lepidus.
Tunc ubi terribiles concurrunt hostibus hostes,
Inter tot strepitus, arma cruenta, neces.
Terruntur iuuenes, geminā at puer ipse coronam,
Seruato, occiso, milite, & hoste, tulit.

E' GRAECO.

*Terra Platona sinu fouet hæc mens incolit astra*
*Inter cœlestes annumeranda Deos.*
*Filium Aristonis, uitæ cœlestis honorat.*
*Quem, qui & longe habitat uir probitatis amans.*

E' GRAECO.

*Grinea pontiuagum, cymba qui uixit, & hamis,*
*Atque laborauit retibus in senio.*
*Ex uehemente noto tumidum mare mersit in undas,*
*Littore corrosis constitit & manibus.*
*Mortuus ingenium quis piscibus abneget? unde*
*Capti inerant, solas subsecuere manus.*

DE ZENONE ELEATE.

*Propositum ò constans animi patientia & ingens,*
*In re tam dira posse silere uirum.*
*Immo posse loqui tam ornate ardenter, ut hostem*
*Mouerit in Regem concita saxa loquens.*
*Vade hilaris Zeno ad Manes, fera bestia cæsa est,*
*Et tumulata prius, quàm iugulata, iacet.*

E' GRAECO.

*Ipse parum uiuens ultra horam nauita ne sit,*
*Nulli etenim nautæ tempora longa uident.*

DE IVNIO BRVTO.

*Brute reor monitum à Superis, ut stultus inesses,*
*Vt te seruares incolumem, & patriam.*
*Quumq; cadis terrã amplectens, dasq; oscula matri,*
*Bruti, & non Bruti signa fuisse doces.*
*Ast ubi opus patriæ atque tibi tunc pectore, & armis,*
*Personam uultu detrahis ipse tuo.*

*Qualis eras, & te ostentas urbi, atq; tyrannis,*
*Demonstrans quod erat desipere hoc, sapere.*

E' GRAECO.

*Valle uale Eucipedes sub opaca tegminis atri*
*Pieriæ, noctis qui colis usque domum.*
*Certus enim sub humo es, quod erit tibi gloria in æuum*
*Perpetuæ chariti, par quoq; Homere tuæ.*

E' GRAECO.

*Non hæc urna tua Euripedes, sed tu magis huius,*
*Nanque tua hanc urnam gloria condecorat.*

DE THEOGENE.

*Vltimus & se se Theogenes misit in ignem,*
*Absumptos comites cuspide, & igne uidens.*
*Proposita lege hac binos certare iubebat,*
*Victus & in flammas præcipitandus erat.*
*O certamen atrox, de quo nec uictor abiret,*
*Et quem ferrum hausit, perdit & ignis edax,*

E' GRAECO.

*Quum cymbam in ponto fidam Diotimus haberet,*
*Hac inopem pauit, retibus atque domum.*
*Dulciter iste cubans inuictum uenit ad orcum*
*Remo utens, uectus non nisi naue sua.*
*Quæ uiuo solamen erat, fuit atque perempto*
*Vtilis extremo nanque cremata rogo est.*

E GRAECO.

*Exagitate miser Nicanor ab æquore tristi*
*Tu nunc externo littore nude iaces.*
*Aut inter petras, nanque illa palatia frustra*

*Aedificata, omnis spesq; Tyri perijt.*
*Nec te seruarunt agri, nanq; occidis, eheu*
*Cuncta laborasti piscibus, & pelago.*

DE MEVIO CENTVRIONE.

*Meuius Antoni ante oculos captiuus, & hostis*
*Ducitur, hic miles Caesarianus erat.*
*Marce & ait, poena, nec longo funere credas,*
*Caesare deserto quod tuus esse uelim.*
*Tunc subito liber demittitur, hostibus hostes*
*Parcere coguntur nobilitate sua.*

E' GRAECO.

*Vrna Themistoclis non haec magnensis, at ipso*
*Graecorum inuidulo more tegor tumulo.*

E GR. DE LEONIDA.

*Optime ad Eurotam bellum non passus acerbum*
*Ire leo Spartae denuo carpis iter.*
*Verum a Termopylis tot persica tela repellens*
*Maiorum leges dum ueneraris, obis.*

DE MEDVSA.

*Quid fers aegra tuum, quanuis sit funus acerbum?*
*Quo inuidiosa magis Parca, dolenda minus.*
*Bellica praestanti muniuerat aegide Pallas,*
*Atque arpe, & pennis Persea Mercurius.*
*Quid poteras contra fraudem, & tria numina contra,*
*Virgo Deam, una Deum, semideumq; uirum?*

E' GRAECO

*Vrna haec Candaulis, mortem, me iudice, cernens*
*Qui nullum in propria coniuge crimen, ait.*

*Illa uideri inquam à geminis non passa maritis,*
*Sed prior, aut alter debuit esse suus.*
*Candaulem ergo pati fuit hæc fas, non alienis*
*Ostentare oculis debuerat propriam.*

ALLVSIO.

*Peccauere omnes, uxor magis, uxor iniqua,*
*Candaules stultus, proditor & sotius.*
*Impatiens formæ occultæ quod monstrat amico*
*Vir nudam ob laudem debuerat ne mori?*
*Ob meritum insidias ne pati? tum perdere regnum,*
*Et uitam pulchra coniuge cum propria?*
*Cæca amens dum pulchra times, & adultera dici,*
*Famosa es turpi cæde, et adulterio.*

DE METELLO PONT.

*Palladа seruauit flagranti ex æde Metellus,*
*Ob meritum amisit lumen utrunque suum.*
*Miraris, lucē quod uon seruauerit illi,*
*Ipsa nec à flammis tunc Dea tuta fuit.*

IN SARDANAPALLVM
È GRAECO.

*Exple animum oblectans inter conuiuia noscens,*
*Te fore mortalem nulla est post fata uoluptas*
*Sum cinis ipse etiam Nini Rex magnus, habensq;*
*Quod uentre absumpsi, & læsi, & iucunda recepi.*
*Plura opulenta autem fuerant, sunt illa relicta.*
*Hoc sapiens uitæ est monitum mortalibus ipsis.*

IN STATVAM PHILIPPI.
È GRAECO

*Vel Deus è cœli descendi, limine monstret,*
*Vel Phidia, ut cernat, iuit in astra polum.*

DE MILONE CROTONIATE.

*Hæc est illa Ioui quercus sacrata, Milonem*
*Quæ tenuit uinctum, fortis, utraque manu.*
*Qui taurum pugno atque uiros tot robore uicit.*
*Victorem imbelles desecuere feræ.*

E' GRAECO.

*Quis pater Euagoras, quid uincis? Pythia, quis tu?*
*Cosmilus arte pugil, dic patriam, alta Rhodos.*

DE ATTILIO ET SCAEVA.

*Attilium, & Scæuam egregios in ualle piorum*
*Gaudet enim Aeneas patre docente uidens.*
*Ille ratem immergit leua, clypeo iste tuetur*
*Castellum, ille mari uictor, & iste solo.*
*Sint licet, ille manu, iste oculo, sub Cæsare trunci,*
*Hos decorat uirtus, Cæsareumq; iubar.*

E' GRAECO.

*Sculpe meum supra tumulum montesq; salumq;*
*Inter utrosq; adsit Delius ista uidens.*
*Amnium & æternum fluxum, qui Xerxis habentem*
*Mille rates Martem non potuere pati.*
*Cæla etiam Salamina, Themistoclis interfecti*
*Magnensis populus denotet ut tumulum.*

E' GRAECO.

*Non puluis, nec onus modicum petræ est Erasippi*
*Hoc mare quod totum prospicis, est tumulus.*
*Cum naue occubuit, marcescunt illius ossa,*

*Ipsa ubi sint mergi dicite, nostis enim.*

DE PINDARO.

*Quam debes superis, & Pindare Manibus imis,*
*Munera rara omnes exhibuere tibi.*
*Carmen dulce illi, tum non imitabile; & isti*
*In somno dulcem contribuere necem.*

E GRAECO.

*Quam tuba terribili superat clangore cicutam,*
*Euincit cunctos tam tua sacra chelys.*
*Hinc tibi de labijs stillant dulcissima mella*
*Quae congessit apis Pindare flaua tuis.*
*Testis menalius Deus est, tibi concinit hymnum*
*Oblitus calami, carminis atque sui.*

E GRAECO.

*Optimam aquam dixit quia Pindarus, erigis illi*
*Cyre fluentisonas statuam propter aquas.*

DE APPIO CLAVDIO.

*Inuiti ut biberent, qui mersit in aequore pullos,*
*Naufraga & elusit relligione Deos.*
*Disiectam in tumidis classem Dux uidit in undis,*
*Sensit & iratos Claudius esse Deos.*
*Et iam erat à populo damnandus, uota fremebant,*
*Quum subitae è coelo praecipitantur aquae.*
*Qui peccauit aquis, & aquis qui immerserat urbem,*
*In media est subitis urbe solutus aquis.*

E GRAECO.

*Timoclis nomen denuntio in aequore amaro,*
*Mente agitans qua nam parte cadauer inest.*

Hoc

Hoc pisces, eheu rosere, superflua petra
Sum, frustra impressum contineo titulum.

E' GRAECO.

Pastor Ioannes phariæ uirtutibus ingens
Sacratis iacet in patria hic post fata sepultus.
Corpore mortalis, uita immortalis habendus,
Ob constructa Deis multa & preclara relicta.

DE POLYDAMANTE.

Hoc sub monte iacet, quem plurimus imber adegit
Antra subire, ingens concaua Polydamas.
Signa inquam manifesta dabat spelunca ruinæ,
Sed stultus molem sustinuisse putat.
Quantus erat, postquam montes nisi, & antra ualebāt
Sternere, & extinctum contumulare uirum.

E' GRAECO.

Qualem mentem si titulum haud metire sepulchro,
Ne ue Themistoclis te lateant opera.
Apposita Salamina, & classi, patriæ amicum
Ex his maiorem Cecropia inspicies.

E' GRAECO.

Elius Ausonio miles sub Marte, coruscum
Qui caput aurato cinxit honore suum,
Incidit in morbum lætalem, ut funera uidit,
Monstrauit propria robora aperta manu.
Perforat ense latus, ne inuictus uincar ab ipso
Morbo, egomet uincam, dixit, & occubuit.

DE SCAEVOLA.

Ne graue si huic tumulo fundis sanctissime uitam

*Purpuream, & ponis Scæuola corpus iners.*
*Victima grata Deis, Marij non manibus ipsis,*
*Fimbria nec cædis gaudia longa trahet.*
*Nam scelere hoc diro implebit tua candida totum*
*Mens cœlum, Manes umbra, cruorq; solum.*

E GRAECO.

*Gaudete ô fortes bello, quorum inclyta laus est,*
*Filij Athenarum strenua gens in equis.*
*Quorum pro patria florens amissa iuuenta,*
*Græcorum innumeris hostibus oppositi.*

E GRAECO.

*Hostium ad insidias Demeneta miserat octo*
*Pignora, cuncta una, & sub base contumulans*
*Non fudit lachrymas in luctibus, hoc tamen inquit,*
*Solum etenim natos Sparta tibi hos peperi.*

DE MONIMA VXORE MITHRIDATIS REGIS.

*Ense cruentato, fracto & diademate uisis*
*Virgo puella mea cautior esto nece.*
*Sum Monima infelix à Mitridate marito*
*Iussa mori, uictus dum fugit Aeneadas.*
*E capite arrepto collum diademate cinxi,*
*Ast ubi sensit onus frangitur, heu laqueus.*
*Tunc sputo inficiens dixi, diadema nefandum*
*Nec prodes tristi miq; ministerio?*
*Et iugulo exhausi gladium. quis crederet ensem,*
*Quam diadema sacrum sæpe iuuare magis?*

E GRAECO.

*Gleba licet modica, & paruus lapis iste uiator,*
*Alloquere, est tumulus nam miseri Alcimenis.*
*Totum & si occultet rubus, & paliurus acuta,*
*Olim ego uiuus eram strenuus Alcimenes.*

E GRAECO.

*Si quis Alexandri extollit monimenta Philippi,*
*Vrnam illi firmum dicat utrunq; solum.*

ALLVSIO.

*Tantalus iste cinis fuit orbe capatior omni.*

DE PAVLO AEMILIO ET
Terentio Varrone.

*Paulus hic Aemilius, Varro iste Terentius, ambo*
*Fascibus insignes, urbis & exitio.*
*Quaeritat hic mortem, grates cupit iste senatus,*
*Quod tanti fuerit tanta ruina mali.*
*Paule sed innocuum te sanguis, & umbra probabunt,*
*Vmbra tua ante Deos, sanguis & ante homines.*

E GRAECO.

*Hellados ingentis sertum, cosmonq; poesis,*
*Ascreum patria contineo Hesiodum.*

E GRAECO.

*Nondum erat extinctus senior, tumuloq; racemum*
*Vitisatum suauem protulit, immo rubum.*
*Et tristem dumum, tum quod facit ora uiator,*
*Obstupida, arenti & guttura sicca siti.*
*At si Hipponactis quisquam prope uenerit urnam,*
*Supplicet, ut placidam dormiat ille necem.*

DE CYRO ET TOMIRIDE.

*Perdiderat natum Tomiris Regina sepultum*
*Et uino, & dapibus, non animum ipsa suum.*
*Sed maiore ira certans, & cautius, & ui,*
*Inuictum superat Dux animosa Ducem.*
*Vtre caput Cyri & candens Cyre intulit illa,*
*Cuius eras sitiens, sanguine pelle sitim.*

E GRAECO.

*Gesseris ut bene te, requiescis Anacreon urna,*
*Barbitos & suauis noctiloqua atque silet.*
*Ver etiam Smerdis florens obdormit amorum,*
*Cui cytharam feriens carmina grata dabas.*
*Nam iuuenum speculator eras in amore, sinistra*
*In te unum atque arcus spicula torsit Amor.*

E GRAECO.

*Si prius hoc dixi, ex urna & clamabo, priusquam*
*Vltimus ossa tegat uestra cinis, bibite.*

DE MENENIO AGRIPPA.

*Iam plebem & patres præceps discordia, & amens*
*Egerat in bellum seditione graui.*
*Conciliauit eos prudens Menenius ore,*
*Et populo patres, patribus & populum.*
*Extinctoq; illi deerat pro funere sumptus,*
*Sextantem plebis quisque dedit tumulo.*
*Quis Regum inferijs, inopiq; æquabitur urnæ?*
*Quam pax extruxit publica, & ornat amor.*

E GRAECO.

*Littore deserto iam te occidere latrones*

*Ibyce, præsentes testificate grues.*
*Nec fuit hoc frustra, nanq; ex his sumpsit Erinnys*
*Supplicium in patria Sysiphe nanque tua.*
*Lucri auida o nimium prædonum turba rapacis,*
*Ira Deum cur uos non domuisse potest?*
*Nam neque qui uatem, Aegistus, iam tradidit orco,*
*Vltricum potuit non subijsse manus.*

E GRAECO.

*Dulcior Erines labor hic non multus, ab annis,*
*Nam decimo & nono mortua uirgo fui.*
*Pluribus ast alijs melior nisi Parca fuisset*
*Tam cita, eram uatem nullum habitura parem.*

DE SCYLLA NISI.

*Tu ne es Scylla illa extimulata libidine tanta?*
*O scelerata super fœmineum omne genus.*
*Immo ipsum scelus, æterni ac infamia secli,*
*Colchidas & Myrrhas impietate premens.*
*Virgo audax sine fronte domum, patriamq;, patremq;,*
*Et demum patrios prodis iniqua Deos.*

E GRAECO.

*Rhegyon Italiæ extremum decanto, palustris*
*Quæ semper Siculas spectat, & haurit aquas.*
*Quod sub frondosa tumulauerit Ibicon ulmo,*
*Qui coluit pueros, miro & amore lyram.*
*Passus multa, hederam & magnam difudit ad urnam,*
*Hanc etiam niueis cinxit arundinibus.*

E GRAECO.

*Euripidis tentans uates mortalibus ipsis*

*Difficilem accessu ne aggrediare uiam.*
*Lenis enim uisu, facilisq; uidetur, at ipse,*
*Si ingrederis, palo est asperior rigido.*

DE FABRITIO.

*Magnanimum Pyrrhus frustra, paruoq; potentem*
*Fabritium donis commaculare suis.*
*Nisus, ait clamans, rerum ò durissima egestas*
*Fortunam, & Reges despicere una soles.*

E GRAECO.

*Iuxta urnam Aeoliam gradiens tu ne aduena uatem*
*Dic mityleneam me subÿsse necem.*
*Hæc, opus est hominum paucis delebile ab annis,*
*Mortali pereunt omnia structa manu.*
*Sed si inter Musas quæres me, florida quarum*
*Serta legens nostram composui Aeneaden.*
*Me stygis agnosces umbram fugisse, nec unquam*
*Immemor ulla mei est prætereunda dies.*

E GRAECO.

*Muta & surda iaces Sapho conclusa sepulchro,*
*Extra autem æternam te tua Musa canit.*

DE ORPHEO.

*Vxore amissa clamabat, parcite Manes,*
*Qui fregit portas ex adamante Chely.*
*Parcere si scirent, debebant parcere amanti,*
*Impatiens legum est, qui impatienter amat.*
*Vt cantu est uisu tua sic miserabilis Orpheu,*
*Quæsita Euridice, perdita & Euridice.*

E GRAECO.

*Iuppiter altitonans percussit fulmine Thracem*
*Orphea, quem Musæ chrysolyram tumulant.*

ALITER.

*Aurati uates plectri Thrax conditus urna*
*A Musis, stratus & Ioue fulmineo.*

DE CVRTIO.

*Ore auido Manes, qui absumunt cuncta, tenebant*
*Vrbs sua in exitium guttura aperta tuum.*
*Audiri hinc gemitus poterant, & uerbera, quum se*
*Curtius ere nitens munijt ense; & equo.*
*Congrediare & ait mecum insaturabile monstrum,*
*Vectus equo in baratrum præcipitat se, & equum.*
*Tunc subito fauces clauserunt tartara, & ultra*
*Nescio, nondum illinc rettulit ille pedem.*

È GRAECO.

*Musæum* Eumolpi *charum ipsa phaltrica tellus*
*Deuictum fato continet hoc tumulo.*

ALITER.

*Dilectum* Eumolpi *pignus patris iste phalerum*
*Musæum tumulus continet exanimum.*

DE AVREOLO.

*An pauper ducenda foret, diues ne marita,*
*Quæsierat quondam lyscus ab* Aureolo.
*Arduum utrunq; refert, locupletem ferre molestum,*
*Tormentum, atque inopem pascere difficile est.*

È GRAECO.

*Ex qua nam patria sacrum dicemus* Homerum?
*Omnis enim urbs illi tendit amica manus.*

*Ignotum est istud, nam par cœlestibus heros,*
*Et patriam Musis linquit, & iste genus.*

E GRAECO.

*Thebanum tenet urna Linum, cui tempora sertis*
*Culta nitent, natum pignus ab Vrania.*

DE TARPEA VIRGINE.

*Sub styge & insontes conuellere desine manes,*
*Prodiderim patriæ quod monumenta meæ.*
*Pacta aperire arcem fueram sub nocte Sabinis,*
*Dum modo dent leua quod tenuere manu.*
*Romulo et hæc scripsi, scriptum excipit hostis, & ipsa*
*Prodere fraude uolens, prodita fraude fui.*

E GRAECO.

*Olim absque inferijs hanc cœpit terra dehiscens*
*Laodicem, hostile dum fugit obprobrium.*
*Tempore collapsam longinquo maximus urnam*
*Conspicuam præses struxerat hanc Asiæ.*
*Aeneam & illius aspiciens sine honore iacentem*
*Idem alibi statuam, reddidit huic tumulo.*

E GRAECO.

*Vraniæ peperit quem Thebis una sororum.*
*Vrna coronatum condidit ista Linum.*

DE DIOGENE CYNICO.

*Dixerat, heus homines, multi accessere, fugauit*
*Quos Cynicus baculi uerbere Diogenes.*
*Quæro homines, clamans, non purgamenta, lucernam*
*Tunc capiens hominem lumine quærit adhuc.*

E GRAECO.

Sterſicorum eximium Muſarum ex ore loquentem
Fumida iam Catanes contumulauit humus.
Cuius Pythagoræ ut fama eſt, habitauit Homeri
Dudum anima in ſacris denuo pectoribus.

E GRAECO.

Hic ſitus à Muſis aurati pectinis Orpheus
Thracius, irati fixus ab igne Iouis.

DE IVLIO CAESARE.

Quantus eras etiam confoſſo pectore tantis
Vulneribus, monſtras maxime ubique pater.
Nam moriens Cæſar, caderes ne turpe, remittis
Ex humeris ueſtem, quæ inferiora tegat.
Non dolor ille ingens, ſuprema & linea rerum,
Mors, ſed te mouit Diue decoris amor.
Non ſic mortales abeunt è corpore, ſed Di
Orbe pererrato taliter aſtra petunt.

E GRAECO.

Phanaretes latum ad tumulum ſecuere puellæ
Theſſalides flauas collachrymando comas.
Primiparam ob ſponſam infelicem ſe afflictantes,
Lariſſa indoluit grata, & uterque parens.

E GRAECO.

Conderis in nullo penitus Theodore ſepulchro,
Paginæ enim innumeræ ſunt monumenta tibi.
Vnde poetarum ſeruaſti ab Lethe laborem
Prudentum, gemmas dum legis inde tuas.

DE GORGIA EPIROTA.

Ne graue ſit caſum rarum didiciſſe uiator

Non fueram patriæ gloria parua meæ.
Nam matris grauida elapsus sum in funere ab aluo,
Vagitu & memet prodeo, tum gemitu.
Attoniti perstant tunc qui subiere pheretrum,
Et lucem, & cunas consequor ipse rogo.
Vtq; parens perijt mea, post me, & parturit, infans
Sic prius elatus, quam male natus eram.

E GRAECO.

Ingenium inualidum, capitis nec debile cani
Robur, uim uocis diminuere tuæ.
Sed uix, communi fato quum cesseris orbi,
Heu, uocem absoluit Calliopea tuam.

E GRAECO.

Contexit tellus hæc Pythanacta sororem,
Nondum uernantes uiderat ipse dies.
Optimus extruxit pater immortale sepulchrum
Pro grato absumptis munere pignoribus.

DE M. ORATIO ET ORATIA.

Sponsum, non fratres, lugebat Oratia cæsum,
Gemanam hinc Marcus sustulit ense suam.
Vt quæ inter uiuos cuperet tam lumine cassum,
Inter defunctos quærat, & inueniat.

IN IMAGINEM THEODOSII IMP. E GR.

Regem Asiæ hæc statua Theodosion ecce sacramus,
Qui fuerat consul, consilioq; potens.
Quod Smyrnam instaurans rursum irradiauerit urbē
Quam uatum celebrant carmina, & acta Ducum.

E GRAECO.

*Istud ne fiat nimium tibi triste Philene,*
*Si terræ ad Nilum portio nulla datur.*
*Te libertatis tumulus tegit, undique ad orcum*
*Qui ueniunt, cunctis una, eademq; uia est.*

E GRAECO.

*Nulla mea in terra liqui, ferro cuncta Charonti*
*Sed canis ipse cani Cerbere plaude mihi.*

E GRAECO.

*Non te ater morbus, senium sed lætius orbe*
*Abstulit, æterno uicte sopore cubas.*
*Extremum meditans Eratosthenes ipse, cyrenes*
*Mœnas in indomitis te posuit tumulis.*
*O nate Aglai & gratum te humus hospita condit,*
*Margine in hoc Protei littoris urna tua est.*

E GRAECO.

*Sit licet è saxo, Baccham retinete, recedens*
*Limine ne è templo, dum furit, effugiat.*

DE AENEA ET HECTORE.

*Mens erat Aeneas Teucrorum, dextera & Hector*
*Hostium uterq; metus, tempore uterque pari.*
*Et uirtute pares, multum sed dispare fato,*
*Concidit hic ferro, mergitur hic fluuio.*

E GRAECO.

*Si sub humo hæc audis Gradiui sanguinis Hector*
*Salue, & respira de patria ipse parum.*
*Illustrem recolunt Troiam gens inclyta, nam te*
*Debilior, uerum martia, & acris adhuc.*

Myrmidones periere, resurge, & dicito Achilli,
Stare sub Aeneadum fascibus Hemoniam.

E' GRAECO.

Hector Homeriaco semper celebrabere cantu
Muro a Dis structo fortius ò columen.
Mœonides in te tacuit iam fine peracto;
Musa quoque Iliados te moriente silet.

DE CATONE VTIC.

Quum Cato adhuc puer intrasset crudele theatrum
Syllæ ædes, immo limina carnificis.
Et proscriptorum capita appendere uideret,
Heu, scelus inuisum tunc puer indoluit.
Et ferrum petijt, prostratam ut uindicet urbem,
Italiamq; unus unius interitu.
Per quem occisæ inerent legiones, oppida, fasces,
Curia, nobilitas, magnanimiq; Duces.
Quem si inspexisset Marius comitatus inermem,
Et solum armatus sponte fugam caperet.
Viue Cato, & serua hoc ferrum in tua fata, cadentem
Vrbem iterum ut cernes, utere tunc gladio.

E' GRAECO.

Terra Thaletem habuit clarum Milesia, cunctos
Vincentem sophia, tempore & astrologos.

E' GRAECO.

Arte animas hominum qua nam sanasset Apollo?
Tu nisi lustrasses Hellada diue Plato.
Corporis affecti est medicus nam Phœbus Apollo
Perpetuæq; animæ tu medicina Plato.

DE HANNIBALE.

Perfidum, & humani sitientem sanguinis ô qui
Dixerit Annibalem, non nisi uerus erit.
Pactus erat patria quosdam dimittere saluos,
Et fumo inclusos perfidus ille necat.
Impius hæc eadem miseris promisit Acerris,
Et puteo immersas contumulauit aquis.
Nil mirum Italiæ exicidium si intentat, & urbi,
Cum pietate gerens prælia, cumq; fide.

E GRAECO.

Artimidore super tumulo hæc tibi questa creatrix
Bis sex annorum collachrymando necem
Interijt nostri partus labor omnis, in ignem
Concessit patris Parmenos atque labor.
Occubuere ioci, non exorabile adijsti
Limen, ab infernis non rediturus aquis.
Nate imberbis adhuc, mihi surda relicta columna est,
Atque patri pro te surda relicta & humus.

E GRAECO.

Eheu mortua Aristocratea est ante hymeneos,
Pro lætis tristes iussa uidere faces.
Liquisti fletum matri, quæ sæpe sepulchro
Acclinata caput fletibus ora rigat.

DE M. PERPENNA.

Detrahe personam Perpennæ, et Roma uidebis,
In tua, quas dederis, uertet hic ora faces.
Sed tu Magne suo has extingue cruore; lauando
Errorem patriæ, tali & in amne notam.

E GRAECO.

*Nunc mage quàm prius insomnis ualidi ipse baratri*
*O canis ad portas tergemine inuigila*
*Si nunc liquerunt lumen, crudelia iambos*
*Archilochi ut fugiant tela lycambiades,*
*Iurgia ut effugiant totius mortui, opacas*
*Quomodo non linquent tartareasq; domos?*

E GRAECO.

*Sacrati capitis diuini hæc urna poetæ*
*Mœnij, herôum per quem inclyta facta canuntur.*

DE MEDEA ET IASONE.

*Parce uni saltem nato ingeminabat Iason,*
*Vna cæde manus si saturata tua est.*
*In cinerem ut socerum, & sponsam, prospexit, et ædes,*
*Natorum & miseram matre operante necem.*
*Vade, & ait, scelus inuisum, sublata per auras*
*Nullos esse Deos, quaq; uehare, refer.*

E GRAECO.

*Nati infelices quum iam traherentur ad aras,*
*Ambiguam pinxit Colchida Timomachus.*
*Ira manum armabat, gladio exarmabat amorq;*
*Nam pia uult natis, impia & esse suis.*

ALITER.

*Ficta ab Timomacho Medea est mater, & hostis,*
*Improba quum traheret pignora ad interitum.*
*Impietate capit ferrum, & pietate remittit,*
*Nollet enim & uellet parcere pignoribus.*

E' GRAECO.

*Quàm male succedant hostilia dona, perempti*
*Testantur Priamo, tum Telamone sati,*
*Hic zonam, iste ensem, donant, hic concidit ense,*
*Hic trahitur zona ò pernitiosa chari.*

ALITER.

*Munera amara Hector, clypei, & septemplicis* Aiax,
*Largiti inter se pignus amicitiæ.*
*Hector habet lorum, gladium contra excipit* Aiax,
*Donorum experti funere sunt chariten.*
*Ense furens* Aiax *peryt, rursum quoq; loro*
*Ad currum uinctus Priamides trahitur.*
*Sic mortem adducunt hostilia munera sortem*
*Nanque hæc Mortis habent cortice sub charitis.*

E' GRAECO.

*Immutasse uiros in bruta animalia* Circen
*Non credam, hoc mirum scribis* Homere *licet.*
*Nanque sagax meretrix quos excipiebat, eosdem*
*Blanditys captos reddidit illa inopes.*
*Intus habensq; illos pascebat more ferarum,*
*A prudente* Ithaco *uicta iuuenta* Duce *est.*
*Non ab Mercurio, proprio nam munere habebat,*
*Quo magicas artes uinceret antidotum.*

DE CINNA

*Non Mario melior, truculentus Cinna sepulchro*
*Hoc iusta, occisus seditione iacet.*
*Perfecit quæ nemo bonns tentasset, ut audax*
*Consilio, fortis sic fuit ipse manu.*

*Dignus enim, uicto, non qui uictore peremptus,*
*Ad periuratas corripiatur aquas.*

EGR. DE LEONIDA.

*Spartanum horribili deuictum cæde leonem*
*Inspiciens Xerxes ueste tegit tyria.*
*Eq; cadaueribus spartæ intonat optimus heros,*
*Proditor exhibuit præmia non capiam.*
*Parma mihi tumuli decus ingens; persica tolle hæc,*
*Ibo etiam ad Manes ut Lacedemonius.*

E GRAECO.

*Rhetoris effinxit quis te sub imagine muti?*
*Quid magis esse potest, quum taceas simile?*

DE CRESO ET POLICRATE TYRANNO.

*Quid fastu, atque opibus tumidos nos suspicis hospes?*
*Ah ne te fastus, decipiant & opes.*
*Amnis arenosum quanuis mihi deuehat aurum,*
*Seruiat huic uotis doris amara licet.*
*Respice finem ipsum, accensas flammasq;, crucemq;,*
*Quid mage sæuum istis, quid miserum ue magis?*

E GRAECO.

*Hanc soror o Progne mittit Philomela salutem,*
*Si sentire salus nostri est in ueste dolores*
*Missa animi, quos in septis ouium attulit atrox*
*Quum me infelicem Thereus, miseramq; dedisset,*
*Virginitate prius, uiduauit denique lingua.*

DE CALPHVRNIA ANTISTII.

*Percita ab igne graui fortis Calphurnia, quo uir*

Concis

*Conciderat, ferrum strinxit, & occubuit.*
*Defuerant uires, crescebat flamma, dolorq;,*
*Et uix pulsa illa est sanguine, & ille nece.*

E GR. DE CLYTEMNESTRA.

*Vt natum inspexit gladio in sua fata ruentem,*
*Certa mori, exerto pectore mater ait.*
*Quid feries prius, hunc ne uterũ, aut hæc ubera ferro?*
*Vberibus paui, teq; utero genui.*

DE DIOGENE CYNICO

*Diogenes Veneris tactus prurigine, nuptæ,*
*Quæ fuerat populo, sollicitabat opem.*
*Labentis frustra Cynicus (tardabat amica)*
*Temporis impatiens dextra hymenea canit.*

E GRAECO.

*Vmbrarum aduentu tu qui lætaris, auerni*
*Vector agens animas trans Acherontis aquas.*
*Et licet idolis onerata carina silentum:*
*Sit tua, ne linquas Diogenem Cynicum.*
*Pera mihi & baculus, duplexq; lacerna, lucerna &*
*Nauigijq; mihi pro pretio est obolus.*
*Hæc habui solum uiuens, hæc porto peremptus,*
*Nec mihi sub solis lumine maius erat.*

DE LVCVLLO.

*Apparat, ædificat, trahit & conuiuia, uestit,*
*Impare luxuria, sumptibus immodicis.*
*Montibus effossis & Nerea prouocat alto,*
*Obijcit & moles, quum fremit ille graues.*
*Quum te non caperet rerum tua maxima Roma,*

DE CYRO ET TOMIRIDE.

*Perdiderat natum Tomiris Regina sepultum*
*Et uino, & dapibus, non animum ipsa suum.*
*Sed maiore ira certans, & cautius, & ui,*
*Inuictum superat Dux animosa Ducem.*
*Vtre caput Cyri & candens Cyre intulit illa,*
*Cuius eras sitiens, sanguine pelle sitim.*

E GRAECO.

*Gesseris ut bene te, requiescis Anacreon urna,*
*Barbitos & suauis noctiloqua atque silet.*
*Ver etiam Smerdis florens obdormit amorum,*
*Cui cytharam feriens carmina grata dabas.*
*Nam iuuenum speculator eras in amore, sinistra*
*In te unum atque arcus spicula torsit Amor.*

E GRAECO.

*Si prius hoc dixi, ex urna & clamabo, priusquam*
*Vltimus ossa tegat uestra cinis; bibite.*

DE MENENIO AGRIPPA.

*Iam plebem & patres præceps discordia, & amens*
*Egerat in bellum seditione graui.*
*Conciliauit eos prudens Menenius ore,*
*Et populo patres, patribus & populum.*
*Extinctoq; illi deerat pro funere sumptus,*
*Sextantem plebis quisque dedit tumulo.*
*Quis Regum inferijs, inopiq; æquabitur urnæ?*
*Quam pax extruxit publica, & ornat amor.*

E GRAECO.

*Littore deserto iam te occidere latrones*

*Ibyce, præsentes testificate grues.*
*Nec fuit hoc frustra, nanq; ex his sumpsit Erinnys*
*Supplicium in patria Sysiphe nanque tua.*
*Lucri auida o nimium prædonum turba rapacis,*
*Ira Deum cur uos non domuisse potest?*
*Nam neque qui uatem, Aegistus, iam tradidit orco,*
*Vltricum potuit non subijsse manus.*

E GRAECO.

*Dulcior Erines labor hic non multus, ab annis,*
*Nam decimo & nono mortua uirgo fui.*
*Pluribus ast alijs melior nisi Parca fuisset:*
*Tam cita, eram uatem nullum habitura parem.*

DE SCYLLA NISI.

*Tu ne es Scylla illa extimulata libidine tanta?*
*O scelerata super fœmineum omne genus.*
*Immo ipsum scelus, æterni ac infamia secli,*
*Colchidas & Myrrhas impietate premens.*
*Virgo audax sine fronte domum, patriamq;, patremq;,*
*Et demum patrios prodis iniqua Deos.*

E GRAECO.

*Rhegyon Italiæ extremum decanto, palustris*
*Quæ semper Siculas spectat, & haurit aquas.*
*Quod sub frondosa tumulauerit Ibicon ulmo,*
*Qui coluit pueros, miro & amore lyram.*
*Passus multa, hederam & magnam difudit ad urnam,*
*Hanc etiam niueis cinxit arundinibus.*

E GRAECO.

*Euripidis tentans uates mortalibus ipsis*

*Difficilem accessu ne aggrediare uiam.*
*Lenis enim uisu, facilisq; uidetur, at ipse,*
*Si ingrederis, palo est asperior rigido.*

DE FABRITIO.

*Magnanimum Pyrrhus frustra, paruoq; potentem*
*Fabritium donis commaculare suis.*
*Nisus, ait clamans, rerum ò durissima egestas*
*Fortunam, & Reges despicere una soles.*

E GRAECO.

*Iuxta urnam Aeoliam gradiens tu ne aduena uatem*
*Dic mityleneam me subiisse necem.*
*Hæc, opus est hominum paucis delebile ab annis,*
*Mortali pereunt omnia structa manu.*
*Sed si inter Musas quæres me, florida quarum*
*Serta legens nostram composui Aeneaden.*
*Me stygis agnosces umbram fugisse, nec unquam*
*Immemor ulla mei est prætereunda dies.*

E GRAECO.

*Muta & surda iaces Sapho conclusa sepulchro,*
*Extra autem æternam te tua Musa canit.*

DE ORPHEO.

*Vxore amissa clamabat, parcite Manes,*
*Qui fregit portas ex adamante Chely.*
*Parcere si scirent, debebant parcere amanti,*
*Impatiens legum est, qui impatienter amat.*
*Vt cantu est uisu tua sic miserabilis Orpheu,*
*Quæsita Euridice, perdita & Euridice.*

E GRAECO.

*Iuppiter altitonans percussit fulmine Thracem*
*Orphea, quem Musæ chrysolyram tumulant.*

ALITER.

*Aurati uates plectri Thrax conditus urna*
*A Musis, stratus & Ioue fulmineo.*

DE CVRTIO.

*Ore auido Manes, qui absumunt cuncta, tenebant*
*Vrbs sua in exitium guttura aperta tuum.*
*Audiri hinc gemitus poterant, & uerbera, quum se*
*Curtius eræ nitens muniit ense, & equo.*
*Congrediare & ait mecum insaturabile monstrum,*
*Vectus equo in baratrum præcipitat se, & equum.*
*Tunc subito fauces clauserunt tartara, & ultra*
*Nescio, nondum illinc rettulit ille pedem.*

E' GRAECO.

*Musæum Eumolpi charum ipsa phaltrica tellus*
*Deuictum fato continet hoc' tumulo.*

ALITER.

*Dilectum Eumolpi pignus patris iste phalerum*
*Musæum tumulus continet exanimum.*

DE AVREOLO.

*An pauper ducenda foret, diues ne marita,*
*Quæsierat quondam lyscus ab Aureolo.*
*Arduum utrunq; refert, locupletem ferre molestum,*
*Tormentum, atque inopem pascere difficile est.*

E' GRAECO.

*Ex qua nam patria sacrum dicemus Homerum?*
*Omnis enim urbs illi tendit amica manus.*

*Ignotum est istud, nam par cœlestibus heros,*
*Et patriam Musis linquit, & iste genus.*

E GRAECO.

*Thebanum tenet urna Linum, cui tempora sertis*
*Culta nitent, natum pignus ab Vrania.*

DE TARPEA VIRGINE.

*Sub styge & insontes conuellere desine manes,*
*Prodiderim patriæ quod monumenta meæ.*
*Pacta aperire arcem fueram sub nocte Sabinis,*
*Dum modo dent leua quod tenuere manu.*
*Romulo et hæc scripsi, scriptum excipit hostis, & ipsa*
*Prodere fraude uolens, prodita fraude fui.*

E GRAECO.

*Olim absque inferijs hanc cœpit terra dehiscens*
*Laodicem, hostile dum fugit obprobrium.*
*Tempore collapsam longinquo maximus urnam*
*Conspicuam præses struxerat hanc Asiæ.*
*Aeneam & illius aspiciens sine honore iacentem*
*Idem alibi statuam, reddidit huic tumulo.*

E GRAECO.

*Vraniæ peperit quem Thebis una sororum.*
*Vrna coronatum condidit ista Linum.*

DE DIOGENE CYNICO.

*Dixerat, heus homines, multi accessere, fugauit*
*Quos Cynicus baculi uerbere Diogenes.*
*Quæro homines, clamans, non purgamenta, lucernam*
*Tunc capiens hominem lumine quærit adhuc.*

E GRAECO.

Sterſicorum eximium Muſarum ex ore loquentem
Fumida iam Catanes contumulauit humus.
Cuius Pythagoræ ut fama eſt, habitauit Homeri
Dudum anima in ſacris denuo pectoribus.

E GRAECO.

Hic ſitus à Muſis aurati pectinis Orpheus
Thracius, irati fixus ab igne Iouis.

DE IVLIO CAESARE.

Quantus eras etiam confoſſo pectore tantis
Vulneribus, monſtras maxime ubique pater.
Nam moriens Cæſar, caderes ne turpe, remittis
Ex humeris ueſtem, quæ inferiora tegat.
Non dolor ille ingens, ſuprema & linea rerum,
Mors, ſed te mouit Diue decoris amor.
Non ſic mortales abeunt è corpore, ſed Di
Orbe pererrato taliter aſtra petunt.

E GRAECO.

Phanaretes latum ad tumulum ſecuere puellæ
Theſſalides flauas collachrymando comas.
Primiparam ob ſponſam infelicem ſe affligentes,
Lariſſa indoluit grata, & uterque parens.

E GRAECO.

Conderis in nullo penitus Theodore ſepulchro,
Paginæ enim innumeræ ſunt monumenta tibi.
Vnde poetarum ſeruaſti ab Lethe laborem
Prudentum, gemmas dum legis inde tuas.

DE GORGIA EPIROTA.

Ne graue ſit caſum rarum didiciſſe uiator

Non fueram patriæ gloria parua meæ.
Nam matris grauida elapsus sum in funere ab aluo,
Vagitu & memet prodeo, tum gemitu.
Attoniti perstant tunc qui subiere pheretrum,
Et lucem, & cunas consequor ipse rogo.
Vtq; parens perijt mea, post me, & parturit, infans
Sic prius elatus, quam male natus eram.

E GRAECO.

Ingenium inualidum, capitis nec debile cani
Robur, uim uocis diminuere tuæ.
Sed uix, communi fato quum cesseris orbi,
Heu, uocem absoluit Calliopea tuam.

E GRAECO.

Contexit tellus hæc Pythanacta sororem,
Nondum uernantes uiderat ipse dies.
Optimus extruxit pater immortale sepulchrum
Pro grato absumptis munere pignoribus.

DE M. ORATIO ET ORATIA.

Sponsum, non fratres, lugebat Oratia cæsum,
Germanam hinc Marcus sustulit ense suam.
Vt quæ inter uiuos cuperet iam lumine cassum,
Inter defunctos quærat, & inueniat.

IN IMAGINEM THEODOSII IMP. E GR.

Regem Asiæ hæc statua Theodosion ecce sacramus,
Qui fuerat consul, consilioq; potens.
Quod Smyrnam instaurans rursum irradiauerit urbē
Quam uatum celebrant carmina, & acta Ducum.

E GRAECO

*Istud ne fiat nimium tibi triste Philene,*
*Si terræ ad Nilum portio nulla datur.*
*Te libertatis tumulus tegit, undique ad orcum*
*Qui ueniunt, cunctis una, eademq; uia est.*

E GRAECO.

*Nulla mea in terra liqui, ferro cuncta Charonti*
*Sed canis ipse cani Cerbere plaude mihi.*

E GRAECO.

*Non te ater morbus, senium sed lætius orbe*
*Abstulit, æterno uicte sopore cubas.*
*Extremum meditans Eratostenes ipse, cyrenes*
*Mœnas in indomitis te posuit tumulis.*
*O nate Aglai & gratum te humus hospita condit,*
*Margine in hoc Protei littoris urna tua est.*

E GRAECO.

*Sit licet è saxo, Bacchum retinete, recedens*
*Limine ne è templo, dum furit, effugiat.*

DE AENEA ET HECTORE.

*Mens erat Aeneas Teucrorum, dextera & Hector*
*Hostium uterq; metus, tempore uterque pari.*
*Et uirtute pares, multum sed dispare fato,*
*Concidit hic ferro, mergitur hic fluuio.*

E GRAECO.

*Si sub humo hæc audis Gradiui sanguinis Hector*
*Salue, & respira de patria ipse parum.*
*Illustrem recolunt Troiam gens inclyta, nam te*
*Debilior, uerum martia, & acris adhuc.*

*Myrmidones periere, resurge, & dicito Achilli,*
*Stare sub Aeneadum fascibus Hemoniam.*

E GRAECO.

*Hector Homeriaco semper celebrabere cantu*
*Muro a Dis structo fortius o columen.*
*Mœonides in te tacuit iam fine peracto,*
*Musa quoque Iliados te moriente silet.*

DE CATONE VTIC.

*Quum Cato adhuc puer intrasset crudele theatrum*
*Syllæ ædes, immo limina carnificis.*
*Et proscriptorum capita appendere uideret,*
*Heu, scelus inuisum tunc puer indoluit.*
*Et ferrum petijt, prostratam ut uindicet urbem,*
*Italiamq; unus unius interitu.*
*Per quem occisæ iacerent legiones, oppida, fasces,*
*Curia, nobilitas, magnanimiq; Duces.*
*Quem si inspexisset Marius comitatus inermem,*
*Et solum armatus sponte fugam caperet.*
*Viue Cato, & serua hoc ferrum in tua fata, cadentem*
*Vrbem iterum ut cernes, utere tunc gladio.*

E GRAECO.

*Terra Thaletem habuit clarum Milesia, cunctos*
*Vincentem sophia, tempore & astrologos.*

E GRAECO.

*Arte animas hominum qua nam sanasset Apollo?*
*Tu nisi lustrasses Hellada diue Plato.*
*Corporis affecti est medicus nam Phœbus Apollo*
*Perpetuæq; animæ tu medicina Plato.*

*Perfidum, & humani sitientem sanguinis ò qui*
*Dixerit Annibalem, non nisi uerus erit.*
*Pactus erat patria quosdam dimittere saluos,*
*Et fumo inclusos perfidus ille necat.*
*Impius hæc eadem miseris promisit Acerris,*
*Et puteo immersas contumulauit aquis.*
*Nil mirum Italiæ exicidium si intentat, & urbi,*
*Cum pietate gerens prælia, cumq; fide.*

E GRAECO.

*Artimidore super tumulo hæc tibi questa creatrix*
*Bis sex annorum collachrymando necem*
*Interijt nostri partus labor omnis, in ignem*
*Concessit patris Parmenos atque labor.*
*Occubuere ioci, non exorabile adisti*
*Limen, ab infernis non rediturus aquis.*
*Nate imberbis adhuc, mihi surda relicta columna est,*
*Atque patri prote surda relicta & humus.*

E GRAECO.

*Eheu mortua Aristocratea est ante hymeneos,*
*Pro læiis tristes iussa uidere faces.*
*Liquisti fletum matri, quæ sæpe sepulchro*
*Acclinata caput fletibus ora rigat.*

DE M. PERPENNA.

*Detrahe personam Perpennæ, et Roma uidebis,*
*In tua, quas dederis, uertet hic ora faces.*
*Sed tu Magne suo has extingue cruore; lauando*
*Errorem patriæ, tali & in amne notam.*

## E GRAECO.

*Nunc mage quàm prius insomnis ualidi ipse baratri*
*O canis ad portas tergeminè inuigila*
*Si nunc liquerunt lumen, crudelia iambos*
*Archilochi ut fugiant tela lycambiades,*
*Iurgia ut effugiant totius mortui, opacas*
*Quomodo non linquent tartareasq; domos?*

## E GRAECO.

*Sacratì capitis diuini hæc urna poetæ*
*Mœnij, herôum per quem inclyta facta canuntur.*

## DE MEDEA ET IASONE.

*Parce uni saltem nato ingeminabat Iason,*
*Vna cæde manus si saturata tua est.*
*In cinerem ut socerum, & sponsam, prospexit, et ædes,*
*Natorum & miseram matre operante necem.*
*Vade, & ait, scelus inuisum, sublata per auras*
*Nullos esse Deos, quaq; uehare, refer.*

## E GRAECO.

*Nati infelices quùm iam traherentur ad aras,*
*Ambiguam pinxit Colchida Timomachus.*
*Ira manum armabat, gladio exarmabat amorq;*
*Nam pia uult natis, impia & esse suis.*

## ALITER.

*Ficta ab Timomacho Medea est mater, & hostis,*
*Improba quùm traheret pignora ad interitum.*
*Impietate capit ferrum, & pietate remittit,*
*Nollet enim & uellet parcere pignoribus.*

E' GRAECO.

*Quàm male ſuccedant hoſtilia dona, perempti*
*Teſtantur Priamo, tum Telamone ſati,*
*Hic zonam, iſte enſem, donant, hic concidit enſe,*
*Hic trahitur zona ò pernitioſa chari.*

ALITER.

*Munera amara Hector, clypei, & ſeptemplicis* Aiax,
*Largiti inter ſe pignus amicitiæ.*
*Hector habet lorum, gladium contra excipit* Aiax,
*Donorum experti funere ſunt chariten.*
*Enſe furens* Aiax *periyt, rurſum quoq; loro*
*Ad currum uinctus* Priamides *trahitur.*
*Sic mortem adducunt hoſtilia munera ſortem*
*Nanque hæc* Mortis *habent cortice ſub charitis.*

E' GRAECO.

*Immutaſſe uiros in bruta animalia* Circen
*Non credam, hoc mirum ſcribis* Homere *licet.*
*Nanque ſagax meretrix quos excipiebat, eoſdem*
*Blanditijs captos reddidit illa inopes.*
*Intus habensq; illos paſcebat more ferarum,*
*A prudente* Ithaco *uicta iuuenta* Duce *eſt.*
*Non ab* Mercurio, *proprio nam munere habebat,*
*Quo magicas artes uinceret antidotum.*

DE CINNA

*Non* Mario *melior, truculentus* Cinna *ſepulchro*
*Hoc iuſta, occiſus ſeditione iacet.*
*Perfecit quæ nemo bonns tentaſſet, ut audax*
*Conſilio, fortis ſic fuit ipſe manu.*

*Dignus enim, uicto, non qui uictore peremptus,*
*Ad periuratas corripiatur aquas.*

EGR. DE LEONIDA.

*Spartanum horribili deuictum cæde leonem*
*Inspiciens Xerxes ueste tegit tyria.*
*Eq; cadaueribus spartæ intonat optimus heros,*
*Proditor exhibuit præmia non capiam.*
*Parma mihi tumuli decus ingens, persica tolle hæc,*
*Ibo etiam ad Manes ut Lacedemonius.*

E GRAECO.

*Rhetoris effinxit quis te sub imagine muti?*
*Quid magis esse potest, quum taceas simile?*

DE CRESO ET POLICRATE TYRANNO.

*Quid fastu, atque opibus tumidos nos suspicis hospes?*
*Ah ne te fastus, decipiant & opes.*
*Amnis arenosum quanuis mihi deuehat aurum,*
*Seruat huic uotis doris amara licet.*
*Respice finem ipsum, accensas flammasq;, crucemq;,*
*Quid mage sæuum istis, quid miserum ue magis?*

E GRAECO.

*Hanc soror o Progne mittit Philomela salutem,*
*Si sentire salus nostri est in ueste dolores*
*Missa animi, quos in septis ouium attulit atrox*
*Quum me infelicem Thereus, miseramq; dedisset,*
*Virginitate prius, uiduauit denique lingua.*

DE CALPHVRNIA ANTISTII.

*Percita ab igne graui fortis Calphurnia, quo uir*

*Conciderat, ferrum strinxit, & occubuit.*
*Defuerant uires, crescebat flamma, dolorq;,*
*Et uix pulsa illa est sanguine, & ille nece.*

E GR. DE CLYTEMNESTRA.

*Vt natum inspexit gladio in sua fata ruentem,*
*Certa mori, exerto pectore mater ait.*
*Quid feries prius, hunc ne uterũ, aut hæc ubera ferro?*
*Vberibus paui, teq; utero genui.*

DE DIOGENE CYNICO

*Diogenes Veneris tactus prurigine, nuptæ,*
*Quæ fuerat populo, sollicitabat opem.*
*Labentis frustra Cynicus (tardabat amica)*
*Temporis impatiens dextra hymenea canit.*

E GRAECO.

*Vmbrarum aduentu tu qui lætaris, auerni*
*Vector agens animas trans Acherontis aquas.*
*Et licet idolis onerata carina silentum*
*Sit tua, ne linquas Diogenem Cynicum.*
*Pera mihi & baculus, duplexq; lacerna, lucerna &*
*Nauigijq; mihi pro pretio est obolus.*
*Hæc habui solum uiuens, hæc porto peremptus,*
*Nec mihi sub solis lumine maius erat.*

DE LVCVLLO.

*Apparat, ædificat, trahit & conuiuia, uestit,*
*Impare luxuria, sumptibus immodicis.*
*Montibus effossis & Nerea prouocat alto,*
*Obijcit & moles, quum fremit ille graues.*
*Quum te non caperet rerum tua maxima Roma,*

*Fultus amicitia, inuictis Rex maxime & armis*
*Romani imperij, uiribus atque tuis.*
*Brachia quæ late extendunt, tamen usque timorem*
*Corde foues, nec sunt illa, uel illa satis.*
*In canibus Masinissa tua est tutela, fidesq;,*
*Nanque canes seruant te, & comitantur herum,*
*Non potes esse hominum nisi tu insidiator, & hostis,*
*Latratum, & morsum præposuisse uiris.*

E GRAECO.

*Qui pius, & liber iucundo lumine liquit.*
*Viuentem natum, frigidulumq; senem.*
*Hac Theodorus humo sub spe meliore sepultus,*
*Faustus & in uita, faustus & interitu.*

DE HERENIO SICVLO.

*In postes caput impingens Herenius acer,*
*Carceris emisit sponte animosam animam.*
*Quippe gradu distans infami à morte fugauit*
*Quam procul infamem, sic moriendo necem.*

E GRAECO.

*Non grauis Antigones fuerat tibi terra, nec illi*
*Esto grauis, gaude, dum sua membra foues.*

DE PHILOMENE.

*Hac Philomene urna est, risu qui ex orbe recessit,*
*Si ridere mori est, risus abesto procul.*
*Immo ueni, & secum dulces properate chachinni,*
*Iam graue, nunc lætum est, ridiculumq; mori.*

E GRAECO.

*Dic quis es, unde, patrem, quid uincis denique, pugnis*

*Pythia, sum Rhodius Cosmilus Euagoræ.*

DE AGRIPPINA.

*Districtum in se se gladium Agrippina Neronis*
*Imperio inspiciens iam moritura refert.*
*Percute uentrem istum sublatis uestibus istum,*
*Tale quidem hic monstrum protulit, & genuit.*

È GRAECO.

*Gloriam inextinctam patriæ dum tradimus almæ,*
*Cyaneas mortis trudimur ad tenebras.*
*Cæde nec emorimur, quia uirtus nostra superne*
*Nos radians orci liberat è foribus.*

DE POMPEIO ET CIC.

*Maxime Pompei, teq́, alloquor optime Tulli,*
*Plurima in Elysijs gloria uterque iugis.*
*Quæ pars sub cœlo uestris non plena triumphis?*
*Et qui non uestras congemuere neces*
*Ob rectum? patriæ tum libertatis amorem,*
*Sanguine sacrastis, tu mare, tuq́, solum.*

È GRAECO.

*Aenea sum uirgo usque Midæ quæ seruo sepulchrum,*
*Donec aqua excurrat, procera & pullulet arbor.*
*Splendeat exoriens & sol, & lucida luna,*
*Stans hic lugubri in tumulo uenientibus ipsis*
*Significabo Midam, duro hic requiescere saxo.*

DE NIOBE.

*Hæc eadem est Niobe, paruo quam cernis in orbe,*
*Sentires questus, ni lapis ipsa foret.*
*Diceret, obrigui merito iam numine, sed nunc*

*Cur fleo mortali saxea facta manu?*

E GRAECO.

*Non matrem nati, ut decuit, fleuere sepultam,*
*Sed mater natos duxit ad inferias.*
*Tantale te, natamq; tuam male lingua peremit,*
*Ipse times lapidem, filia facta lapis.*

DE CLEOPATRA.

*Certa reseruari parto spectanda triumpho.*
*Deliciæ sexus iam Cleopatra fui.*
*Non oblita alti generis, captiua uidebo*
*Vrbem ait, & tantum dedecus ipsa feram?*
*Falleris Octaui, & uiolentos asperat angues,*
*Magnanimæ obiectans brachia nuda neci.*
*Victa sopore docet, quam mollis uixerit, ante,*
*Postquam etiam moriens molliter ipsa cubat.*

E GRAECO.

*Sum statio Hyparci, haud dico te operire cadauer,*
*Tanta manens tanti militis ausonij.*
*Terra uerens hominem magnum sepelire sepulchro*
*Simplici, habere magis tradidit hunc pelago.*

DE OCTAVIA NERONIS.

*Terra meas, & ponte graues audite querelas,*
*Ah saltem Manes uos precor, este pij.*
*Fratre orbata meo, & patre, ac inuisa marito*
*Subijcior famulæ, pœna dolenda meæ.*
*Di ualeant superi, si sunt, in me amplius illi,*
*Si sæuire uolunt, quo noceant, nec habent.*

E' GRAECO.

E nemore eggreſſi deſerto in littore quondam
Ibyce prædones te tribuere neci.
Strymonias uolucres, quæ aderant, perſæpe uocantem
In teſtes, fato quum morerere truci.
Nec fruſtrata fuit tua uox, nam funus herinnys
Vlta tuum, & uocem, tum miſerata necem.
Syſiphia in terra. gens ò male nata latronum
Lucri auida ecquid uos non domat ira Dei?
Nam neque cantorem, Aegiſtus, qui occiderat ante,
Atrarum occurſu fugit ab Eumenidum.

DE MEDEA.

Arripiens ferrum, & donum exitiale coronam,
Sumite uos pœnas ſumite, Colchis ait.
Perderet in natis, & coniuge Iaſona tanquam,
Igne cremat ſponſam, pignora & enſe ferit.

E' GRAECO.

Inſanis, licet es ſaxum, prorumpit & ira
Pectore, deq; tuis inſatiata oculis.
Nec baſis iſta tenet, ſalias quin impete, & ira,
Accenſa in natos Colchi nefanda tuos.
Quis figulus tanti ingenij, ſculptorq; repertus,
Qui furere arte ſua fecerit & lapidem?

E GRAECO.

Medeæ hic tumulus natis, quos ipſa hymeneis,
Litauit Glauces uicta furore parens.
Placet ut hos, matriſq; una implacabilis iram,
Dona illis ſemper Siphilis ora dedit.

DE CATONE VTIC.

*Plus doluit Cæsar se non uicisse Catonem,*
*Quàm tot gauisus perdomuisse Duces.*
*In solo hoc fuerant uires, constantia & urbis,*
*Plus erat hunc unum uincere, quàm patriam.*

E GRAECO.

*Non ignote iaces, immo celeberrimus annis,*
*Græcia nam tumulus est tuus Euripides.*

DE TRASYLO CYNICO ET Antigono Rege.

*Rex mihi concedas dragmam, uel trade talentum*
*Iam Cynicus Trasylus dixerat Antigono*
*Denegat utrunq; Antigonus Rex, dixit & illi,*
*Non decet hæc Regem, nec decet hoc Cynicum.*

E GRAECO.

*Tempore qui astrologos omnes superauit, alumnus*
*Mileti sapiens hic situs, ecce, Thales.*

DE TINEO CENTVRIONE.

*Corpus ubi exanimum uidit frigentis amici*
*Et domini, lachrymis immaduere genæ.*
*Tineus ò Cassi, & dixit me suscipe mortis*
*Dux comitem, cædis nam tibi causa fui.*
*Et gladio incumbens emisit uuluere uitam,*
*Hoc pretio soluit deficiente moræ.*
*Victor enim meritam sperans'q; referre coronam,*
*Spes hominum ò fragiles, rettulit inde necem.*

E GRAECO.

*Ecquis Homere tuam uocem non sensit in orbe?*

Terra quidem, & pontus pugnas audiuit Achiuũ.
Solis & expertes populi, qui cuncta tuetur,
Nouerunt Troiæ nomen, quod sensit & Atlas.
Cœlum humeris positum gestans, ardentia & astra.

DE HERCVLE ET EVRISTEO.

Dura pati Alcidæ ediscas; stenelius heros
Quæ demandauit conficienda tibi.
Patris enim hoc leuitas, & iniqua nouerca peregit,
Dum fatum hic uulgat; tardat et ista tuum.

E GRAECO.

Quum uideas clauam, & crines, oculisq; timendum
Intrepidumq; animum, lumen & horribile.
Si reperis fuluum quærens & in ære leonem
Alcides, si non Lysimachi est statua.

DE IVLIA CAESARIS.

Diceret ista patri, atque uiro flens Iulia, mortis
Ante rogum patriæ ni properasset iter.
Vel tu uictor eas, uel tu, uictoria mecum est,
Teq; ruente ruam, teq; cadente cadam.
Iuliam enim turpe ut tanto charoq; parenti,
Dedecus & magno sic superesse uirò.

E GRAECO.

Potu es Anacreon elatus, sed post genialem
Vitam, & tu impotus tale subibis iter.

DE IOCASTA.

Signa micant, fratres properant concurrere ferro,
Iocasta accurrit mœsta gradu celeri.

Hæc secum meditata parens, uel fata subibo
 Vltima, uel pacis fœdera iuncta dabo.
Maternis precibus ponet pius arma, uel in me
 Impius incipiet conscelerare manus.

DE MVTIO SCAEVOLA ET CLOELIA.

Quum Porsenna graui Romam obsidione leuaret,
 Et mirarentur turba, Ducesq; fugam.
Bellum ait, inuicta ne geram cum gente Gradiui?
 Scæuola nam flammas, Cloelia uicit aquas.

IN STATVAM CAPANEI. E GRAECO.

Tam si insanisset Thebarum in tecta Capaneus,
 Apponens scalas mœnibus aerias.
Vrbem expugnasset, uetitum fulmenq; fuisset,
 Fatum ultra talem perdere posse uirum.

DE THIESTE.

Natorum, horresco hæc referens, potando cruorem
 Immixtum uino hæc sensit in aure pater.
Pignoribus post fata tuis iam parce Thyesta,
 Pectore quæ condis semisepulta tuo.
Passa sumus ferrũ, ignem, undas, nunc sanguine nostro
 Obruis, & quartam cogis adire necem.

DE M. ANTONIO.

Marcus hic eloquij & princeps Antonius urbis
 Indigno occumbens funere planxit humum.
Non potuit Marium infelix lenire cruentum,
 Qui ferrum, atque hostes ore moratus erat.

IN ERO ET LEANDRVM.

E' GRAECO

*Hac tranabat aquas Leander, & hic sinus alti,*
*Non modo amatori noxius atque grauis.*
*Hæc stabula illa priora, Ero turrisq; uetustæ*
*Relliquiæ, hoc iacuit fida lucerna loco.*
*Verus utrunque tenet lapis hic, uenti æquoris iram*
*Incusant & adhuc, inuidiamq; dolent.*

DE NARCISO.

*Hic est ille puer, qui dum fallacibus undis*
*Crederet, est uano lusus amore sui.*
*Et nunc asserpit languenti gramine ripæ,*
*Vt quibus aruerit, iam reuirescat aquis.*

E' GRAECO.

*Tecta super serpens Lisippes filius infans*
*Cœperat infelix Astyanactis iter.*
*Quum genetrix clamans, mammamq; è pectore ducens*
*Esuriem nati reppulit atque necem.*

DE M. MARCELLO.

*Ille Ducem Pœnum uinci qui posse docebam,*
*Post sparsam Ausoniam sanguine Romulidum.*
*Cæsus ob insidias, tumulatus ab hoste coegi,*
*Annibalem nostris manibus esse pium.*

E' GRAECO.

*Dulce opus Erinæ, paruum tamen, utpote natæ*
*Virginis octaui ueris, & undecimi.*
*At multis prælata, cito nisi fata subissem,*
*Quis mihi de cunctis anteferendus erat?*

## DE ARTEMISIA.

*Non contenta uiro mirum extraxisse sepulchrum,*
*Quo tot congestæ dilapidantur opes.*
*Excito meq; ipsam tumulum, quo conditus usque*
*Permaneat mecum nobiliore loco.*
*Viue illo, requiesce isto Mausole sepulchro,*
*Nominis illud erat, istud amoris erit.*

## E' GRAECO.

*Crinibus ornatum fueram, & lanugine leui,*
*Absque oculis nunc sum, tum sine uoce caput.*
*Septum animæ infirmum intumulati funeris, ecquis*
*Reliquias luctu preterit absque graui?*
*Iuxta radicem iaceo procul arbore ab ipsa*
*Quam misera est hominis, respice, conditio.*

## DE PERICLE ET PISISRTATO.

*O patria, antiquus quidam clamabat Athenis,*
*Dulciter aut capta es, uel capienda, caue.*
*Senserat orantem blando sermone Periclem,*
*Qui potuit labijs conciliare feras.*
*Viderat insidijs septum & Pisistraton armis*
*Hic ille eloquio, dispare uterque dolo.*

## E' GRAECO.

*Ter me regnantem patria expulit urbe tyrannum,*
*Et patriæ in patriam ter reuocauit herum.*
*Consilio illustrem, necnon Pisistraton armis,*
*Qui quod eram patria Mœonidesq; fuit.*
*Et quia Athenarum Smyrnam incoluere nepotes*
*Ciuis noster inest aureus ille igitur.*

E GRAECO.

*Cypridis haec icon, uideamus ne Berenices,*
*Harum, inquam dubito, cui mage sit similis.*

E GR. DE ANACREONTE.

*Quod tibi dulcis erat iam barbitos, atra subisti*
*Regna Herebi, at tecum cantus, Amorq; fuit.*

DE DIOGENE CYNICO.

*Diogenes puero gladium ostentante nitentem,*
*Quem sibi iam dederat munus amator, ait*
*Post pugnam, illatum & uulnus tibi traditur ensis,*
*Ensis enim est pulcher, foedus at est capulus.*

E GRAECO.

*Quisquis es hac gradiens, nil nuntia ad Antiochiam,*
*Vt ne iterum doleat castalis unda gemens.*
*Nam subito Musas Eustorgius ipse reliquit,*
*Spem ultream & uacuam iuris & ausonij.*
*Ter quinque atque duos annos superauerat, aetas*
*Spicea mutata est in cinerem sterilis.*
*Huncq; tenet tellus, proq; illo picta uidemus*
*Mixta coloratis nomina imaginibus.*

E GRAECO.

*Cui caput ornarunt flores, cui patria Thebae est,*
*Hoc Linus in tumulo est, filius Vraniae.*

DE FABIO MAX. ET CAMILLO.

*Cuius imago isthaec? Fabi, prior illa? Camilli,*
*Seruauit patriae moenia uterq; suae.*
*Capta quidem à Gallis, Aphro & capienda tyranno,*

*Hic cursu, hic tarda restituere mora.*

E' GRAECO.

*Tantus humum hanc humilem subijsti ò Socrates? omnis*
*Indicij Græcos arguet ista uidens.*
*Sanctum hominem immites qui interfecere, nec orco*
*Dant aliquid, sæpe hos dicito Cecropidas.*

E' GRAECO.

*Terra suo gremio complectitur ossa Platonis,*
*Nam Superis mens est associata choris.*
*Natus Aristonis fuerat uitæ integer, & quum*
*Iustus ab externo uir colit orbe, & amat.*

DE MVLIERE SPARTANA.

*Armatus ferro, & clypeo tendebat in hostes*
*Cecropidas miles iam Lacedemonius.*
*Dumq; breuem gladium queritur, sic strenua mater,*
*Adde gradum, dixit, longior ensis erit.*

E' GRAECO.

*Non modo fortunæ te tres decuere propinquæ*
*Crispe tui ob multas diuitias animi.*
*Cunctorum immo omnes, quid enim tibi sufficit amplo?*
*Vt lætos facias, quos reuerenter amas.*
*Nunc melior fortuna istis arridet, & auget*
*Cæsar enim, præ quo sors ualet ipsa nihil.*

E GRAECO.

*Irus inops seruusq; fui, nec corpore toto*
*Sanus Epictetus, charus at ipse Deis.*

DE TARQVINIO PRISCO.

*Argue fortunam nunquam, licet improba tendat,*

*Sæpe & ab exilio tendit ad imperium.*
*Aduena, & exul erat Priscus, rexit'q; Quirites*
*Ne ue rubori esset aduena, & exul eis.*
*Relligionem auxit, uires, confinia ubique*
*Virtutem docuit semen habere suum.*

E GRAECO.

*Sæpe super tumulo hoc mater generosa puellæ*
*Clamauit miserum, filia rapta breui.*
*Vt reuocet manes, umbram'q; Philenidis, ante*
*Mortua quàm nupta hæc stagna Charontis adit.*

E GRAECO.

*Igne Iouis uictum Musæ imposuere sepulchro*
*Cum'q, chely aurata hic Orphea Thraicium.*

DE VERGILIO.

*Musa monet uatem Aeneæ, & quod parcat Elisæ*
*Speluncam soli quum subiere Duces.*
*Ista pudicitiæ exemplum, pietatis & ille,*
*Regibus hæc, Dis hic ortus, & orta fuit.*
*Hæc patriam, & fratrem liquit cæsum ulta maritum,*
*Hic patrem, & patrios liberat igne Deos.*

E GRAECO.

*Virgo recens uates, apis annumeranda poetis*
*Prata Erinna legens florida Castalidum.*
*Pro thalamo rapta est Plutoni, quam bene sensit*
*Plutonem uirgo quum uocat inuidulum.*

E GRAECO.

*Muta es sub tumulo ò Sapho, sed nomen, & ossa*
*Nam tua in æternum carmina docta sonant.*

DE MVTIO SCAEVOLA.

*Quid Muti in dextram sæuis? si lumina peccant,*
*Supplicio potius mens tua digna fuit.*
*Nulla tamen peccat, postquam tua libera Roma est,*
*Nam quod tentabas tunc facere, ipse facis.*

E GRAECO.

*Conditus in Troia Telamonius, hostibus heros*
*Qui proprij laudem non dedit interitus.*
*Tempore eo quum nemo esset tam dignus, & audax*
*Qui necet Aiacem, se necat ense suo.*

E GRAECO.

*Post palmam multi in Troia certaminis Aiax*
*Arguit haud hostes, sed socios moriens.*

DE ARETHVSA ET ALPHEO.

*Dum te Arethusa suis ludentem cernit in undis.*
*Vim parat Alpheus captus amore, tibi*
*Corpore formoso, & uirgo tum nuda fuisti,*
*Nil mirum, in gelidis si Deus ardet aquis.*
*Territa sed refugis, demum sudore liquescens*
*Perdis amatorem te quoque inepta tuum.*
*Nam ruit in fontem, dum te uidet esse solutam,*
*Post fata amplexus, heu miser optat adhuc.*
*Sed miseratus Amor nodo sic uinxit utrunq;,*
*Sitis ut ambo unum corpus, & umbra simul.*

E GRAECO.

*rexere tibi statuam Plutarche merenti*
*Atque tuis meritis, patria, & Aeneadæ.*
*ustres Gaios præstantibus ipse Latinis,*

Respondere tuos quod fatis usque uiris.

Et quia nulla tuæ fuerat tunc congrua uitæ

Vita, ideo retices inuidiose tuam.

E GRAECO.

Vt mentem extollit liquidũ super æthera, supra

Sic mentem effundit dulcia uerba Plato.

DE ANTONIA ANTONII TRIVNVIRI.

Coniuge si rapto fatis Antonia uixi

Tam tenera, & uiduo sollicitata toro.

Ignis causa fuit Drusi, luctusq; diurnus,

Deficiente illo creuit uterque magis.

Flamma humore alitur, geminum depascere & ignem

Non poteram flammis extenuata, & aquis.

E GRAECO.

Cantorem Heroum ex Musis enigmate texto

Læserunt in IoMeonide iuuenes.

At ponti Nymphæ perfundunt nectare, & urnam

Defuncto ad littus marmore constituunt.

Quod Thetidem, & natum cecinit, tum cætera bella

Heroum, atque Ithaci plurima gesta Ducis.

Parua quidem, at felix Pontoios insula, nam tu

Contegis ipsa astrum Pieridum, & Charitum.

E GRAECO.

Hesiodus uobis musæ ex Helicone dicauit

Hic hymno ut uicit diuinum in Chalcide Homerum.

DE MEDEA.

Angulum & exiguum latebras uilesq; rogabat

Pulsa

*Pulsa domo Colchis, tum spoliata uiro.*
*Denegat ipse Creo, dabit hic dabit ignis & amplam*
*Sedem, ait, & sese muniit arte sua.*
*Et sponsam, atque domum exurit, se & tollit in auras,*
*Aera pro exiguis nacta & abit latebris.*

E' GRAECO.

*Dextera Timomachi crudelem Colchida zelo*
*Cunctantem in natos pingit & ambiguam.*
*Multa laborauit uultum dum fingit utrunque,*
*Vnus uindictam ut præferat, alter opem.*
*Vtrunque expleuit, formam meditare, minatur*
*Flendo, exardescit cum pietate furens.*
*Cunctando est sapiens, natorum haurire cruorem*
*Medeam, sed non Timomachum decuit.*

E' GRAECO.

*Locridos umbroso in saltu lauere peremptum*
*Hesiodum Nymphæ fontibus in proprijs.*
*Et struxere urnam, caprarum at lacte magistri*
*Sparserunt, flauo melleq; cecropio.*
*Carmen tale nouem Musarum nanque canebat*
*Ipse senex, puri fontis ut hausit aquas.*

DE C. MARIO.

*Teutonem uti uicit Marius, Cymbrum, atq, Iugurtam,*
*Canthar o enim extinxit continue ipse sitim.*
*Vt Bacchum effingat, domitis nam cantharus Indis*
*E Bromij labris dulce pependit onus.*
*Sic duplici genio Arpinas est usus arator,*
*Scilicet ut palma gaudeat, atque mero.*

Commoueas uespas, quæ latitant tumulo.

E GRAECO.

Baccha quidem e pario est, animauit dextera marmor
Artificis, saltat nam uelut acta mero.
Conuenere scopas simul excellentia & artis
Pro Baccha ut lapidem mirifice infatuent.

E GRAECO.

Hospes in hoc tumulo requiescit Anacreon, illi
Quod uinosus erat, pocula funde meri.

DE TVLLIOLA CIC.

Hæc fuit illa suo nimium dilecta parenti
Tulliola, inque etiam nomine blanda suo.
Quis charites, Musas, Veneres non deperit, ipsa
Inter enim has omnes plurima, & una fuit.

E GRAECO.

Non mage decurres calamos syluestris agrestes
Terimache, umbrosa sub platano recinens.
Nec tua sub uiridi recubantes carmina quercu
Excipient lassi cornigeriq; boues.
Perdidit exurens fulmen. sero niue quanuis,
Appropeti redeunt ad stabula alta boues.

E GRAECO.

Terra caput sacrum diuinum condit Homerum,
Hercum, atque Ducum quo bene gesta nitent.

DE CHYRONE CENTAVRO.

Sensit Achilleam ut cædem, magnumq; dolorem
Semiuir, esse & equam uidit ut Ochyroem,
Corde repercusso suspiria traxit, & inquit,

*Pœna mihi esse Deum, dedecus esse patrem.*

E GRAECO.

*Pars homo, pars equus est, ex isto est corpore Chiron.*

E GR. IN EVNDEM.

*Vir defendit equum, quatrupes ipse uirum.*

IN EVNDEM.

*Vir pedibus, ceruice & equus caret, integer iste est.*

IN EVNDEM.

*Hunc hominem producit equus, uir perdit equumq;.*

DE GRACCHIS.

*Gracche iaces, & tu Gracche infeliciter urna*
*Vna ambo & causa, funere & ambo pari.*
*Et tu te excrucias mater Cornelia, natos*
*Vndique tam raros sic cecidisse tuos.*
*At quia fatales patriæ periere, dolorem*
*Pone, nefas fatum est arguere, & patriam.*

E GRAECO.

*Non igitur uanum est, quod dixerat ille, remissum*
*Arcum confringi, si sapientis erit.*
*Nam ualido fueras quondam Theophraste laborans,*
*Inualidò otia amans corpore lentus obis.*

E GRAECO.

*Multa bibens te occidis Anacreon, ast ubi laute*
*Vixerim, & huc ueniens ad styga nulla bibens.*

E GRAECO.

*Et licet è saxo tamen ora resoluere posset*
*Pythagoras, sed se Pythagoram ipse facit.*

E GRAECO.

*Rhetoris hæc statua est Calisti, sacra uiator*
*Præsidi in eloquio confice Mercurio.*

DE OCTAVIA NERONIS.

*Tanta ruina mea est, ut nequeam deflere ruinam,*
*Nam mentem, & sensus eripit ipse dolor.*
*Summa dolorum illa est, non posse dolere dolorem.*
*Ore tacere meum est, corde dolere meo.*

E GRAECO.

*Quid tibi apri spolium? alatæ & placuere sagittæ?*
*Ecquis es? & cuius, signaq́, & urna manent,*
*Non Amor es, quis enim plorantem uidit Amorem?*
*Audacem tumulos inter & ossa pati?*
*Nec celeri es tempus cursu immo uolatile, nam ter*
*Longæuum illud inest, at tibi membra uigent.*
*Verũ equidem, ut meditor, tu qui in tellure sophista es*
*Aliger hic sermo tam celer huius eras.*
*Binus honor sub sole tibi, nam seria risu*
*Mixta fuere modis, mixtus & acer Amor.*
*Sic Meleagrum inquam natum Oenei, signa furentis*
*Ista apri, cædem testificata notant.*
*Salue inter Manes, nam musam iungis Amori,*
*Et simul annectis cum sophia Charites.*

E GRAECO.

*Aonidum manus hoc clausit Thracem Orphea saxo*
*Chrysolyram, strauit quem Iouis igne manus.*

DE DVABVS VIRGINIBVS SYRACVSANIS.

*Virgine pro harmonia furibundos hauserat enses*

*Regio in ornatu uirgo Siracusia,*
*Supra annos patiens fortis, reticensq; perempta est,*
*Regia quod cernens non tulit harmonia.*
*Sed reuocans hostes quæ nam foret ipsa fatetur,*
*Excipit & gladios sanguinolenta libens.*
*Certarunt animosæ una pietasq;, fidesq;,*
*Victæ & uictrices occubuere simul.*
*Immo, donec erunt laudes, simul utraque uiuet,*
*Cum fide enim pietas, cum pietate fides.*

E GRAECO.

*Non muliebre œstrum, nocturnæ aut Cypridis hostes,*
*Te Euripides diri desecuere canes.*
*Ast orcus, sensimq; eduxit iuxta Arethusam*
*Conderis Archilei culte sodalitio.*
*Hoc tibi non tumulum pono, sed tempora Bacchi,*
*Parentes scænas aggrediare tibi.*

DE POMPEIO MAGNO.

*Prodere iussus erat taciti secreta senatus,*
*Pompeius, proprium sponte cremat digitum*
*Coram Rege, inquam intrepidus, patiensq; silensq;,*
*Gentius inuicti signa uidens animi*
*Captiuum absoluit, pacem, fœdusq; poposcit,*
*Tu in patriam liber missus ab hoste redis.*
*Ne lætare tamen, fors insidiosa pepercit*
*Magne tibi, patriæ uictima ut ense cadas.*

E GRAECO.

*Terra tegit tumulum Macedonica, at exuris omnem*
*Fulminei terram tactus ab igne Iouis.*

Iuppiter Euripedes tria fulmina ab æthere torquens
Mortalem emundat corporis historiam.

E GRAECO.

Mortida apud Bacchi me torcularia sacra
Potantem puros quam ualidam calices.
Non tegit extinctam tellus breuis, immo tegunt me
Lætitiæ in signum dolia pro tumulo.

DE ROMVLO.

Martia progenies, quæ montibus excitat urbem,
Ciuibus & ditat connubia atque rapit.
Tutaturq; armis, patribus dat iura uocatis,
Iam repetit cœlum post data templa Ioui.
De nihilo imperium ut strueres, te hac Romule causa
Gignit, alit, seruat, Mars, lupa, Tybris aqua.

E GRAECO.

Bis senis signum distinctum partibus æquis
Ore ter elingui sole latente loquens.
Stricta ubi in angustum unda est liquidissima, & aer
Emittit multum pneumatis è calamo.
Struxit Atheneus populo charin, ardeat ut sol
Inuitis etiam nubibus, & pateat.

DE ALEXANDRO MAGNO.

Detrahis è templo Diuum sacraria, & omni
Ingenio intextum cuspide soluis onus.
Gordius hæc potuit magno dixisse minacem
In iuga iam gladium dissoluenda uides.
Contemnisq; Deos uiolente, & fata recludis,
Fata, & Di ultores te uiolenta manent.

E GRAECO.

Pignus Alexandrum magni intueare Philippi
Quem quãdo peperit iam mater Olympias, ipsum
Magnanimũ et fortẽ à partu bella horrida Mauors
Edocuit, regere imperium & Rhannusia iussit.

DE TVLLIO HOSTILIO.

Corruit Alba, Ducis distracti sanguine uepres
Et stillant, causa est commaculata fides.
Roma tamen patres, et auos gremio excipit, una
Vrbibus ex geminis facta perennis erit.
Quam bene Tulli ipsis te in pace, & marte gubernas,
Iustitiam iungens cum pietate pari.

E GRAECO.

Quæ diceret Achilles uidens Vlyssem apud inferos.

Inter mortales scelerum est inuentor Vlysses,
Vnus enim, quæ non fuerat fas cernere, nouit
Infernas tenebras, tormenta, & acerba silentum,
Ecquid enim sacrum lumen iam linquere adegit
Nolentem, aut quænam, nisi fraudum dira cupido,
Insatiata mari, & terra tum sub styge, Vlyssem?

DE BRENNO.

Brenne resurgentis patriæ pater inclyte nostræ,
A quo magnificum Brixia nomen habet.
Oppida multa tibi debent reparata iacentis
Ausoniæ, atque urbes plurimæ, & egregiæ.
Quarum ego legatus salue tibi dico, ualeq;
Aeternum salue, perpetuumq; uale.

*Tolle parum caput e tumulo placidissime, & audi*
*Conditor Italiæ, terror & Italiæ.*
*Ferro alpes, Romam flammis, ferroq; domasti*
*Hellada, Gallorum gloria, honorq; Ducum.*
*Quantus eras, tunc monstrasti, domuisse cadentes*
*Quum uix te montes, & potuere Dei.*

E GRAECO.

*Ossa tenes Sapho, & nomen sub marmore mutum,*
*Sed sophiæ, & plectri fama perennis erit.*

DE GENTIO CIPPO.

*Cornua nata inerant Cippe, mirabile dictu,*
*Plus etiam uisu, cornua habere hominem.*
*Signa tamen regni fuerant, si uellet in urbem*
*Gentius, & patriam tunc remeare suam.*
*Maximus hic septem Regum, & dignissimus astris*
*Oblatum imperium mutat in exilium.*

E GRAECO.

*Me cape, si sapis, at si tu inscius ipse sororum es*
*Pieridum penitus proyce, quæ lateant.*
*Non pateo cunctis, pauci admirantur Athenis*
*Ortum, oleri & genitum semine Thucididem.*

DE IVGVRTA.

*Roma cathenatum excipiens effusa Iugurtam,*
*Illa ego uenalis, tuq; ait, emptor eris.*
*Sed quum non posset pretium dare, carcere clausus*
*Cogitur ille animam tradere pro pretio.*

E GRAECO.

*Si pia progenies ducit post fine peracto.*

Vitam'q; habitans animo cunctorum labra uirorum
Hic alibi & uiuis, nam te immortalis Olympus
Inter cœlestes retinet post ultima fata.

DE SCIPIONE AFRICANO SVPERIORE.

Ne patriam absumat charam ciuilis Enyo,
Excessit dulci Scipio ab urbe sua.
Vrbe sed abscedens secum deduxerat urbem
Nanq; ubi tantus erat Scipio, Roma fuit.

E GRAECO

Corpus, & ossa, tenent animam, mentem'q; Platonis,
In gremio tellus, hospicio'q; Dei.

DE PROGNE.

Dic Progne? quid paruus Ithys commiserat in te,
Si sceleratus erat uir tuus, ipsa magis.
In natum, hæredem, spem solam, in uiscera ferrum
Condere dum pateris, non potes esse parens.
Deniq; si es mater, pereant hæc semina matrum
Quæ miseros natos, ut perimant, pariunt.

E GRAECO.

Conueniunt Regi regalia balnea thermæ,
Et compellantur nomine ueridico.
Non aqua ab artifici, uiolento'q; igne calescit,
Manat, & insurgit feruida sponte sua.
Nec gelidum exoptant miranda lauacra liquorem,
Vis gelidum, est gelidus, uis calidum, est calidus.

DE L. SYLLA.

Ille triumphator Regum, rerum'q; Monarcha,

*Hostium & euersor sorte fauente fui.*
*Qui patriam oppressi, uiduaui & ciuibus, heu me*
*Vndiq; fœtentem putrida fata uorant.*
*Et me felicem dixere, recede uiator.*
*Fœtet adhuc Syllæ nomen, & umbra, & humus.*

E GRAECO.

*Aspice Iustini, cuius iacet ense tyrannus,*
*Quam rarum munus, coniugis & sophiæ.*
*Symbolon borgrum, tum libertatis alienum,*
*A prima ad bis sex quo numerare potes.*
*Tanti operis dextra inuicta Roma ipse repertor*
*Iulianus, raptam dum moderatur, erat.*

DE HIPSICRATEA VXORE MITHRIDATIS.

*Otia, gemmæ, aurum, uestes nitidæq; puellis*
*Si placeant, notum est, compositæq; comæ,*
*Tu tamen incisisq; comis, habituq; uirili*
*Vsa, tuo ut placeas Hipsicratea uiro.*
*Bellorum comes, atque fugæ, assiduiq; laboris,*
*Quanuis ipsa fores altera uera Venus.*
*Delitiæ fuit ille tibi, tu denique & illi,*
*O nec morte fides deperitura, & amor.*

E GRAECO.

*Cornigeri existo famulus quam gratus Iacchi,*
*Lucentum libo flumina Naiadum.*
*Hunc puerum edomui somno sub murmuae aquarũ.*

DE CORNELIO MERVLA

*Se Merula exposci flamen cernendo dialis.*

*Ad mortem uenas desecat ense suas.*
*Dedecus alme pater ne sit tibi sanguine fuso*
*Extinxit flammas & tuus iste tuas.*

E GRAECO.

*Non est Euripidi hic tumulus, tumuli at magis ille est,*
*Induit illius nam decus hunc tumulum.*

DE BATTO.

*Vir fueram mendax, nunc sum uerissimus index,*
*Postquam ex mortali trasnferor in lapidem.*
*Fraude fidem rupi, quum sese ulciscitur Hermes,*
*Et qui Battus eram proditionis amans.*
*Do duplices pœnas saxum lucriq; doliq;,*
*Et quia sic petij, tum quia sic merui.*

E GRAECO.

*Terra prieneum tegit hic præclara Biantem,*
*Qui fuit Ionij gloria magna soli.*

DE C. MARIO.

*Orabat Marium uitreas exercitus undas*
*Ecce ibi, quas petitis, Duxq; docebat aquas.*
*Teutones ut uallem, sic exoptata tenebant*
*Flumina, quum sitiens suscitat ira animos.*
*Certatur, milesq; sitim tunc sanguine pellit*
*Teutonico, optatis & marianus aquis.*

E GRAECO.

*Excipe me solam tum pignora portitor orci*
*Verbosam, pondus sat tibi Tantalidis.*
*Vulua tuam nostra explebit cymbam, aspice natos,*
*Et natas, Phœbi, Deliæ & exuuias.*

RESPONDET. INTERPRES.

*Cymba mea haec rimosa uetus tantum uehit umbras*
*Vsque leues, grauis at, tu & lachrymosa silex.*
*Naufragio ne iterum pereas in morte, tuisq;*
*Pignoribus fias causa secunda necis.*
*Expecta lachrymae, & tempus te soluet in umbram,*
*Portitor haec, contra Traijciam ait Niobe.*
*Amnis erit luctus, natorum spicula lynter;*
*Amne meo ad Manes, lyntreq; deueniam,*

DE CATONE VTIC.

*Ense tuo atque manu occumbis quia nulla Catonem*
*Tollere digna fuit dextera magne Cato.*

E GRAECO.

*Te Pyladē enectum gemit omnis Graecia, radens*
*Ponit inornatas à cute & usque comas.*
*Ipse suum uatem, quam fas est; Phoebus honorans*
*Lauro omni incisa deposuit folia.*
*Plorarunt etiam Musae, frenauit & omnem*
*Flebilis Asopus, sensit ut aure sonum.*
*Demisere suas Bacchi atria festa choreas,*
*Ferreum ut intrasti sub styge mortis iter.*

DE DVOBVS FRATRIB. SICVLIS

*Amphynomo, & Anapo.*

*Iam gemini fratres humeris ex ignibus aednae,*
*Hic matrem, uetulos, extulit iste patrem.*
*Cernite mortales, cessere parentibus ignes,*
*Et flammae, agnoscunt nam pietatis opus.*

E GRAECO.

IN IMAGINEM PHILOCTETIS.

Ob Danaos plastes hostis meus, alter Vlysses,
Heu, memorem morbi me facit esse mei.
Non sat erant lennos, sanies, dolor, ulcus iniquum,
Aes etiam emollit, ut gemat, & doleat.

DE CICERONE.

Hæc sacrata manus Ciceronis, & ora uerenda hæc,
Vnde salus patriæ fluxit, & eloquium.
Indicat ora manus, respectant ora, manumq;,
Illa quod exscripsit, illa quod inueherint.
Quid furis Antoni? nec enim maledicta tacebunt,
Lingua recisa tonat, dextera scribit adhuc.

E GRAECO.

Quærentes templum ruiturum tempore nullo
Inueniunt animam gratiæ Aristophanis.

DE DEMOCRITO.

Tu qui miraris quod lumnia morte resignat
Democritus, multo fortius ut uideat.
Naturæ penetrat, cœliq; arcana patentis,
Nec quicquam est, quod non clarius inspiciat.
Desine mirari ridentem, lumine & orbum,
Ridet ob errores, quos uidet, iste tuos.

E GRAECO.

Ecquis erit sapiens unquam? qui quale peregit
Democritus noscens omnia, opus peragat.
Qui per tres soles calidi atque recentis anhelans
Reppulit instantem panis odore necem.

## DE TINEO CENTVRIONE.

*Plus nimia reditum tardat iam Tineus, & Dux*
*Res desperatas Cassius esse putans.*
*Qua cecidit Cæsar, dextra lateri impulit ensem*
*Eduxitq; animam pectore magnanimam.*
*Tineus accedens factum ut cognouit iniquum,*
*Castigat lachrymis, & pius ense moram.*
*Ambo dolendi inquam, pariter quoque uictima uterq;*
*Nam Dux erroris, miles amoris erat.*

## E GRAECO.

*Turba poetarum ueterum discessit ab orbe,*
*Mortua uere inquam, quum Theodorus obit.*
*Nam uiuente illo uixit, pereunte perempta est,*
*Vno omnes latitant in tumulo tumuli.*

## DE HOMERO.

*Quid tumulum tentas diuino condere Homero?*
*Quot spatij cœlum continet urna sua est.*

## E GRAECO.

*Patriam Homero uni septem contenditis urbes,* (næ,
*Cume, Smyrna, Chios, Colophō, Rhodos, Argos, Athe*

## DE PORTIA M. BRVTI VXORE.

*Portia si fueras genitore, & digna marito*
*Mors animosa, ardens, ingeniosa, docet.*
*Quæ quum sensisses fortissima funera Bruti,*
*Certa mori uacuo clausa furis thalamo:*
*Ignauamq; sequi manes tunc coniugis hausto,*
*Igne animam impellis, quum nequeas gladio.*

E GRAECO.

*Naufrage plaude mihi ueniens ad tartara, uentos*
*Argue, non fluctus undisonè ipse magis.*
*Me demuere illi, maris at tractabilis unda*
*In terram patrum detulit ad tumulos.*

DE CLITEMNESRA.

*Non satis est tanto quod sim uiduata marito,*
*Nunc etiam eripitur filia amata mihi.*
*O mea nata Deis sœuis mactanda, hymenei*
*Hic ne tui, atque mei, proh dolor, hi generi?*
*O domus infelix, crimen discrimine tanto,*
*Mercaris uentos sanguine, bella nece.*

E GRAECO.

*Iphigenia furit, rursum ipsam aspectus Orestis*
*Commouet ut fratris est memor illa sui.*
*Iucundumq; uidens germanum irascitur, una*
*Inque illa apparent, & furor, & pietas.*

DE IVLIA CAESARIS.

*Iulia patre ut eras fœlix & fausta marito,*
*Sic fuit infelix funere uterque tuo.*
*Vnus enim cædem ob patriam sibi comparat, alter*
*Pro patria pugnans uictus, & actus obit.*
*O fatum crudele tuum, quo immergitur orbis,*
*Patria, uir, genitor, sanguine, & igne, & aquis.*

E GRAECO.

*Nondum forte aptam feriendi cymbala Baccham*
*Dextra uerecundam fecerat artificis.*
*Demissis oculis manet, ac si diceret, exi,*

Pulsabo

Pulſabo audaci tinnula, & æra manu.

DE PINDARO.

Aetheris unde tibi tantum, curruſq; uolantes
Vnde trahis mirum, magnanimumq; melos?
Nam uehis ad Superos dum præmia Olympica cantu,
Teq;, lyramq; iterum Pindare in aſtra refers.

E GRAECO.

Auratam meruit ſtatuam Longinus ab urbe,
Aurum ſpreuiſſet ui ueneranda Themis.

DE VERGILIO.

Maxime paſtorum curaſti armenta, gregeſq;
Taliter, ut uaccæ tot numerantur oues.
Tam quoque felici findebas uomere terram,
Meſſibus ut maneant orea plena tuis.
Et toties uictor rediјſti à marte triumphans,
Vt uirides laurus Mantua monſtret adhuc.
Hinc tibi naſcenti plauſerunt carmine olores,
Dulciter & Siren flet tua fata Maro.

E GRAECO.

Quem tu Roma potens, & tu celeberrime Tybri
Tybri pater ueſtrum merito dixiſtis Homerum,
Vergilius complet Cycneo ſydera cantu.

DE ZEVSI ET HELENA.

Vnus Homerus erat, regnat quoque Iuppiter unus,
Ille Helenen pulchram finxit, & hic genuit.
Quam dum tu pingis, ſuperas utrunq;, quid ultra
Zeuſi capis? uictis Mœonida, atque Ioue.

E GRAECO.

*Optimus in tabula semet confinxit Apelles.*

DE SCIPIONE ET CATONE MAIORIBVS.

*Romanum imperium bellis Carthago premebat,*
*Et ciues scelerum iam iugulabat amor.*
*Plena laborabat discriminis intus, & extra*
*Vrbs æterna, oritur Scipio, & ipse Cato.*
*Hic iuuenis, longæuus & hic, domuere rebelles,*
*Scipio Sidonios, Romulidasq́; Cato.*
*Multum Roma uiris debes seruata duobus,*
*Edomitis, pulsis, hostibus, & uitijs.*

E GRAECO.

*Pastor eras, Musæ quum te sub sole uiderent*
*Stratum pascentes Hesiode inter oues.*
*Et tunc de dura carpentes uirgine ramum*
*Porrexere tibi, munera sacra Deæ.*
*Atque Heliconis aquam potum de fonte dederunt,*
*Vngula quam fudit Bellorophontis equi.*
*Postquam pulsa sitis, Diuosq́;, hominesq́; canebas,*
*Scilicet unde hominum, tum genus unde Deum.*

DE AIACE TELAMONIO.

*Magnus hic est Aiax, quem uos plorastis Achiui,*
*Talem hostes etiam congemuere necem,*
*Hæc sepeli tecum lachrymans dicebat Vlysses*
*Arma Aiax, cædis causa fuere tuæ.*
*Indignam ob mortem, tantos ac undique luctus*
*Terra & adhuc flores signa doloris alit.*

DE CLAVDIO NERONE.

*Asdrubal Annibali auxilio descenderat alpes,*
*Obruat ut belli mole noua Aeneadas.*
*Claudius Annibalem oppositum Nero lusit, & astu,*
*Et cursu tacitus perdidit Asdrubalem.*
*Diuisos fratres, & in uno uicit utrunque,*
*Forti acie Asdrubalem, fraudibus Annibalem.*

E GRAECO.

*Qui laudare uelit uirtutem, extollat Homerum,*
*Cum uirtute Dea est, Diuus Homerus idem.*

DE MEDVSA.

*Si lapide insculpto miraris Gorgona, & horres,*
*Nil mirum, multo sibilat angue caput.*
*Et nisi tam paruo claudatur in orbe Medusa,*
*Clamares, semet uidit, & obriguit.*

E GRAECO.

IN EPICVRVM ET THEMISTOCLEM.

*Prole Neoclidæ gemina lætantur Athenæ,*
*Hæc patriam uitijs liberat, illa iugo.*

IN ECHO E GR.

*Dilecti Heroes Danai, Martisq; ministri,*
*Fallor ego? an uerum refero mens excitat, agri*
*Extremo arboreas ubi cernis, surgere plantas.*
*Hic Dea pulchra comis habitat, grauis atque sonora.*
*Vel Dea, uel mulier, nanque hoc dixere uocantes.*
*Nam si clamantem, aut respondentem audiat ullum,*
*Leniter hoc rursus scitans eadem illa reponit,*
*Verum hæc cur repetat, cur singula discutit, inquã*

*Cernere non possum hanc, cōtra nec noscere possum,*
*Qualia uerba loquor, tu talia sæpius audis.*

ALLVSIO.

ARIADNA ELVDITVR AB ECHO.

*Me miseram, quo me, quo uertam? perfidus antra*
*Num tenet hæc Thæseus? heus, ades huc, ades huc.*
*Aduenio, uenio, expecta, sta, me ne relinquis?*
*Quis? data sæpe fides hinc ne uolabit? abit.*
*Numina & ipsa? ipsa, hic qua spe me deseris? æris,*
*Hoc ne tuum? ne tuum, est istud amare, mare.*
*Ah miserere mei clamantis, amantis, & orbæ*
*Si tibi dulce meum, si tibi dulce meum.*
*Ne me illude magis, magis, hucq; reuertere Theseu,*
*Heu me angunt curæ, curre, uola, reuola,*
*Qui fastus? astus, quod sum deserta ab amante*
*Ante, fui cordi perfide, fide, tuo.*
*Tunc quum te absolui, solui, fatoq; redemi,*
*Emi, hoc mercedis, cedis, & ipse dabis?*
*Plus ne me excrucia, crucia. ah remorare, morare,*
*Te rogo amate, à te, ne fugias, fugias.*
*Iam placui, cui? quum te iam inclamaret, amaret,*
*Casibus in tantis effera mors, fera mors.*
*Frigora mordent me, dent meq;, timorq;, timorq;,*
*O quantum duræ sunt in amore, moræ.*
*Sæpe torum repeto, peto, nos qui acceperat, errat.*
*Theseum, eum, quærens, qui malus errat, erat,*
*Thesea uoce uoco, quo? Thesea, Thesea, clamans*

*Respondent, spondent, concaua saxa mihi.*
*Illa Ariadna relicta, icta est, quæ tam furit, urit,*
*Promissis, missis, prodita clamat, amat.*
*Illa ero præda feris, eris inq; sepulta, sepulta,*
*Ossa merunt, merunt, non merui, merui.*
*Me miseram, seram, pauitant mea pectora, & ora, &*
*Vita, ita quid faciam, iam moriar, moriar.*
*Te peperit Scylla, illa, æquor genuitq; seuerum,*
*Verum, pauerunt teq; leæq;, leæ.*
*O Diui, Diui mi ignoscite, noscite & o tu,*
*O tu, quale tibi cor tibi quale, uale,*
*Antra intro, fallax uox me mea lusit, & ille*
*Perfidus, ut uidi, tunc cecidi, & perij.*

DE NIOBE E GR.

*Me uiuam in lapidem mutarunt Numina iam, me*
*E lapide in uiuam Praxiteles iterum.*

ALLVSIO.

*Sum Niobe, quæ uiua fui, tum flebile saxum,*
*Praxitelis rursus saxea facta manu.*
*Viuo equidem, sine corde tamen, non error ab arte est,*
*Quum Superos spreui, nam sine corde fui.*

DE ATREO.

*Secta nepotum Atreus, & adhuc uiuentia membra*
*Dum parat, heu, patri conquoquere igne, & aquis.*
*Triste ministerium fugiunt elementa, pauentq;,*
*Vnda gemit natos, stridula flamma patrem,*
*Nil mirum si Phœbus equos auerterit, unde*
*Illachrymant ignes, unde queruntur aquæ.*

E' GRAECO.

*Disponunt quicunq; chronon, Martemq; per horas,*
*Vno omnes dignos tympano inesse reor.*
*O utinam intuear re uera hos scrire, breuiq;,*
*Quid facit & taurus, quid ualet atque leo.*

E' GRAECO.

*De uiua in saxum, in uiuam & de marmore finxit,*
*Me Superum impietas, Praxitelesq; pius.*

ALLVSIO.

*Ne foret una satis mihi mors, ne luctus & unus*
*Repperit artificis fata secunda manus.*
*Viuere me iratis fecit de marmore Diuis,*
*Rursus ego ut moriar, rursus ego ut lachrymem.*

E' GRAECO.

*Postquam Dorotheus stipendia detrahit, unde*
*Vitæ infelicis firma alimenta habui.*
*Callimachum uendo, quis uult?et Pindarum, & omnes*
*Grammaticæ casus, unde miser cecidi.*

DE LVCRETIA ET PATRE ET MARITO.

*Arripe, & ereptam constanti ulciscere dextra,*
*Tu libertatem, tuq; pudicitiam.*
*Ferro armata patri, atque uiro Lucretia dixit,*
*Per sanctam iurans spondet uterque necem.*
*Pelluntur Reges, & adulter concidit, at tu*
*Pignora, tu uitam perdis in hoste tuam.*

E' GRAECO.

*Orphea ducentem syluas, & flumina uincls*

*Victorem & satyri, dum canis ò Graphyra,*
*Nomine & arte idem, si sic cecinisset ad undas,*
*Non proiecisset nata Iouis calamos.*
*Si tua sentiret mulcentia carmina somnus,*
*Dormiret dulci Pasitheæ in gremio.*

E GRAECO.

DE NIOBE.

*Saxea sum Niobe, & uiuo, si non loquor, una*
*Causa est, ne iugulet me mea lingua iterum.*
*Vna olim Niobe, geminæ at nunc, utraque mirum,*
*Vtraque uiua quidem post mea fata fui.*
*Ante gemens marmor, timidum post, illud, & illud*
*Pœna, quod obrigui, pœnaq; quod timui.*

E GRAECO.

*Litteram ut è cœlo eduxit, sacrauit honores*
*Hac ratione boum sanguine Pythagoras.*
*Præterit utque canem percussum uerbere iniquo,*
*Hæc percussori tunc miseratus ait.*
*Verbera dimittas, quoniam patientis amici*
*Est anima, ut sensi, uox mihi nota uiri est.*

E GR. DE NIOBE.

*Me è uiua in marmor mutarunt Numina, rursus*
*In uiuam immutat marmore Praxiteles.*

ALLVSIO.

*Vixi, quam cernis, Niobe demortua marmor,*
*Facta iterum ex ipso marmore uiua fui.*
*Sed cæca, artificis sed non est culpa, nec error,*
*Numina quum læsi, non oculos habui.*

E GRAECO.

*Regis enim mores subiecti imitantur, & aequant,*
*Qualis erit Princeps, talis erit populus.*

E GRAECO.

*Iam lapidem è Niobe Di formauere, reformat*
*Et lapidem in Nioben denuò Praxiteles.*

ALLVSIO.

*Viuebam, in saxum immutor lachrymabile, rursus*
*Praxitelis cœlo saxea sum Niobe;*
*Et uiuo sed cœca amens quum Numina læsi,*
*Tunc oculis carui, tunc sine mente fui.*

E GRAECO.

*Tercenti è patria Lacedemone bella gerentes,*
*Cum totidem Argiuis fortiter ad Tyream,*
*Nanq; ubi firmamus primum uestigia, nunquam*
*Collum inuertentes liquimus ipsam animam.*
*Otriade inscriptus clypeus forti nece dicit,*
*Iuppiter est Tyrea iam Lacedemonia.*
*Si cædem è nostris quis fugerit, istud Adrastæ est*
*Non mors, sed fugere, est mors Lacedemonijs.*

E GRAECO.

*Diui, & Praxiteles contendunt fingere, uiua*
*De Niobe lapidem, de lapide & Niobem.*

DE NIOBE.

*Ipsa ego peccaui, non pignora Tantalis inquit,*
*Figite me, nati nil meruere mei.*
*Quolibet in nato moriatur ut ipsa perempto,*
*Viuit, & ad luctum mortua non moritur.*

E' GRAECO.

Cuſpidem Alexandri (nam ſic inſcriptio monſtrat)
Sacratam è bello ſymbolon Artemidi,
Inuictæ & ſcutum læuæ, ac haſtile cruentum,
Cui conceſſerunt terra, fretumq́; locum.
Haſta eſto felix, qui te mirabitur uſque
Horrebit, tanti roboris ille memor.

E GRAECO.

Me uoluere Dei uiuam lapideſcere, rurſum
Praxiteles uoluit uiuere me lapidem.

DE NIOBE.

Illa fui Niobe, quæ luxi & mortua, nanq;
Natorum ob cedem ſum lachrymoſa ſilex.
Debeo Praxiteli, per quem luctumq́; necemq;
Depoſui, ſed non triſtitiam, & ſilicem.

E' GRAECO.

Hippocrates hominum medicus, Soſander equorum
Occultus medicæ cognitor artis erat.
Aut artem, aut nomen debes mutare, uocandus
Non ex arte, iſthic qua ualet alter, erit.

DE TANTALO ET NIOBE.

Quiſnam eſt, qui hoc ſaxū ruiturū in tempora iam iā
Horret? & hæc quæ nam ſaxea imago gemens?
Proditor iſte Deum, contemptrix iſta Dearum,
Tantalus eſt Phrygius, Tantalis eſt Niobe,
Peccarunt ambo lingua, plectuntur & ambo,
Ad lapidem genitor, filia & in lapide.

E GRAECO

*Orphea Thraicij radicem ad montis Olympi*
*Vrna tenet natum Calliopea tuum.*
*Robora qui flexit, qui saxa carentia sensu*
*Traxerat, indomitas saltibus atque feras.*
*Tyrsigeri primus qui repperit Orgia Bacchi,*
*Carmen & heroum struxerit, & cecinit.*
*Quiq; grauem mentem indomiti mulsitq; furorem*
*Plutonis, flecti, & nescia fata chely.*

E GRAECO.

*Non hominem in saxo coniecta, est urna pusilla,*
*Attamen ingentis continet ossa uiri.*
*Spartanæ auriga iste lyræ nanque optimus Alcman*
*Qui è numero Aonidum carmine nonus erat.*
*Vatum sunt patriæ multæ, hinc certamen honestũ est,*
*An fuerit Lydus, an Lacedemonius.*

DE CORNELIA GRACCORVM.

*Post infelices sapiens Cornelia casus*
*Natorum, fato qui periere truci.*
*Dum solantur eam populi, urbes, regna, senatus,*
*Staret & immotis, uultu, animo, atque oculis*
*In uerba irrupit, sacrata oracula dicens,*
*Non me ideo infaustam dicite, quòd peperi.*
*Quodq; alui Gracchos, rapuit quos inuida Clotho,*
*Triste, sed humanum est, assiduumq; mori.*

E GRAECO.

*Qua pater è quercu potuit te excindere Ariston?*
*Qua mole ingenti marmora dura secans?*

Non nisi de rigidis, saxo, uel robore natus,
Nam Nioben saltas tam bene quàm Niobe.
Cum Latona inquam te decertasse putarim,
Ecquis sponte sua saxeus esse uelit?

DE CICERONE.

Tu ne preces Cicero ob uitam dignissime fundes?
Et flectes hostem num genua ante tuum.
Ignauum te ne inspiciet, timidumq; parentem,
Et seruatorem Martia Roma suum?
Iam periere tui, & perierunt fortiter omnes,
Turpiter ut uiuas, suppliciter ne cades?
Quin potius fortem constans imitare Catonem,
Ne roget, & uitam debeat, occubuit.
Vixisti nimium, si ad tempora prospicis, at si
Ad laudem, & nomen, non potes ipse mori.

E GRAECO.

Ex igne Iliaco, medioq; ex hoste parentem
Sanctum onus Aeneas tam pius eripiens
Clamabat, Danai ne tangite, lucra senex est
Vobis parua, meis maxima præda humeris.

DE PHEDRA.

Per deserta sequi te, & summa pericula, postquam
Brachia nec licuit implicuisse tuis.
Te sequor ad stygios melior nunc Phedra recessus,
Iungam animamq; animæ, dixit & occubuit.

E GRAECO.

Ipse suem paruum amisi, uaccamq;, capramq;,
Vnde recepisti præmia iam Menacle.

*Non contra Otriadem quicquam commune peractum*
*Est mihi, nec fures Thermopylis retraho.*
*At contra Eutichidem causa, & certamen habetur,*
*Quid mihi cum Xerxe est, & Lacedemonijs?*
*Esto memor litis nostræ, uel uoce tonanti*
*Dicam, aliud Menecles, sus aliud loquitur.*

DE M. BRVTO.

*Aduentare uidet uictorem miles, & hostem,*
*Et Domino metuens effuge Brute, refert.*
*Effugiam manibus dixit, nudauit & ensem,*
*Romanum & uere perforat ille latus.*
*Spiritum & ingentem eduxit, cui contigit uni,*
*Parcere nec patri, nec sibi pro patria.*

E GRAECO.

*Marcus ut inscribat titulum sibi carmine uates*
*Struxerat hanc urnam, quæ nihil intus habet..*
*Vanus ut ad luctum, hoc, uenientes prouocet, egit,*
*Ne geme, sed ridens inde uiator abi.*

DE PLATONE.

*Candenti sacrum Dionysius axe Platonem*
*Vexit in effusas; magnificasq; domos.*
*Quem prius Aonides Permessi fluminis unda*
*Potarunt nitida, fatidicæq; Deæ.*
*Proinde sacerdotem Phœbi, merito atqua sororum*
*Ornastis Reges, uosq; aluistis apes.*

DE DVELIO ET VXORE.

*Qui prius æquoreos Capitolia ad alta triumphos*
*Vexit, & hostili sanguine pinxit aquas.*

Fœtentem & tetram sese spirare chimeram
Pro probro insigni sensit ab hoste prius.
Incusata uxor quod non prædixerit, inquit,
Sic subolere omnes credideram ipsa uiros.
Bilia laudanda es, uitium quòd casta mariti
Vel quòd nescieris, uel patienter habes.

E GRAECO.

Heracletus ego, quid me turbatis amusi?
Præstantes, non uos nam decet istud opus.
Vnus homo ter mille mihi, proq; omnibus unus,
Vsque etiam ad Manes hæc loquor ipse Deos.

E' GRAECO.

Ah miser Anticles, & ego miseranda creatrix,
Quæ nato, & solo sum uiduata senex.
Ter sex annorum occumbis charissime fili,
Luctibus, heu, senium conquerar ipsa meum?
Vadis ad æternas tenebras, Aurora coruscans,
Nec mihi erunt grati plus Phaetontis equi.
Ah miser Anticles, ter ego miserabilis ipsa
In gemitu, & senio sola relicta graui.

DE MILCIADE ET CIMONE.

Milciades inter tenebras, & uincla iacebat
Carceris emoriens, heu miserande senex.
Vincla subit Cimon motus pietate parentis,
Vt pater extorta contumuletur humo.
Deinde triumphator licet esset, & aureus, illis
Plus tamen in uinclis conspiciendus erat.

E GRAECO.

*Esto à me cubitis octo procul æquor iniquum,*
*Exagita & fluctus, ut potes, usque fremens,*
*Inuenies nam, si Eumarci destruxeris urnam,*
*Immundum cinerem præter, & ossa, nihil.*

DE POMPEIO MAGNO ET CORNELIA.

*Mactari in pelago ut uidit Cornelia Magnum.*
*Truncum inhumatum etiam sensit ut esse, refert,*
*Plena latrocinijs purgauerat æquora, & omnem*
*Qui spolijs Regum condecorauit humum.*
*Ingratum pelagus, terra ingratissima, turpem*
*Tu tribuis cædem, tu monumenta negas.*

E GR. DE POMPEIO.

*Quã male tectus humo, decorant quẽ templa, grauãtq;*

DE SCIPIONE SVPERIORE.

*Si patriæ ingratæ cineres, mea & ossa negaui,*
*Si mihi pro merito non monumenta dedit.*
*Gloria non ideo mihi defuit, atque sepulchrum,*
*Nam Carthago urna est, Annibal elogium*

AD CATHERINAM VALESIAM

*Mediceam Galliæ Reginam.*

*Optabas fieri Mater sed Regia Mater,*
*Spem Regni ut pareres iam Catherina marem.*
*Sed spe concepta cum frustrareris inani*
*Sæpe dabas questus, sæpius & lachrymas.*
*Assensere Dei iustis tot questibus, orta est*
*Ex te, quam cupias Regia progenies.*

Ob tantum ò genetrix cui tu gratabere munus?
Non tibi, ſed Superis, immo tibi, & Superis.

AD EANDEM.

Plaude utero Catherina tuo, Diuumq; fauori,
Quod toto optaſti pectore pignus habes.
Nanq; paris Natum ſterils iam credita, quo non
Alter in orbe omni pulchrior exoritur.
Quamq; fuiſti olim uarijs agitata procellis,
Tam nunc es felix in ſtatione parens.
Si uir, Rex, Regnum, Latium mœrebat, & in te
Nunc Vir, Rex, Regnum, gaudeat, & Latium.

IN PARTV EIVSDEM.

Gallia, & Italia affectæ, ſteriles'q; gemebant,
Nunc ſimul exultent Gallia, & Italia,
Galliæ enim ſatus eſt exoptatiſſimus infans,
Romanæq; urbi gratus, & Italiæ.
Galliam ut exaudit cœlum, ſic aurea iam iam
Lilia clamantem ſentiat Italiam.

PRO HENRICO VALESIO DELPHINO.

Agricola exculto ſpargebat ſemina in aruo,
Arte omni, & pinguem ſollicitabat humum.
Nulla tamen ſperata ſeges tunc pullulat, & ſi
Imbribus optatis terra ſubacta madet.
In Superos uertit ſtudium, ſpem, uota, colonus,
Felici euentu non caruere preces.
Rura ferunt fructum manſurum in ſecula, quod uos
Sic fœcundaſtis ſemina, & arua Dei.

## AD CATHERINAM HENRICI VXOREM.

Si sterilis uisa est, nil mirum, Medica proles.
Duratura diu nam genuisse graue est.
Quod plus tardasti fœtum, lætaberis & plus,
Spem Regni, & flores, lætitiam'q; paris.

## PRO EADEM.

Arida ne fierent sua Lilia, Regna timebant,
Gallica, & Ausoniæ spes renouata meæ.
Nanq; ubi debuerant plantari, & crescere flores,
Terra uidebatur aridula, & sterilis.
Regia tunc coniux, cuius sunt prædia, causæ
Nescia, cum sit humus culta, & arata satis.
Agricolæ summo fudit pia uota, præces'q;
Instantes, hausit uota, preces'q; Deus.
Intumuit tellus, crescunt sata læta, replentur
Messis odoratæ Gallia, & Ausonia.
Gratulor & Regi, & Regnis, & utriq; parenti,
Floris enim, & fructus huc quoq; uenit odor:

## PRO EADEM.

Medica progenies domus unica, & aurea morum
Infœcunda licet Regi, & amata uiro.
Quarta Charis ueluti Catherina, atque una Dearum
Vsque mihi, & lampas Galliæ, & Ausoniæ.
Facta modo est mater, plaudat sibi terra, fretum'q;,
Mater enim est Nati, plaudat & ipse polus.
Nam quoties pariet ditabit Dia Creatrix
Heroum numero, Cæsaribus'q; solum.

PRO

PRO PARTV EIVSDEM

*Europæ, ut Reges exarmet in arma ruentes*
*Iuerat, eloquij qui moderator erat.*
*A Ioue dimissus nostro genio, atque choreis*
*Indulgere Hermes Gallica regna uidens.*
*Ipse etiam Deus indulsit genio, atque choreis,*
*Delphine, & gaudet exoriente nouo.*
*Suspirabatur, ueluti & demissus ab astris*
*Venerat, exclamant, compita, templa, lares.*
*Delphinum Delphnum, inter Delphinas Arion*
*Denuo plectra animat, et maria alta sonant.*
*Quid mirũ Hermetem, & Celtas sic plaudere, Delphin*
*Inter aquas Rex est, inter & astra potens.*

AD HENRICVM DELPHINVM.

*Infœcunda diu tua si dulcissima coniunx*
*Visa, nec est mirum, nec ratione caret.*
*Dij uoluere preces, uotisq; instanter ut ores,*
*Nil prece, nil uotis gratius est Superis.*
*Postquam thuricremo cumulas altaria honore,*
*Henrice uxoris maxime pignus habes.*
*Sperandum est maius. Regem si Regibus addunt,*
*Addent Dij, & regnis regna aliena tuis.*

AD FRANCISCVM REGEM PRO GALLIA.

*Lilia quis credet tangi formidine, quanuis*
*Fulmineas iactet Cæsar ab ore faces.*
*Sic oculos capiunt, & odoribus omnia complent,*
*Vt pro illis certent Cypria, Flora, Pales.*

*Et si uisa diu sterilescere inepta ferendis*
*Fructibus, emisit nobile germen humus.*
*Rex lætare tibi, stringunt iam colla nepotes,*
*Tamq; tibi arrident, quam modo terra, Dei*

## PRO FELICITATE DOMVS VALESIAE.

*Læta puerperii quum nuntia lætior audi,*
*Floribus auratis oscula multa dedi.*
*Quis mage, & hæc dixi excindet uos Lilia ab horto?*
*Nec Boreæ ira, hominum nec uiolenta manus.*
*Dijs accepta domus quoties uult prole beari,*
*Applaudunt uotis Iuno, Venusq; suis.*
*Non tantum partu, sed sit fœcunda uirili,*
*Et cum uult Reges prodigiosa parit.*

## DE HENRICO REGE GALLORVM.

*Ite triumphanti Proceres, & dicite Regi*
*Marte aperi clausas ad monumenta fores*
*Sacra Redemptoris mundi. Te uindice Cæsar*
*Pandatur cunctis semita tuta pijs.*
*Atque Asiæ latas gentes, & regna; ducesq;*
*Coge, humili subdant colla superba Cruci.*
*Tecum erimus, pro te pugnabimus acriter omnes,*
*Donec suspendas parta trophæa Ioui.*
*Vicit Alexander si regna Orientis, & Indos*
*Quis tot Alexandros uicerit, & Dominum.*

# EPIGRAMMATVM FAVSTI SABAEI BRIXIANI CVSTODIS BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

## Liber Tertius de Amicis.

### AD HENRICVM REGEM GALLIAE.

*Spectat amicorum liber ad te maxime Regum,*
*Ex his es primus, quos reuerenter amo.*
*Alter erit genitor, quem non sinit aurea Virtus*
*Inter defunctos esse, silere, pati.*
*Hæc lege: te inuenies quoties uis uincere, uincis*
*Et quoties hostes Marte fugare, fugas.*
*Te maiora manent nam Mars tibi Pallas, Enio,*
*Serta, triumphum, arcus ex oriente parant.*

AD LEONEM X. PONT. MAX.

*Langueo, & esurio, spes in te est tota salutis,*
*Quum mihi sis Pastor, maximus & Medicus.*
*Pascere oportet oues, & ab illis pellere morbos,*
*Et facies Medico, & digna Leone Leo.*

E GRAECO.

*Fœdera amicitiæ mater Natura reclusit,*
*Scilicet absentis organa colloquij*
*Sunt calami, chartæ, atramentum, impressio dextræ,*
*A longe affectæ dulcia signa animæ.*

E GRAECO.

*Ereptum flammis per tela inimica gerendo*
*Patrem humeris, uictos in Latiumq; Deos.*
*Tam pius Aeneas dicebat, parcite Grai,*
*Præda senex parua est, qui fero, magna mihi.*

EPIT. CROCI ET MILACIS.

*Formosi iuuenes, sed iniquo sydere nati,*
*Hic Crocus, hæc Milax, dignus uterq; Ioue.*
*Nam pro Hebe Milax poterat seruire Tonanti,*
*Et Phrygio poterat pro Ganimede Crocus.*
*Qui legitis flores, horum cognoscite & ignes,*
*Tam flagrabat amor, quam modo fragrat odor.*

E GRAECO

*Census Aristidis pecus una, atque una iuuenca*
*Audacem e foribus reppulit esuriem*
*Vna luce lupo perit agna, & bucula partu*
*Pauperiem ob duram sponte bubulcus obit.*
*Nam quo cinctus erat corio sua colla ligauit*

*Et moriens rursus reppulit esuriem.*

E GRAECO.

*Tres quondam inter se ludebant sorte puellæ,*
*Quæ prima ad manes esset itura Deos.*
*Taxillos iaciunt, sors deuenit omnium ad unam,*
*Debita at hæc risit fata, necem'q; suam.*
*Casu insperato tectorum oppressa recessit*
*Infausta ad stygios sorte uocante lacus.*
*Vera mali, sed falsa boni prænuntia sors est,*
*Tum prece, tum uoto uix bona proueniunt.*

EPIT. PHILOMELAE VOLVCRIS.

*Fronde sub umbrosa raptum solabar honorem,*
*Carmine apud murmur prætereuntis aquæ.*
*Mota repercusso sonitu insufflantis auenæ*
*In uiscum ignotas decido in insidias.*
*Dum me Thraicius uirgultis detrahit auceps,*
*Ingemui dicens, præda ne semper ero?*
*Facta auis, ut fugiam per inania, & ardua Thraces,*
*Nec sic Thraicias effugio insidias.*

E GRAECO.

*E liquido uolitans iam uidit ab aere coruus,*
*Quod caput effossa scorpio tollit humo,*
*Irruit, ut capiat, plantam citus ille ruentis*
*Scorpius e terra læsit aculeolo.*
*Vitam & aui rapuit, uideas quæ fata parauit,*
*Quos'q; alij struxit, repperit ille dolos.*

E GRAECO.

*Saltu, ictu, iaculo, lucta, cursu ipse Philonis*

Isthmia, tum uicit Pythia cum Diophon.

AD PATRIAM.

Quid reddam ô Clarium? per te haurio in æthera tolli
Flammiuomos rapidi nam Phaetontis equos.
Meq́; ortum è tenebris Cadmea inuenta docebas,
Automedonq́; uagi tu mihi ueris eras.
His nequeo donis ego maius reddere, nec par,
Lux, uirtus, mores, sunt tria dona Deum.

E GRAECO.

Si lacerare omnem luci decernis ab Alpha
Causidicum, & fratrem dilacerare para.
Si bene succedit, per cuncta elementa recurre,
Sed tibi prædico, quod uocor Origenes.

E GRAECO.

Curantem morbos, paupertatisq; labores
Quid metuis mortem, quæ requiem una parit.
Occupat illa semel mortales, nec redit ultra,
Quis ne reuertentem testificatur eam?
Morborum species uaria, & miserabilis in nos
Intempestiuas itq́; reditq́; uias.

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

Si cui pulchra Venus formam indidit, ille beatus,
Et cui Iuno suas conciliauit opes.
Si cui Mars animos, mentemq́; inspirat Apollo,
Datq́; Hermes linguam, Iuppiter imperium.
Ille es, Iuno, Venus, Phœbus, Mars, Iuppiter, Hermes,
Cui dant fortis opes, corporis, atque animi.

E' GRAECO.

*Affectus animæ corpus tormenta, dolor, mors,*
*Turba potens phlegethon, undique nos cruciant.*
*Verum ubi corporeo nexu nostra eruta mens est,*
*Tunc immortales euolat ad Superos.*

E' GRAECO.

*Pignora parturiens misera ipsa Philenion igni*
*Natorum ut uidi terna sepulchra parens.*
*Ausa fui in partu alterius sperare salutem,*
*Vt quem non peperi, uiuere posse putem.*
*Ipsa nothum ut natum elegi, sors inuida nec me*
*Passa est alterius matris habere charim.*
*Dictus enim noster perijt, parientibus inquam*
*Et reliquis ego sum nunc dolor, & lachrymæ.*

AD QVENDAM.

*Castus eras, uigil, & prudens, & amator honesti,*
*Stillabant labijs flauaq; mella tuis.*
*Nunc inhonestus, amans Veneris, somniq;, iociq;,*
*Verbaq; pestiferum non nisi uirus habent.*
*Exue amorem istum, moresq; relinque nefandos,*
*Nanque est talis amans, qualia quisquis amat.*

E' GRAECO.

*Iam cinis unus erat, quum naufragus alter inesset,*
*Natorum, gemina saucia morte parens.*
*Sors, ait, infelix nostros partita labores,*
*Hunc habet ignis edax, hunc habet unda rapax.*

E' GRAECO.

*Balnea, uina, uenus præbent calcaria morti.*

CONTRARIVM.

*Mortem etiam frenant balnea, uina, Venus.*

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

*Fles Agramontiadem merito Rex inclyte, nam uos*
*Iunxerat unanimes una eademq; fides.*
*Et uos unus amor, nam si quid passus acerbi*
*Tu fueras, idem passus acerba fuit.*
*Nunc quia sæpe tibi Di aduersi, atque astra fuerunt,*
*Placet, ut iratos iuit in astra Deos.*

E GRAECO.

*In schiade occubuit cytharedus, & arte poeta*
*Belligeris Tarpes in Lacedemonijs.*
*Non ferro, non ille arcu, sed saucius ora*
*Ficu una, heu quantum mors tua lata uia est.*

ALLVSIO.

*Qui potuit mulcere feras, & flectere fatum,*
*Non morbo, aut ferro saucius occubuit.*
*Sed ficu genus infelix, tibi cuncta timenda,*
*Si in dulci est ficu mortis amaricies.*

AD CAVSIDICVM.

*Non est culpa tui ingenij, si perdita causa*
*Nostra, diu hoc rebar, non noua plaga fuit.*
*Ille ubi inauratis tecum certauerit hastis,*
*Auro etiam Cicero uana loquente tacet.*

E GRAECO.

*Inter mortales nihil est sceleratius illo,*
*Qui puram, & sanctam fingit amicitiam.*

Plus etenim lædit, quia non uitamus ut hostem,
Immo ut amico illi credimus, hinc capimur.

E' GRAECO.

Vndæ ubi nam tantæ? num sol rapidissimus hausit?
Quo fontanales approperastis aquæ?
Luctibus Agricolæ consumimur, omnia nostra
Aridus exhausit nanq; fluenta cinis.

AD ANGELVM CLARETVM.

Inter amicitiæ dulcissima uincula nostræ
Angele stas princeps nobiliore loco:
Hoc tua uult uirtus, & digni nomine mores,
Et tua inaurato pectine blanda chelys.
Dux mihi primus eras dulces Heliconis ad undas,
Quum me torqueret ambitiosa sitis.
Sub styge si idolum, circum ossa errabit & umbra,
Vsque inerunt memores illud, & illa, tui.

E GRAECO.

Te dominum fratrem subito rescribit amicus
Quid cupiens, fratrem solum, ubi nil dederis.
Ast dominum nolo quid enim pro hoc nomine donem?
Tanti ego nec fratrem hunc æstimo, nec dominum.

ALITER.

Vis scribi frater dominus? da munera amico,
Quum nil das, tantum, nomine frater eris.
Hæc tibi habe, quum sint uenalia nomina, curo
Nec fratrem aut dominum, cum dare nulla uelim.

EPIT. GRAECAE.

Roma quid est tristis? Græca illa recessit ab orbe,

*Et facta est cœli, nunc Dea ut ante soli.*
*Mœrore immo fuga, sertisq; ornato sepulchrum,*
*Tam digna in tumulo, quam fuit in thalamo.*

E GRAECO.

*Scurra assentator, paruo & discrimine coruus*
*Dissidet, ille colax dicitur, iste corax.*
*Græce, huius caussa hoc animal uitato, uirorum,*
*Nanque & uiuentum scis colacam coracum.*

ALITER.

*Labda & ro colacas coracas quoque diuidit, ergo*
*Tectus adulator, coruus idemq; sonant.*
*Hac ratione à me hoc animal depellito, quando*
*Viui hominis colacas esse scias coracas.*

ADMONET QVENDAM AMICVM.

*Pauper abundabat natarum fasce Lysander,*
*Tegmine uix poterat pignora contegere.*
*Serica donaret quum uestimenta tyrannus,*
*Ille syracosias qui male rexit opes.*
*Spreuit inops sed magnanimus data dona tyranni,*
*Dedecorent natas ne pretiosa suas.*

E GRAECO.

*Ille minus lædit, qui se se odisse fatetur,*
*Quam qui sinceram fingit amicitiam.*
*Prouidi enim hunc, qui nos odit, uitamus; at illum*
*Quomodo uitamus? qui bene uelle refert.*
*Hunc inimicum igitur dirum, me iudice, dicas,*
*Qui clam sub ficta lædit amicitia.*

E GRAECO.

*Fictus amor tuus est, nam diligis ipse timore,*
*Aut ui, nil fidei talis habebit amor.*

ALLVSIO.

*Falsus amas, uis, atque timor te cogit amare*
*Dispeream, fidei, aut siquid amoris habes.*
*Non eadem loqueris, quæ sentis corde sub imo.*
*Dextra rosas monstrat, saxa sinistra tegit.*

AD IO. COTTAM.

*Crassantes tenero puerorum in corpore acutis*
*Pelluntur uermes ut medicaminibus.*
*Sic animo implicitum exturbant ieiunia in alto*
*Crimen, & omne scelus pharmaca uera animæ.*
*Sed cum ieiunas tristes tunc exue uultus,*
*Nemo habet, & figit, serta, trophæa, gemens.*

E GRAECO.

*Zelotypi audaces Celtæ sua pignora Rheno*
*Explorant fluuio nec sunt isti ante parentes,*
*Ni prius inspiciant abluta hæc amne uerendo.*
*Mox gremio elapsus matris quum effuderit infans.*
*Prima rudimenta luctus, clypeo excipit illum*
*Extollens pater ipse nouum, nec cura remordet*
*Anxia eum donec conspexerit esse probatum*
*Coniugium, & tedas castas examine aquarum.*
*At mater partus cruciata dolore dolorem*
*Fert, uerum pueri licet hunc sciat esse parentem,*
*Expectat trepida, instabilis quid iudicet unda.*

E GRAECO.

*Ex alio reclusa damus nos pocula fonte,*

*Hauriat ut uates gramma Leonidao.*
*Disticha decretis æquantur, Mome recedas,*
*Inque alium dentes inijce Mome tuos.*

AD QVENDAM MONACHVM.

*Sunt ne tui hi fructus, sperataq; munera amoris?*
*Exhibuisse nihil tum tacuisse nimis.*
*Si nil è sacra potui tibi tradere eremo*
*Excusor sterilis conditione loci.*
*Sed tibi & Alcinoi, uernant & Adonidis horti*
*Et Pomona suos explicat alma sinus.*
*Non desunt illic aurata cydonia, & uuæ,*
*Mespila, castaneæ, tum pira, poma, nuces.*
*Omnia grata inerunt, sed plus si miseris uuas,*
*Vbera sunt uuæ, lac mihi dulce merum.*

IN PHEDONEM PLATONIS
*nothum factum à Panetio.*
E GRAECO.

*Si Plato non me edit, gemini illuxere Platones,*
*Socratici flores colloquij ipse fero.*
*Me nothum at effecit Panetius, interituram*
*Hic animam est passus, meq; nothum facere.*

E GRAECO.

*Arte opus hoc tanta, quòd ni æs effulgeat, omnis*
*Mulciberi Regis diceret esse manu.*
*Longe aliquis Scyllam aspiciens hanc stare, putaret*
*Mutata pelagi conditione solo.*
*Iram adeo ostendit, fremit, æstuat, in mare qualis*
*Latratu, & rabido terruit ore rates.*

## AD LEONEM X. PONT. MAX.

*Præmia pro meritis,& munera maxime Princeps*
*Quum tribuas, casus quid meruere mei?*
*Ipse tuli pro te discrimina,damna,labores,*
*Et uarios casus barbariæ in media.*
*Carcere ut eriperem,& uinclis, & funere libros,*
*Qui te conspicerent,& patriam reduces.*
*Eripui,ante pedes acclamauere iacentes,*
*Viue Leo,cuius uiuimus auspicijs.*
*Ergo mihi quid erit? pro te nam cuncta reliqui,*
*Memet, cognatos,& studia,& patriam.*
*Das cuncta,& cunctis,uni mihi dextera auara est,*
*Me miserum; plus est ære,& ore iuuas.*
*Ipse ego,merui,spero,peto,quattuor ista*
*Alcidæ clauam detraherent manibus.*
*Magna dedi minimus,maius Leo maxime reddas,*
*Vel quia das cunctis,uel quia promerui.*

### E GRAECO.

*Aureum ad usq; chorum stellarũ,ubi uespera inumbrat,*
*Indulsi genio multiplici ipse bibens.*
*Calce chorum alterius nec enim petulante grauaui,*
*Sum mihi sufficiens delicijsq; meis.*
*Cæsariem exornans sertis astante corona*
*Pieridum increpui sæpe lyram digitis.*
*Florentem hoc stadio uitam deduco,patensq;*
*Serta gerit cœlum, personat atque lyram.*

### E GRAECO.

*Si nil largiris,frater tantum ipse uocaris,*

*Si donas frater iam iam eris, & dominus.*
*Non dominum, nec me fratrem quis scribat amicus,*
*Germanum nec herum, non emo, nec redimo.*

AD PETRVM SABAEVM FRATREM.

*Sic mensuranda est, tanquam multumq; parumq;*
*Temporis hic ualeas uiuere uita tua.*

ADMONET QVENDAM PRINCIPEM.

*Magnus Alexander magno memorandus honore*
*Quo loco haberet opes, forte rogatus ait.*
*Ostendens toto quos pectore amabat amicos,*
*Nam penes hos nostræ defodiuntur opes.*

E GRAECO.

*Non mare me exagitet tumidis in fluctibus audax,*
*Nec placidum exhilaret, quum posuere noti.*
*Tuta uia est medium lampi, tristem ipse procellam*
*Odi, aliquot mites uita habet, & zephiros.*

E GRAECO.

*Perdidit Eusthephius me matutinus, & una*
*Somnus hic immergens me, minus ille uocans.*
*O utinam pereat ex istis unus & alter*
*Adsit, sed noscat temporis ille modum.*

E GRAECO.

*Importuna quidem sunt cuncta superflua, sermo est*
*Antiquus, mellis maxima pars cholera.*

ALITER.

*Omne quod est nimium, uanum est, ut fertur, amara et*

*Plurima si fuerit copia mellis, erit.*

E' GRAECO.

*Serta nouercali tumulo dabat, atque columnæ,*
*Mutatos mores dum putat esse puer.*
*Quum puerum oppressit redimita columna, nouercæ*
*Priuigno haud solum, sed monumenta nocent.*

E' GRAECO.

*Ira nouercalis grauis est, nec mitis amore*
*Efficitur, uerus testis es Hippolyte.*

IN QVENDAM.

*Quæ tumulo imposita est leui de marmore imago*
*Muta, tibi, atque tuis moribus est similis.*
*Durus et Harpocrates fueras, recte ergo locatus*
*Sic rigido rigidus nam lapidi iste lapis.*

E' GRAECO.

*Et patria atque domus uitæ sunt gratia, cura*
*Quæ superest, non est uita, sed illa dolor.*

E' GRAECO.

*Montibus ex longis pinum me euulserat altam*
*Vsque ad radices imbrifer ipse notus.*
*Inde ego facta ratis, cum uento ut denuo pugnem,*
*O nimium audaces in sua fata uiri.*

AD HENRICVM GALLIAE REGEM.

*Qui te non amat optimum Patronum,*
*Et te non uelit omnium Monarcham,*
*Ingratissimus omnium clientum*
*Infensissimus omnium uirorum est.*

Qui quum tot charitum uidere non uult;
Tantam uult charitem inuidere nobis.

E GRAECO.

A trabe qui laqueo pendere parauerat, aurum
Repperit, & pro auro liquit ibi laqueum.
Et non inuento, qui iam cælauerat, auro
Suspendit parto de trabe se laqueo.

E GRAECO.

Nescio si clypeum, multos quo armatus in hostes
Sospes eram, an fidum dixero te socium.
Siue maris scapham audacem, quæ me alta natantem
A rate disiecta littus ad usque uehis.
Fugi iram in bello Mauortis, in æquore Nerei,
Tutor eras semper, duxq; comesq; mihi.

AD LEONEM X. PONT. MAX.
Quum dedisset Iulium oratorem de Cosmographia.

Tot tibi quum dederim nostri monimenta laboris
Largus, adhuc nequeo parcere muneribus.
Multa dedi, nunc plura fero tibi, scilicet orbis
Oppida cum populis, æquora cum fluuijs.

E GRAECO

A sale disiecta naui sors denuo amicam
Naturæ erranti præbuit ipsa ratem.
In me opportunum dum tendere cerno, natantem
Insilio in patrem, dulce parentis onus.
Me uehit in portum, uitam & bis tradidit, ille
Quum generat, tumido liberat atque mari.

E' GRAECO.

*Continua instantes, mors est, sperare sorores.*
*Fatali infringant ne tua pensa manu.*
*Orbe recedentem decores ne luctibus ergo,*
*Exitus assidui Parca doloris inest.*

AD QVENDAM LOQVACEM.

*Sæpe homini esse solet res pessima, & optima lingua,*
*Quam nocet infrenis, tam moderata iuuat.*

E GRAECO.

*Iam platanum euulsit radicitus usque uirentem*
*Aura procellosi me uiolenta noti.*
*Rore quidem rursum surexi lota Lyei,*
*Ros fuit iste omni dulcior imbre Iouis.*
*Arida quæ fueram, uireo magis, arbore & omni*
*Rectior insurgo dulcia uina bibens.*

AD IO. FRANCISCVM PICVM.

*Auribus usque meis dulci tua fama susurro*
*Applausit, dotes testificata tuas.*
*Scilicet ignuomi cœli, & commertia Diuum:*
*Vnde trahis uires ingenij, & genij.*
*Et sanctos mores, & amica silentia Musis,*
*Naturæ & causas discutis implicitas.*
*Hac dulci captus cythara te inuiso, coloq;,*
*Nam nihil humana dulcius harmonia.*

E' GRAECO.

*Puppe mari infracta facta est iam rixa duorum,*
*Nam super una inerat pugna grauis tabula.*

*Indigno Antagoras Pisistraton impetit ictu,*
*Nam de anima est bellum iudice iustitia.*
*Iste natauit, & ille absorptus pisce marino est,*
*Cuncta Charon rapiens remigat inq; mari.*

È GRAECO.

*Iuxta conuiuas iocus es confracta lagena,*
*E toto effundens uentre tuo Bromium.*
*Nam lapis ut reboans fulmen, longe excidit in te,*
*Non Iouis irati, sed manibus Paphiæ.*
*Te risus multi, te scommata læta petebant,*
*Affuit his comitum plurima turba iocis.*
*Ob te non doleo, trepido timui ipse Lyeo,*
*Qualia enim pateris, passa fuit Semele.*

È GRAECO.

*Pernitiosa etiam priuigno in amore nouerca,*
*Exemplum innocuus Virbius esse potest.*

DE LEONE X. PONT. MAX.

*Quod non conficiant decimum tot tela Leonem,*
*Sternere quæ multas iam potuere feras.*
*Causa fuit, semper syluis errauit in altis,*
*Postquam ipse est profugus saltibus è patrijs.*
*Expertus iacula, & casses, acresq; molossos,*
*Euasit captus retia, & insidias.*
*Quid possunt igitur tam tela domestica in illum,*
*Cui tergus duro durius est calybe.*
*At si qua & tanti & uarij dant uulnera casus,*
*Ipse sibi est decimus, atque sibi est medicus.*

E GRAECO.

*Agricola Archippus morbo incumbente refracti*
*Deficiensq; animi iam moriturus ait.*
*Dilecti ò nati durum uersate ligonem,*
*Vitaq; sit uobis uomere arare solum.*
*Nec curate maris gemebundos currere fluctus,*
*Hic labor est atrox, perniciesq; grauis.*
*Quanto etenim genetrix est dulcior ipsa nouerca*
*Tanto terra mari tutior esse solet.*

E GRAECO.

*Quæ defunctorum cælabat sancta parentum*
*Ossa, urnam cernens filius amne trahi.*
*Audax se in fluuium iecit, fluxumq; pudendum*
*Dum cobibet, rapidum uenit ad auxilium.*
*Relliquias seruans ab aquis, subit ipse periclum,*
*Nam miser in fluctu pro pietate perit.*

E GRAECO.

*Nile uia erranti immensas dum surgis in undas,*
*Dirueras stabulum, & prædia Aristagoræ.*
*Spe pereunte omni longis curuatus ab annis*
*Naufragus in propria quippe natabat humo.*
*O' labor immensus, manuumq; superflua facta,*
*Vicinus clamat fracta uidens stabula.*
*Estis cuncta lacus, & agrestibus unda salubris,*
*Pestifera adcurrit lympha ad Aristagoram.*

E' GRAECO.

*Legerat, extremas spicas, secumq; puellæ,*
*Nico senex, tristem pellat ut esuriem.*

*Aestu autem interijt, stipula, tunc filiae aristis*
*Succensis patri composuere pyram.*
*Ne idignare Ceres, si terrae ex fructibus ipsis*
*Terreno natae constituere rogum.*

E GRAECO.

*Heu, uellem hybernis ponti occubuisse procellis,*
*Quae defunctorum nomina sola fero.*
*Seruata erubeo portu succedere, quid plus?*
*Qui soluat funes nauta nec unus erit.*
*Amisi ipsa uiros, amisi, naufragat omnis,*
*In statione ratem dicite me stygiam.*

E GRAECO.

*Pro rate naufragium truncum in mare, ducite ne me,*
*In terra à uentis diruta pinus eram.*

AD MVSAS DE LAMPRIDIO.

*Si meus occurrit uobis Lampridius, illi*
*Amplexus dulces iungite Pierides.*
*Nec pudor obstiterit, quin detis & oscula uati*
*Tam raro; qui uos excolit, ornat, auet.*
*Oscula quid dixi? uos quaero amittere, nam sunt*
*Retia, quae casti mella Heliconis habent.*
*Inuenietis ibi uestras cum fratre sorores,*
*Cingentes uatis Daphnide fronde caput.*
*Dicite ei, Faustus te obseruat, & ardet, & optat,*
*Qui genus exornas, & patriam, & Latium.*

E GRAECO.

*Fune petram Bothus serpens conscenderat altam,*
*Forte boum pastor caerea regna petens.*

*Quum canis armenti custos, dominumq; secutus*
*Corrosit funem mellis amore grauem.*
*Corruit & praeceps pastor miserabilis, & mel*
*Dulce alijs illi funera amara dedit.*

E GRAECO.

*Est draco formosus iuuenis, uerum draco quum sit,*
*Quo nam alium colubrum suscipit ille cauo?*

AD PAMPHILVM SAXVM.

*Falleris aeternum credens mi Pamphile mundum;*
*Nam quae ortum, & finem perpetiuntur, habet.*
*Sunt elementa orbem quae contexere, senescunt*
*Illa, obitum & cernunt inueterata suum.*
*Terra perit, nam saxa uides exesa resolui*
*Tempore non multo puluerem in exiguum.*
*Deficere & pontum emersae, Delosq;, Rhodosq;*
*Monstrant, non motae pace necantur aquae.*
*Pestis & ostendit, quae mors est aeris, ipsum*
*Corrumpi, & cunctis gentibus esse necem?*
*Deme alimenta igni, in tenuem tunc flamma fauillam*
*Decidet, & cineres, & morietur iners.*
*Post mortem mundus melior renouabitur, & nos*
*Ipsi erimus, specie, corpore, mente, Dei.*

AD AMICOS.

*Cras meus ô chari, uitae natalis ocelli,*
*Annuus adueniet, uos properate simul.*
*Gloria Vida Padi, tuq; ô scrutator olympi*
*Da uidice interpres Eugubianae lyrae.*
*Tuq; Alfonse, Deum cui cura est templa tueri,*

*Cæsar, & ô Comi Pastor amáte noui.*
*Si potes ô Blosi secreta relinquere Pauli,*
*Pectore tuq; Niger candidiore, ueni.*
*Tu quoque Ferrari, & tu Maiorane, uenite,*
*Portio uterque animi, tuq; Guglielme mei.*
*Linguæ utriusque aderunt, uina & facunda, disertos,*
*Quæ uos inuitant diseruisse, uiros.*
*Vos afferte sales, dicteria, scommata, risus,*
*Danda uoluptati est crastina tota dies.*
*Et quia pro foribus stat mors inopina, bibendum est,*
*Occupet impotos ne uia longa necis.*

EPIT. MONIMAE MILESIAE
*Mithridatis uxoris.*

*Nomine quo fueram, postquam tibi Græcia dixit,*
*Virgo tibi uitam, tum mea fata loquar.*
*Nanq; tibi hæc scribo, fueram pulcherrima, Ponti*
*Rex me auro tentat, nil tamen assequitur.*
*Inuictam ast auro superat diademate misso,*
*Et me Reginam collocat in thalamum.*
*Ast ego serua fui, thalamum pro carcere habebam,*
*Proq; uiro dominus barbarus ille fuit.*
*Viuebam in luctu, assiduo & mœrore, meamq;*
*Plorabam speciem, & delicias patriæ.*
*Iussa uiro á uicto quo uellem occumbere læto,*
*Heu laqueo, & ferro colla secanda dedi.*

E' GRAECO.

*Vna dolore parens duplici est confecta, crematur*
*Quod natorum unus, naufragat alter aquis.*

Dispare quam infelix partum est partita tuum sors
Parte, unus flammis, innatat alter aquis.

E' GRAECO.

Ora sigillato, arcanum ne prodeat, illa
Custodire iuuat, quam tua rura, magis.

AD ROMVLVM AMASEVM.

Magne iuuentutis moderator, & optime uatum
Felsinei interpres Romule gymnasij.
Ad te si nostræ ueniunt ex urbe Camœnæ,
Porrige felices officiose manus.
Nanque salutatum te accedunt nomine nostro,
Dicturæ inq; tuam ciuibus ista charin.
Plaudite Amaseo sub rhetore uerba latina
Pausaniam, docuit & Xenophonta loqui.

E GRAECO.

Ante tuum quam tu in cinerem soluaris inanem,
Viue, & damnatam ne excrucies animam,
Discedant labor, & gemitus, & tristia quæq;,
Ad uitam, post hanc, tempora longa manent.

E' GRAECO.

Quid rapis obtundens cantum mihi? plectra mouere
Et uates, et equum flectere discat eques.
Siquis equum regere est doctus, plectrumq; mouebit,
Inscius ille ab equo decidet atque lyra

AD BONONIAM.

Felsina diues opum, & legum facunda creatrix,
Et decus armigeræ, præsidiumq; Deæ,
Barbarico intacta excursu, præda, atque rapinis,

*Quum ferrum, atque ignis perderet Ausoniam.*
*Victricem Ausoniam terrarum, ac Amphitrites,*
*Quæ quondam Manes terruit, & Superos.*
*Salue, una antiqui memoranda propago ualoris,*
*Virtutum, atque uirum, patria, & hospitium.*

E GRAECO.

IN FVREM TIMIDVM INVENIENTEM *ensem aureum.*

*Aurum amo, sed metuens fugio tela hostica Martis.*
*Aurū ego deuener or, Mauortem execror ut hostē,*
*Et fugio hostilem Gradiuum, diligo & aurum.*
*Aurum ut amo, Martis sic arma hostilia linquo,*
*Si trahit aurum oculos animū Mars distrahit hostis.*
*Aurum & amo, & fugiens exhorreo tela Gradiui.*
*Vellem aurum, & nollem Gradiui tela minacis.*
*Mi placet hoc aurum, sed Mars mihi displicet hostis.*
*Allicit aurum & me, Mars hostis deijcit & me.*
*Displicet, atque placet mihi, scilicet ensis, & aurū.*

E GRAECO.

*Codrus aprum sternens in agris deuicit, & alti*
*Et ceruam in salsis illaqueauit aquis.*
*Si natura feris daret aera, ab aere Codri*
*Nec Diana manus cerneret absque feris.*

EPIT.

*Incolumis, ualidus primæuo in flore iuuentæ*
*Diues & optata coniuge Faustus eram.*
*Nobilis, & legum interpres doctissimus, at mi*
*Mors aggressa inquit, surge, ueni, propera.*

Accensi, non forma, & opes, nec stemmata, & ætas,
Doctrina, & sponsæ nil ualuere preces.
Qui legis aduertas, retro mors imminet usque
Te, ne improuisus decipiare, para.

E GRAECO.

Aebriæ ubi fuerint lucenti rore cicadæ,
Exuperant cycnos sedulitate soni.
Sic uates meritum tribuit pro munere, laudes
Dans benefactori munera parua licet.
Hac primum partem ratione reponere curat,
Nam tibi sæpe meis pars erit in tabulis.

E GRAECO.

Omnia quum tingas, mutasq; colore, uideris
Tincta etiam diues pauperie ipse tua.

AD AMICVM.

Ora licet claudat monachis iam regula eremi,
Labra mea & digito comprimat Harpocrates,
Iussus, & optatus ueneranda silentia soluam,
Vt fiam inspecto notus ab ungue tibi.
Diligam, & obseruem quum te (mihi parcat eremus)
Nescit Amor monacos, regulam, & Harpocratem.

E GRAECO.

Si parilis cycno decantat alauda, pariq;
Contendant bubo tum philomela sono.
Dulcior & cuculus si creditur esse cicada,
Et dici possum par ego Palladio.

E GRAECO.

Hunc satyrum haud fecit Diodorus ab arte cubantem,

*Argentum dormit, tange, celer fugiet.*

AD AMICVM.

*Si molles oculi in fletum Louice liquescunt.*
*Laudo, mouet geminæ te pietatis opus.*
*Cessit enim humanis Daniel duplicemq; parentem*
*Fles, quia te genuit, fles quia te docuit.*

E GRAECO.

*Viuere non gratum est, nisi pellas pectore curas,*
*Vertice quæ canos fundere sæpe solent.*
*Victui opes cuperem, quæ quadrant, rodit inanis*
*Auræ cura; aninmum quæ furibunda tuum?*
*Inter mortales toties reperitur ægestas*
*Diuitijs, uita, morsq; homini melior.*
*Inspiciens isthæc sit spes sapientia sola, &*
*In portum hunc cordis dirige uela tui.*

E' GRAECO.

*Sæpe tuum obprobrium perpendi lance, & amorem,*
*Ast amor obprobrio ponderat ipse minus.*
*Hinc graue ob obprobrium leuiori abiungor amore*
*Non tam uile ferens amplius obprobrium.*

EPIT.

*Vixi, si uita hæc bulla est, & deciduus flos.*
*Si scopulus uita est ictus, & umbra fugax.*

EPIT. CARD. ALE'ANDRI.

*Cur tumulo non inscripsi mea nomina quæris,*
*Ingratus quum sit, mutus & iste lapis.*
*Qualis eram dicent, & quis, pleno ore Quirites,*
*Si mage uis, dicent, Græcus, Arabs, Solymus.*

E' GRAECO.

*Effuge diuitijs tumidos sine fronte tyrannos,*
*Quos domus, & potuit iungere fictus amor.*
*Filia egestatis quum sit prudentia, matrem*
*Diro illam oderunt pectore pauperiem.*

E' GRAECO.

*Ditescis, sed quid reliquum? tecum ne recedens*
*In tumulo & positus diuitias ne trahes?*
*Cogis opes tempus consumens, non potes ipsum*
*Terminum enim uitæ protrahere ulterius.*

AD AMICVM.

*Ad tua uota manus talos emittere quod sit*
*Docta, ubi uult Venerem, præsto uocata Venus.*
*Et dexter senio iactu blanditur amico,*
*Et quod te fugiat perniciosa canis.*
*Te multi laudant, illis ne credito, nam tu*
*Quo magis ista sapis, desipis ipse magis.*

E' GRAECO.

*Auratum ut placuit malum tibi Iuno, Venusq;*
*Vtq; Minerua tibi, sic mea lympha placet.*

E GRAECO.

*Natum inopina suum mater Meletina marinis*
*Cum merce immersum, tum rate sensit aquis.*
*Viderat infelix nudatum corpus ab undis*
*Iactari, alterius signa doloris erant.*
*Post nati inferias Dion, tum nauis, onusq;*
*Seruati patrijs applicuere uadis.*
*Quam uariam sortem matres habuere, redemptũ hæc*

*Viuum habet, extinctum at illa nec inspiciet.*

IN MALEVOLOS.

*Ecce iterum fallax Palamedem incusat Vlysses,*
*Testibus & fraudes non caruere suis.*
*Conueniunt Grai, nec defensoribus ullis*
*Res agitur, uero præualuere doli.*
*Præparat ex alto in classem sua saxa Caphareus,*
*Iudicium hoc mendax uerum erit exitium.*

E GRAECO.

*Herage ubi tantus tumor est? comitumq; tuorum?*
*Scurrarum subito quo ue abiere greges?*
*Exul ab urbe procul nunc es, sententia sortis*
*Ista est, ob miseros ut cruciere miser.*
*Inclyta sors aderat tibi plurima, ludere cunctos*
*Qui solitus, ludi tu patiare etiam.*

E' GRAECO.

*Vsque salutatum multi, & pene omnis amauit*
*Nam res difficilis uerus amicus erit.*

AD AMICVM.

*Ne multo assuescas risu, nec credere multum,*
*Illud stultitiæ, hoc simplicitatis opus.*

E' GRAECO.

*Hunc, qui fidus amat custos tueare, quod ingens*
*Numorum est cumulus Eliodore, & opum.*

DE LEONE X. PONT. MAX.
*à culicibus demorso.*

IN CVLICES.

*Hoc ne potes natura pati? quod Regem animantum,*
*Tantum hominem exagitent tam minimi culices*

Sumpsit & unde animos? ubi carminis organa cōstant?
Vnde cruorem haurit Tantalus ipse culex?
Pontificum, Regumq; manus, uultusq; uerendos
Figit, & à somno suscitat ille tuba.
Sensus inest olli, prudens industria, & alæ,
Arma quoque ad dulcem fistula & apta dolum
Cimice, tum pulice est peior, qui luce quiescunt,
Perniciem ad nostram hic nam uigil usque manet.
Qui quum blanditur dulci modulamine, sensim
Purpuream feriens ebibit ille animam.
Dumq; trahit, retrahitq; uides uix guttura, donec
Torrentem eduxit sanguinis ille atomus.
Atque cicatricem morsus mala signa pudendi
Imprimit, impressis euolat inde notis.
Tunc nostro exultans saturate cruore relinquis
Captiuum, ad proprias post rediture dapes.
Dicere uis cantans, animal crudele, superbum
A culice ista tui signa ualoris habe.

E GRAECO.

Ille ego certaui Androleus certamine in omni,
Ediderit quod iam Græcia magnificum.
Aurem unam Pisæ amittens, oculumq; plateis.
Efferor è sacra Pythide & exanimis.
Dimoteles genitor pepegit cum ciuibus ipsis.
Exanimum, aut mancum tollere me è stadio.

E' GRAECO.

In te non fallit prudentis carmen Homeri,
Suspensum armatis consilium tribuens.

ALITER.

*Inspexit dubiam, quamuis sit cæcus, Homerus,*
*Et mente, & gressu tendere militiam.*

EPIT.

*Nobilis, & diues, probus, inclytus, atque duorum*
*Pontificum genitor clauditur hoc tumulo.*
*Ianus erat Torzo, cinis est, atque umbra; uiator*
*Dic, rogo, pacem umbræ, dic cineri & requiem.*

E GRAECO.

*Vane quid attentas? dum corpus diluis indum,*
*Tu ne putas noctem reddere posse diem?*

E GRAECO.

*Extinxit lucem fatuus pulicum agmine læsus,*
*Et non me plus uos inspicietis, ait.*

AD STVDIOSOS LECTORES.

*Non mage uirtuti locus est, expulsa, gemensq;*
*Passa ignominiam, iurgia, damna tacet.*
*Expectabamus miseri omnes præmia, honorem,*
*Et laudem, & pacis commoda, & omne bonum.*
*Fallimur, heu, uotis, laceri, atque famelici, egentes*
*Et salis, & solis uiuimus exanimes.*
*Migrandum est alio. pecus hic & inutile fuci*
*Absumunt, quod uos mellificatis apes.*

E GRAECO.

IN HORTVM MARINVM.

*Purgat humi sedem pontus, ponto inuia terræ*
*Et loca frondescunt saltibus æquoreis.*
*Qui mare humo est sapiens, alga & qui miscuit hortos*
*Naiadum*

*Naiadum, & fluctus Nereidum lacubus.*

E GRAECO.

*Aethiopis faciem quid frustra proluis unda?*
*Noctem nocte sua posse carere putas.*

AD IO. FRANCISCVM STOAM
*& Peregrinum Longulum.*

*Longum iter, & series annorum longior, ingens*
*Pondus, & assidui bibliotheca iugi*
*Eripiunt optata meæ solatia uitæ,*
*Chara sodalitij stringere colla mei.*
*Te Stoa pars animi sed pars quàm maxima nostri,*
*Te Peregrine animæ portio summa meæ.*
*Vos equidem tantum cumulatis laudibus orno,*
*Quantum uos patriam moribus, & studijs.*
*At quia non licuit, nec Di assensere petenti,*
*Visu horum ò numeri me saturare satis.*
*Dicite uos saltem, nam me nouistis, utrunq;*
*Quàm cupiam ardenter, quàm reuerenter amem.*

E GRAECO.

*Currat enim, aut sedeat stadio, quis nouerit unquam?*
*Tanta periclis inest, miraq; segnities.*
*Carceribus strepitus resonant, & præmia dantur,*
*Nec progressus adhuc ille fuit digitum.*

E GRAECO.

*Suspitionem ipsam ut fugiat, fora cuncta pererrat,*
*Vxorem & ducit sponsus Apollophanes.*
*Cras pater inquit, ero gnati, cras uenerat, idem*
*Pro gnato haud caruit suspitione tamen.*

DD

## AD CLEMENTEM VII. PONT. MAX.

*Commendo tibi me, meamq; ſortem,*
*Et diſpendia quæ tuli, & labores,*
*Romanæ ob ſtudium eruditionis,*
*Iuſſu Principis inclyti Leonis,*
*Largi, magnanimi, undecunq; docti,*
*Per tot oppida, regna, nationes,*
*Multo tempore ſumptibus meiſq;*
*Incaſſum hactenus, hactenus tot orbis*
*Diſiunctiſſima regna, barbaroſq;*
*Mores, & populos truces feroſq;*
*Luſtrarim, peragrauerim, ſine ullo*
*Vnquam munere, & abſque præmio ullo?*
*Ecquis crederet, & quis hoc putaret?*
*Et tamen uacua manu receſſi*
*Poſt longas ego poſtulationes,*
*Poſt longam miſer eſuritionem.*
*Quanuis uincere liberalitatem*
*Dando ſit ſolitus Leo, ô Leo mi*
*Immaturior eſtimatione*
*Hinc te proripis orbe derelicto,*
*Vt longis lachrymis meos ocellos*
*Damnares ſimul, & ſimul necares.*
*O mors inuida, peſſimæ & ſorores,*
*Ter mors peſſima, & inuidæ ſorores,*
*Hoc me perdidit, abſtulit, peremit,*

E' GRAECO

Omnem aduersatus sotium comptissimus omnem
Patritij gnatus non licitam ob uenerem,
Si post Aegyptum in Syriam conscenderis ipsam,
Post Syriam demum ueneris Italiam.
Te uxorem nullus diues dignabitur, ista est
Causa, quod excurris de patria in patriam.

E' GRAECO.

Ore uno astrologi cuncti dixere meum mi
Victurum longo tempore iam patruum.
Ast Hermoclides tantum hunc prope funera dixit,
Sensit ut enectum, uidit & ut lachrymas.

AD ROMAM.

Delectos Proceres quæ deuehit; altera ut Argo,
Centaurus medio fluctuat ista mari.
Vndiq; consurgunt uenti, Boreasq;, Notusq;,
Mugit & usque imis Ennosigeus aquis.
Terrifici erumpunt atrisq; è nubibus ignes,
Et deturbatus puppe magister abest.
Vt pereant Minimæ. Quos uix superare putarim
Vel graue naufragium, uel sine Typhe necem.

E GRAECO.

Vnde soli fines, dicas, metiris, & orbem?
Tam modicum quum sis corpus, onusq; soli.
Te metire ipsum prius ipse, & noscito te ipsum,
Tunc terræ immensæ dinumera numerum.
Si non mensuras tam parui corporis umbram,
Rerum immensarum quomodo scis spatia?

E' GRAECO.

*Nouerat Anticrates melius iam sydera Arato,*
*Ast ignorauit arte suam genesim.*
*Dixit enim dubitare utrum sub principe ueris*
*Natus, uel geminis piscibus, aut geminis.*
*Sub tribus est clare inuentus, nam obsonia amabat,*
*Mollis erat, stultus, nequitiaq; procax.*

DE QVODAM AMICO.

*Differor, & crucior, tanti est ne uiuere tristem*
*Ob uitam, ut patiar continuam ipse necem?*
*Nec possum Superos, Manes'ue mouere, nec ullum*
*Mortalem, auxilio qui uelit esse mihi.*
*Aut ferro, aut laqueo, uel quauis morte, necarem*
*Me, sed me prohibent & chiragra, & podagra.*
*Truncus iners patiens, iaceo immortale cadauer,*
*Cœlo, herebo, inuisum gentibus, atque mihi.*

E' GRAECO.

*Iucundus Regi Musylius, argumentum*
*Res retinent stabile, & publica facta canunt.*
*Musæum æternæ pro munere contulit urbi,*
*Inq; domo erexit Cæsaris effigiem.*

E GRAECO.

*Aeque hospes, ciuisq, mihi placet, hospitis, æqui,*
*Vnde quis, & quorum quærere iura uetant.*

AD FRANCISCVM REGEM GALLIAE.

*Galliæ erant populi densa caligine tecti,*
*Innocua & mersi simplicitate sua.*

*Ignari rerum, & fraudum, cultusq; nitentis,*
*Auersi studijs culte & Apollo tuis.*
*Quum ueluti Phaeton inter pendentia cœli*
*Astra minora nites nubila cuncta fugans.*
*Exemploq; tuo se formauere Quirites*
*Francisce ad mores, ad geniumq; tuum.*
*Ingenia excrescunt, artes, prudentia, uirtus,*
*Permessi & sacris cuncta rigantur aquis.*
*Hinc super occiduas gentes, & regna, superq;*
*Imperia Europæ Gallia adaucta bonis.*
*Nunc te amat, & celebrat, licet & si dicere, adorat,*
*Supra homines, Reges, Indigitesq; Deos.*

E GRAECO.

*Perdidit antiquam Moschus, duxitq; puellam*
*Cautus in uxorem, dosq; relicta domi est.*
*Quis non laudaret, postquam mors una beauit*
*Moscum opibus uetulæ, uirginis & thalamo.*

AD IOANNEM BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Ite salutatum Mysten numeri, atque poetam*
*Et dominum, nam mi non licet ire, meum.*
*Circunstant illum populi, atque negotia Regum*
*Absumunt, rapiant, tempus, & Aonides.*
*Indignum est, quod turba agitet, curæq; profanæ,*
*Qui loquitur Superos, cum Superisq; habitat.*

E GR. IN LAVACRVM.

*Paruum opus est istud; sed uultu exultat amœno,*
*Vt rosa pulchra hortis, & uiola in calathis.*

E GRAECO.

*Proijcis Hippomanes thalami dotem, atque puellæ*
*Velocis cursus aurea dona moram.*
*Malo utrunq; actum est, dum uirgo colligit aurum,*
*Symbolum Acidaliæ coniugij illud erat.*

IN QVENDAM.

*Nec tibi, nec patriæ, nec amicis commodus ipse es,*
*Aegre & fert pondus terra benigna tuum.*
*Nec te æquus Titan cernit, nec luna, nec astra,*
*Viuo, & cernenti est mortua uita tibi.*

E GRAECO.

*Vrbem habita in tuto, pygmeum sanguine lætæ*
*Strimoniæ ne te depopulentur aues.*

E GRAECO.

*Grammaticus Zeno, cui barba est mascula, natum*
*Comendasse sibi quendam, ait, ut doceat.*
*Sic docuit casus cunctos, coniuncta, figuras,*
*Vt nec nocte, illum liquerit hic docilem.*

E GRAECO.

*In Episcopum habentem puellam nomine Pacem.*

*Adueniens populo pacem dat Episcopus omni,*
*Sed quum habeat solus, quomodo dat populo?*

ALITER.

*Accedens cunctis pax dixit Episcopus ipse,*
*Cur cunctis? tecum hanc inuide solus habes.*

ALITER.

Altari assistens Pax dicis Episcope uobis,
Quomodo das nobis, si tibi clausa domi est?

AD EVAGORAM.

Parce, tibi Euagora dignos quis reddet honores?
Solus enim Euagoras exprimit Euagoram.

AD MVTIVM SCEVOLAM.

Infelix, felixq; fuit tua dextera Muti,
Igne quod exusta est, liberat & patriam.

E GRAECO.

Est hic Aristoteles, qui terram excurrit, & astra,

E GRAECO.

Peior enim inuidia miseratio, Pindarus inquit,
Nanque dies lautos inuidiosus habet.
Quos fortuna premit nimium, miserescimur ultro,
Ast ego nec felix, nec miser esse uelim.
Optima res medium, nam casum summa minantur,
Infima & obprobrium, peius & obprobrio.

AD HENRICVM GALLIAE REGEM.

Nomen in urbe tuum fuerat Rex inclyte magnum,
Belleo maius sed ueniente fuit.
Ille etenim merito laudum Philomela tuarum
Te cecinit Dominum non nisi blanda suum.
Fecerat & mensa, officijs, auroq; poetas
In laudem cytharas increpuisse tuam.
Addictumq; tibi populum acclamare, Valesi
Vince, ueni, & regna, sed celer ipse ueni.

E' GRAECO.

IN DOMVM ALTAM BIZANTII

*Iucundum ternis prospectó partibus æquor,*
*Vndique me irradiat lumine amica dies.*
*Quum croceis Aurora uenitq; inuecta quadrigis,*
*Non uult, & nescit tendere ad Hesperios.*

E' GRAECO.

*Idem hospes, ciuis'q; mihi est, scrutarier, unde,*
*Quis, quorum, hospitij non decet offitium.*

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Non quia diues opum, sacri columen'q; senatus,*
*Sed quia uirtutis sis studiosus, amo.*
*Suspiro hanc, quum sit uere pulcherrima rerum,*
*Illa meæ sola est diuitiæ, atque decus.*
*Si me respicies & amatus amabis amicum,*
*Tu mihi semper eris, quem coluisse uelim.*
*Nam procerum si quis Musis applaudit, & hæret,*
*Non modo Semideus, sed Deus ille mihi est.*

E' GRAECO.

*Bis quatringentas messes quinas quoq; mollis*
*Tempore cornices exuperas Hecuba.*
*Sisyphi enim mamma, atque soror tu Deucalionis*
*Canos tinge, & dic omnibus ipsa fata.*

E' GRAECO.

*An peteret Rhodon & tuto mercator, olympum*
*Venit ad astrologum, noscere cuncta auidus.*
*Nauem habeas uacuã atq; nouã, primũ inquit olympus*

Nauiga in æstate, tempore & Alcyonum.
Piratas uitato uagos, boreæq; procellas,
Securumq; ibis, atque redibis iter.

## AD CLEMENTEM VII. PONT. MAX.

Carmen retrogradum de Pentametro in Hexametrum.

Tam tibi compositi mores, tam candida uitæ
Stamina te faciunt hoc regere imperium.
Et tuus ingenij candor, tum copia Clemens
Condere damnatos dat styge lucisona.
Tam pia relligio, cultus tum conscia tanti
Sydera te tollunt ad decus æthereum.
Tam tibi iustitiæ placeant quod semina, cœli
Curia nunc claues dat tibi sydereas.
Colloquij tua uis præstans, tam feruida uirtus,
Basia fert pedibus tum sacra principibus.
Ingenium, eloquium, mores, mens maxima sancta,
Optima, dant summum te fore Pontificem.

## E GRAECO.

Iurabant duo Chaldei, quod Gessius urbis
Consul erit factus, credidit, & perijt.

## E GRAECO.

Aes retinens cur nulla tenes? scito, omne danistis
Das, sic nulla tenes, alter ut hæc teneat.

## E GRAECO.

Splendentem argento esuriem indignatus, ubi sunt,
Quis saturer, dixi, uasa mihi Samia?

AD IANVM VITALEM ALLVDIT AD OPVS DE TRINITATE.

*Scandere Iane potens cœli omnipatentis in arces*
*Et Superum æternis accubuisse toris.*
*Cælatumq; alijs incomprehensibile Numen*
*Cui tenuisse datum est, & cecinisse, Iouis.*
*Et secreta homini Diuum reticenda profari,*
*Vnde famem patitur Tantalus, atque sitim.*
*Qui te conuiuam Superum exturbauit ab astris,*
*Tam magnum & minimis occupat ingenium,*
*Hostis erat, quicunque fuit, Diuisq;, uirisq;,*
*Qui Ianum è cœlo traxerit, atque lyram.*

E GRAECO.

*Recludor, si me claudis, reclaseris atsi,*
*Claude, ubi sim talis, ne mihi crede domum.*

E GRAECO.

*Artificem mentis barbam quia credis amice,*
*Dependet mento cauda fugacis equi.*
*Pone illam, nam uermiculos, quis Sylla necatus,*
*Parturit, & non hæc mentis acumen habet.*

E GRAECO.

*Inclyte Ioannes Reginæ dic gener, & si*
*Mortalis, tamen es germen Anastasij.*
*Mortalisq; idem, at iustus, non amplius ille est.*
*Mortalis, uirtus fortior interitu.*

AD MARCEL. CARD. CERVINVM.

*Quæ nam dona tuo referam condigna labore?*
*Nescio quum uires straueris ipse meas.*

*Nec tamen ingratus uidear dignissime princeps*
*Offero parua tibi, maxima quum nequeam.*
*Scilicet hanc animam, & corpus, tenuem quoq; sortem*
*Et si quid maius corpore, sorte, anima.*

E GRAECO.

*Calligenes terræ committens semina cultæ*
*Astrologi petijt limen Aristophanis.*
*Sufficiens ne foret messis, quærebat in anno*
*Illo, & aristarum copia ne exuberans.*
*In mensam uates ponens, capiensq; lapillos,*
*Et flectens digitos Calligeni ista refert.*
*Si madefactus ager fuerit quantum satis, herbas*
*Nec uarias pariat, quæ segetem impediant.*
*Nec glacies scindat sulcos, nec grando flagellet*
*Summa, nec excutiat tunc teneros calamos.*
*Nec tundent segetes animalia, damnaq; nulla*
*Aeris, aut terræ sentiat auctus ager.*
*Vaticinor, tibi messis erit largissima, tantum*
*Locustas turpes, cætera nil timeas.*

E GRAECO.

*A patre piscator Pelagon sacrata Menisco,*
*Nassa tibi, & remus, signa laboris erunt.*

PRO AMICO.

*Monstrabat ferrum, medici syringa uocabant,*
*Aeger, & absque illo meiere, ait, nequeo.*
*Sanguinolentum inerat, petij, cur, prouoco, & inquit,*
*Profluuium hoc lotij, sanguinis immo lacum,*
*Quo cruciatu istud faciam, meditare, cruento*

*Cogor enim hoc ferro carnificem esse mei.*

E GRAECO.

*Duxit anum uxorem iuuenis, iuuenemq; Philinis*
*Quando senex fuit, in tempore nulla uenus.*
*Nam caruit natis, sterili dum seminat aruo,*
*Nunc alijs nubens stultus utrisque caret.*

E GRAECO.

*Dat natura potens pictor tibi & enthea, posses*
*Vt Mytileneam fingere pieridem,*
*Splendor inest oculis clarus, quo iudice & equo,*
*Phantasiæ plenam dexteritate uides.*
*Sponte sua non plana caro, non densa, nec arcta,*
*Quod præmonstratæ est nobilitatis opus.*
*Ex hilari uultu, succi plenissima læti)*
*Immixtam Musam cum Venere una refert.*

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

*Inuicti Princeps animi, quem plurimus æther*
*Ditat uti è cœlo sydus & ipse nites.*
*Quam tibi Pontifices, seruata & Roma tenetur*
*Quam tu seruasti bis pia in arma ruens.*
*Præmia si meritis certent dare digna Quirites*
*Non tibi sunt tituli, nec statua ulla satis.*

E GRAECO.

In Chrystallum intus habentem aquam.

*Cur crystallus aquam clausit densissima mollem?*
*Densata à borea est, & resoluta noto.*

E GRAECO.

In digito inſpiciens uaccas ſub iaſpide clauſas
Gemma uiret, dices, uociferantq; boues.

E' GRAECO.

Garrula, cana, procax, longæua Cotittaris, annos
Illius ob tantos Neſtor erit iuuenis.
Quæ plus quam cerui proſpexit lumina ſolis,
Quæq; iterum leua dinumerat ſenium.
Viuit, acuta uidet, recta eſt, atque integra Nympha,
Plutonem paſſum crediderim eſſe aliquid.

AD INGRATVM.

Aeger egens ſalis, & ſolis ſub febre iacebam,
Nec fuerat qui mi porgeret ullus opem.
Cuncta ſciens bilum nec mi tu afferre roganti,
Et morienti etiam capta ubi Roma fuit.
Nec pudor eſt à me ſeſtertia poſcere ſeptem,
Qui dare non didicit, nec bene poſcit opem.

E' GRAECO.

Si caput inficias ſenium non inficis unquam,
Malarum rugas tendere nec poteris.
Ergo tuos uultus albo ne intinge colore,
Hoc eſt perſonam fingere non faciem.
Plus certe inſanis, nihil eſt, ceruſa, fucusq;,
Efficere haud poſſunt ipſam Hecubam eſſe Helenam.

E' GRAECO.

Lotæ hic ſunt charites, una eſtq; relicta lauacro
Gratia, ut ex membris ſplendeat unda ſuis.

AD HENRICVM REGEM GALLIAE.

In discessu ab urbe Io. Bellei Card. Parisini.

Magnanime ò Princeps ecquid peccauimus in te?
Supplicio insontes plectimur ecce graui.
Eripuisti illum, quem dicere possumus urbis
Lætitiam, laudem, lumen, & illecebras.
Et desolatæ, morientis Pallados & spem.
Hinc Musæ hæc clamant, Romaq; mœsta simul.
Quo tu Mœcenas properans te proripis? & tu
Quid rapis è nostro Rex Phaetonta polo?
Belleum fuerat melius non noscere nobis,
Quam sperasse diu, post caruisse breui.

E GRAECO.

Erexit quidam quasi me commune lauacrum,
Vt uirtus, non has incolat Iris, aquas.
Sit curæ hoc multis, ego paucis, denique amicis
Fluxum, unguenta etiam, largior, & charites.

E GRAECO.

Extulit uxorem antiquam, nupsitq; puellæ
Moschus, dos omnis mansit & ipsa domi.
Laudandum est facinus, nam prudens nouit utrunque,
Diuitias uetulæ, et uirginis illecebras.

PRO PAVLO III. PONT. MAX.

Luserat urbis opes Florentia folle nec uno,
Sed seno, atque annis imperiosa decem.
Nil restabat opum, nec opis, nisi uota, precesq;

In Superos, tandem uota precesq; ualent.
Soluimur à lusu immo iugo nudi, atque miselli,
Sed læti effracto folle iugoq; graui.
Dum clamamus Io, cumulamus honore Deosq;,
Floribus extemplo est terra repleta nouis.
Lilia erant, auratus ager, redolentia, Roma
Tristitiam ut pellas, pauperiemq; tuam.

AD ALEXANDRVM MANZOLVM.

Hospes eram ignotus, læto me respicis ore,
Tunc subito tecum iungor amore pari.
Angulus an cœli, an mores ignota, latensq;,
Quænam causa, potens dicat Apollo, fuit.
Tunc me habuit Rheni sed parui Felsina Rheni,
Felsina uti patria semper amata mihi.
Candide Alexander taceo quæ feceris in me
Officia ob nullum deperitura diem.
Solum ardor scopus, est, qui durat, & enitet inter
Deucalionis aquas, & Phaetontis equos.
Si sub humo dabitur benedicere, amare, uereri,
Tecum ero, qui nunc sum, puluis, & umbra licet.

AD AMICVM.

Cinge triumphali uictricia tempora lauro,
Succubuit tandem uicta puella tibi.
Felix qui bis fruitur uotis, felicior immo,
Quem nulla expugnant, nec mala uota mouent.

E GRAECO.

Qui caput infecit crines amisit, & ouum
Efficitur densam cæsariemq; habuit.

*Infector tunc clamat, eges non amplius ullo,*
*Qui fecet albentes, tingat & usque comas.*

È GRAECO.

*Nicanoe uiguit, uiguit loquor ipsa, refusas*
*Vidit ut immensas Deucalion pluuias.*
*Vidimus haud ipsi non hoc, scimus tamen, illi*
*Non opus esse uirum quærere, sed tumulum.*

DE FRANCISCO REGE GALLIAE AD MVSAM.

*Magnanimos inter Proceres, cœtusq; uerendos.*
*Inuenies Regem Musa sedere meum.*
*Tanquam inter dulces Phœbum castasq; sorores,*
*Mulcentem fidibus saxa, ferasq; suis.*
*Illi quum dederis caput acclinata salutem,*
*Dixeris & quantum diligam, amem, uenerer.*
*Verte oculos circum, cultos astare Poetas,*
*Historicos cernes, Rhetoras, Astrologos.*
*Dicito eis merito doctæ huc migrastis Athenæ,*
*Cum choro, & aurata Phœbe superbe lyra.*

E GRAECO.

*Pyrrhus ego ob patrem accelero, uocat ista Mineruam,*
*Nec pudet, Iliaca est, fratrem habet, atque Parim.*

È GRAECO.

*Ore solicismum facio, & mutesco repente,*
*Si mens grammaticum te Eliodore uocat.*

E GRAECO.

*Ira licet mulier sit, dulces deuehit horas,*
*Dum nubit, prima est, altera quum moritur.*

AD

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Sit tibi iucundum mensis redeuntis, & anni*
*Principium, & felix quælibet orta dies.*
*Et tuus, atque meus Rex præstantissimus æui*
*In sua uota habeat tempora, & astra poli.*
*Nam Duce sub tanto traherent pensa aurea Parcæ*
*Concordes, uotis annue Iane pijs.*
*Si merita, ingenium uideas, dotesq́ duorum,*
*His nullum, aut rarum cernis in orbe parem.*
*Annue, & inspicies latum feliciter orbem*
*Hunc regere, hunc orbi conciliare Deos.*

E GRAECO.

*Te Cynagire uelut Cynagirum haud dextera finxit*
*Phasidis, audaces dat modo habere manus.*
*Sed sapiens pictor manibus te pinxit, ob illas,*
*Viuis enim, & nunquam tu moriere, manus.*

E GRAECO.

*Informi nuptæ infelix coniunctus opacas*
*Luce etiam accensa nocte uidet tenebras.*

DE FRANCISCO REGE GALLIAE.

*Ne mirere meum lector pro numine Regem*
*Si colo, quem decorant muneribus Superi.*
*Nam formæ imperio dignæ insufflauit honorem.*
*Insuper, & Charites addidit alma Venus.*
*Robur & Alcides, & mel Cyllenius oris,*
*Mars animos, sophiam Pallas, & ingenium.*

Iuno regna, Tonans maiestatemq; uerendam,

Et multo ambrosiæ sparsit honore caput.

Si nescis quid Apollo illi donauerit, audi,

Iurabis Phœbum, Pieridesq; loqui,

Hæc ego quum uideam Diuum immortalia dona,

Mortalem hunc ipsum suspicor esse Deum.

È GRAECO.

Cypria, Amor, Charites, Nymphæ, Dionysus, Apollo,

Hic sunt iurati uelle habitare simul.

È GRAECO.

Ira omnis mulier gratas has ingerit horas,

Altera connubij est, altera & interitus.

AD AMICVM.

Auribus excœpi gratissima nuntia utrisque,

Quæ mihi significant uota peracta tua.

Gratulor ipse tuis, & gaudeo honoribus auctis,

Sed fac, ne fastu decipiare, rogo.

Munus ab inuicto, hoc petierunt Principe multi,

Ast ligno ex omni non fit Atlantiades.

E GRAECO.

Herniam habentis heri monstrasti, non qui habet herniã

Herniam enim nolo cernere, sed dominum.

E GRAECO.

Hoc Placiane uelim liquido te scire, quod omnis

Auri diues anus urna opulenta uiro est.

PRO AMICO.

Me miserum crucior, miserum me, differor, elicu

Supra homines omnes differor, & crucior.

Nec requies datur ulla animi, nec corporis unquam,
Excrucior chiragra, maceror & podagra.
Chiragrã, & podagrã dixi, quum nec manus, aut pes
Sit mihi, sum truncus ad mala cuncta uirens.
Inuisus cœlo, despectus, inutilis orbi,
Naturæ obprobrium, tum graue pondus humi.
Viuo & adhuc, & adhuc uiuam miserabilis uni
Cui nec amicus adest, nec ferus hostis opi.
Qui uitam eripiens me absoluat morte, sed eheu
Perpetuo ut uiuam, continue ut moriar.

E' GRAECO.

O Cynagire miser uiuens & mortuus usque
Percuteris lingua, percuteris gladio.
Nam prius in bellis excisa est dextera, demum
Extinctum spoliat te pede grammaticus.

AD FRATREM.

Te mihi surripuit quamuis mors inuida frater,
Attamen ipse oculos stabis ut ante meos.
Et nisi turbarem luctu tua gaudia, uulnus
Altum ego testarer fletibus assiduis.
Hoc tamen extremum semper mihi maxime frater
Munus habe, æternum salue, & aue, atque uale.

E GRAECO.

Vidit ut in muro pictam Calphurnius, ut mos,
Naumachiam miles pallidus obriguit.
Stratus humi extemplo exclamat, me carpite uiuum
O uos belligeri Laomedontiadæ.
Percussus ne foret, petijt, uix uiuere nouit.

*Et saluus muro est præmia pollicitus.*

E GRAECO.

*Tale tenens rostrum ne fontis olympice uiui*
*Veneris ad uitreas tam speciosus aquas.*
*Inspiciens faciem clara ut Narcisus in unda,*
*Ne cogare tuo captus amore mori.*

AD HENRICVM REGEM GALLIAE.

*Multi admirantur, quum sis tam diuite regno*
*Maximus, & tanto milite, & ingenio*
*Plurimi ut esse solent, quod non es dirus, & asper,*
*Nanq; incrudescunt imperio ingenia.*
*Tu tamen es mitis, pius, ac placidissimus illis,*
*Non modo quos frenas hostibus immo tuis.*
*Galli, ut apes, Regem te deuenerantur, adorant,*
*Pro quo decertant certam et ad usque necem.*
*Es tu imitaris apum ipse Ducem, nam cuspide solus*
*Ille uenenata Rex caret inter apes.*

E GRAECO.

*Intueare hospes syluestrem Panos amicam,*
*Quæ resonat uoces non animata tuas.*
*Garrula imago oris, pastorum & dulce leuamen*
*Echo audita refert, concaua & antra colit.*

E GRAECO.

*Fœmina quæq; bonas, licet ira sit, ingerit horas,*
*Concubitus primi, funeris atque sui.*

EPIT. ALBERTI PII.

*Nominis Ausonij decus, ac tutela, salusq;,*

*Magnus ab eloquio, maior ab ingenio.*

*Occubat hac gelida Princeps doctissimus urna,*
*Caesaris, ac Regum Pontificumq; dolor.*
*Quam procul à patria, & natis, & coniuge rara,*
*Quantum illi sors est impia facta pio.*

E GRAECO.

*Quum domus arderet, satagens exire fenestra,*
*Seq; laboraret mittere Zenogenes.*
*Non poterat positis lignis; demum effugit inde,*
*Pro scalis nasum dum locat Antimachi.*

E GRAECO.

*Vos Colophona, sacro patriam ascripsistis Homero,*
*Vos pulchram Smyrnam, uos quoq; inesse chium,*
*Vos Ion, atque alij dicunt Salamina beatam,*
*Vos quoq; Thessaliam iam Lapitum patriam.*
*Vos aliam, atque aliam terram finxistis, oportet*
*At si me clarij dicere more Dei.*
*Coniector coelum patriam tibi Homere, parentem*
*Non mortalem inquam, sed fore Calliopen.*

E GRAECO.

*Rex hominum felix, qui nullo tempore rident,*
*Ridentem Pluto suscipe Democritum.*

AD FRANCISCUM GALLIAE REGEM.

*Aura, salus, requies iactatae tuta Mineruae*
*Per mare, turbatis dum furit eurus aquis.*
*Praesidium, tutela, domus Phoebiq; uagantis,*
*Fulminat ut boreas grandine, & imbre solum.*

*Quod profugas terra, & ponto Francisce camœnas*
*Colligis, atque iuuas munere, honore, domo.*
*Rex tibi seruatæ, nunc Pallas, Apollo, sorores,*
*Dant sophiam, cytharam, sertáq;, pro meritis.*
*Proinde canis tam dulce melos, te & digna canentes*
*Quæris, habes, & amas, ære, domi, & titulis.*

IN TVLLIAM TARQVINII
Superbi uxorem.

*Incubet huic tumulo serpens, & sibilet, atram*
*Adlatretq; umbram Cerberus ore truci.*
*Illa Superbi uxor monstrum crudele tyranni,*
*Non modo consilio, sed scelerata manu.*
*Tullia, qua genitor cecidit, soror, atque maritus,*
*Hic cubat, & potens hanc sustinuisse solum?*
*Quod premat axe patrem, quod Regem nata peremptũ*
*Et potes hoc tellus sustinuisse scelus?*

È GRAECO.

*Seruus eram, & pauper, tum mancus corpore, sed sic*
*Gratus Epictetus Dis ego amicus eram.*

È GRAECO.

*Tentasti ò Zeno, tentasti morte tyrannum*
*Tollendo Eleæ demere posse iugum.*
*Victus es, & quum te cæpisset in ære, tyrannus*
*Non te contudit, sed tua membra, cauo.*

AD IO. BELLEVM CARD.
PARISINVM.

*Non debes, nostræ tibi si placuere camœnæ,*
*Gratia summa mihi est, quod placuere tibi.*

Ipse minus debes, si displicuere relatum
Nam tibi sat damni, quum tibi displiceant.
Tu tamen his, atque his donas, ut munere discant,
Displicuisse minus, uel placuisse magis.

E GRAECO.

Qui prius extiterat Diuum conuiua, replebat
Qui sæpe & potu uiscera nectareo.
Mortalem guttam sitiens nunc appetit, unda
Nam labro inferior proxima labra fugit.
Ebibe imago, inquit, reticendiq; orgia disce,
Lingua ita dat pœnas immoderata suas.

E GRAECO.

Exorcista fugat, non dæmona multa loquentem
Zosimus adiurans, sed potius male olens.

EPIT. NESSI CENTAVRI

Eueni ad ripas uitam tranquillus agebam,
Sed mihi causa fuit Deianira necis.
Trans fluuium hanc reuehens contraxi uulnus amoris
Viscera & in gelidis incaluere uadis.
Aufugi, spes, pondus, amor mihi commodat alas,
At me arcu Alcides occupat, ipse cado.
Quod non ausa fuit Saturnia & orbis, & orcus,
Sanguine nam nostri sanguinis ultor eram.

E GRAECO.

Oscula si mihi das, odio sum, siq; odio sum
Oscula das, ne des oscula amice mihi.

E GRAECO.

Olfaciente mero Nicon bene sentit odorem,

Cui mentum abscondens nasus aduncus inest.
Indicat id tarde, uerum indicat hæc tribus horis
Et uix æstiuis, tum sibi nasus abest.

E' GRAECO.

Cur tumulo insistis, cuius'ue? palatia Diuum
Lucida contemplans fare Tonantis auis.
Sum repetens Superos animæ ipsa Platonis imago,
Attica me genuit, Attica corpus habet.

PRO FRANC. GALLIAE REGE

Vos eritis testes animi mortalia nostri
Pectora, & æterni cœlicolæ ante Deum.
Omnia nouistis, nolens capio arma, sequorq́;,
Inuitum nam me Cæsar in illa trahit.
Sæpe, meum quod erat, petij & reuerenter, & illud
Denegat, addo preces, nil ualuere mihi.
Addo & honestati, precibusq́; Hymenæa disertum,
Infecto redijt fœdere tristis Hymen.
Obtulimusq́; aurum quo nulla potentia maior,
Pallidulum elusa conditione redit.
Irrisi ut redeunt, Plutus, Themis, atque Hymenæi.
Cogor in arma alios iusta mouere Deos.

E GRAECO.

Terra sinu condit quod erat mortale Platonis,
Immortale habitat templa suprema Deum.
Nam diuinus erat uirtute, & moribus, & qui
Virtutem, & mores diligit hunc celebrat.

E' GRAECO.

Fucantem formam notam medicamine rursum

Arguo te, quoniam non loquitur speculum.
Quæ fucum abstergit pretiosa ac optima habenda
Vnda inter cunctas, Pindarus inquit, aquas.

AD IOANNEM BELLEVM CARD. PARISINVM.

Dicebam mecum, quid mi Rhannusia uirgo
Arridet uultu lætior insolito?
Non quod opes ideo largas, uel tradat honores,
Sed quia opes, & honor, tu mihi solus eras.
Proinde aliquid quum me spe turgidus esse putarem,
Elusum sensi me, uacuumq; breui.
Nam spem in te, & requiem senij Bellæe locaram,
Has aufers, quod plus, ingenium, atque animum.

È GRAECO.

Hæc circumpositis manibus suprema parenti
Dulci Erato illachrymans, & moritura refert.
Non tibi sum magis ò genitor, nam lumen obumbrat,
Atraq; mors oculos depereuntis habet.

È GRAECO.

Dilige, re uera si tu me diligis, ut ne
Sim tibi prætextu læsus amicitiæ.
Multo equidem est melior tecto quisq; hostis apertus,
Quiddam fictus amor proditionis habet.
Saxa quidem sub aquis scopulo peiora superno,
Nauis ubi æquoreas acta pererrat aquas.

E GR. IN ANACREONTEM

Quod dilecta fuit tibi barbitos, ictus amore
Cum cantu, atque sono tendis ad Elysios.

DE L. AEQVITIO ET M. Tullio Cicerone.

Clauserat Aequitium Marius sub carcere consul,
Quem foribus fractis plebs furibunda trahit,
Vtq; triumphantem elatum indignante senatu
Portarunt urbis per medium usque uirum.
Sic humeris lati gemini cum laude leguntur.
Tullius exilio, carcere & Aequitius.

E' GRAECO.

Munere ter misero iam ueste Carixene ad orcum
Te uoluit mater condecorare puer.
Omne etiam & saxum lachryamabat in ædibus, ut te
Efferrent flentes corpus inane uiri.
Non tantum thalamum, sed te luxere puellæ,
Heu decepte decor, pectoris & charites.

E' GRAECO.

Orphea Castalides thracem hoc posuere sepulchro
Ab Ioue percussum fulmine chrysolyram.

EPIT. AMBROSII POLITI PONT.

Sacrati hoc cineres tumulo, pia & ossa quietem
Assiduos fluctus post maris huius habent.
Cuius erant, cernes in cœlo nomen, & astrum,
Si uirtus rupto carcere in astra uolat.

E' GRACO.

Rhetora funestam quid uocem effundere maurum
Lento ore admiror, nasum elephantis habet.

AD AMICVM.

Quid nam ad me, si te pugno percusserit Alcon?

*Debebat ferro conſcelerare manus.*
*Hoc patiare libens, multo peiora merebas,*
*Accendit bilem raptus ab ore bolus.*

E GRAECO.

*Rhetoris incuruum naſum non rhetora cerno,*
*Nanque à ſe apparet longius eſſe means.*
*Expectemus eum, ueniet tamen inde Menippe,*
*Sit procul à naſo quinque licet digitis.*
*Procedit naſus, iam cernis, eamus in altum,*
*Collem hunc, ſi uolumus rhetora proſpicere.*

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Perdita ut Euridice lachrymans obmutuit Orpheus*
*Et caſum ſyluæ congemuere grauem.*
*Sic ego te amiſſo mœrentia pectora clauſi,*
*Sed ſunt flebilibus ora adaperta uadis.*
*His niſi ſpem mergam, quæ me deluſit inanem,*
*Inq́; caput mittam plectra, lyramq́; ſuum.*
*Succendam & libros in eam, ſim tempus in omne*
*De Niobe Arpocrates, de Arpocrate & Niobe.*

E' GRAECO

*Sarcina nulla ulli grauior, quam nata parenti eſt,*
*Hoc tibi ſi Euctemon difficile, iſtud habe.*
*Hernia magna tibi eſt, mihi filia, ſuſcipe natam*
*Hernia & illa mihi detur, & uſque decem.*

E' GRAECO.

*Formam quinq; bouum paruus lapis arctat iaſpis,*
*Et iam uiuæ omnes, paſcua & alta petunt.*

*Forte aufugissent per montes percitæ ab œstro,*
*Ni clausisset eis aurea caula uiam.*

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

*Optime Castalidum Mœcenas, regia per quem*
*Sceptra relucescunt magnificata nimis.*
*Sis licet implicitus Princeps ingentibus ausis,*
*Hos capias lusus, inter & arma lege*
*Immixtum inuenies sacris te Heroibus, & Dis*
*Lilia ut in pratis, uallibus atque rosas.*
*Phosphoron ac ueluti, & Phœben, Phœbumq; nitentes,*
*Errantes stellas inter & alta poli.*
*Vnde mihi erranti, & Musis sperare licebit*
*Lucem, auram, portum, subsidium requiem.*
*Tunc tibi suspendam memor in statione salutis*
*Organa Pieridum, plectra, lyram, calamum.*

E GR. IN MEDICOS.

*Marcus heri ipse Iouem tetigit de marmore, marmor,*
*Et Deus idem hodie ducitur ad tumulum.*

E GR. IN EOSDEM.

*Ad styga demisit quondam dignissime Cæsar,*
*Vt sermo Euristheus Amphitrioniadem.*
*At me Menophanes nunc Clinicus, ergo uocetur*
*Clinicus Euristheus, non mage Menophanes.*

AD PAMPHILVM SAXVM.

*Vinci ab amore tibi patiar, quia Pamphilus ipse es,*
*Sed quod me uincas munere, non patiar.*
*Immo etiam patiar, quia cedit munus amori,*

*Quod tibi honorificum est, nil mihi turpe puto.*

E' GRAECO.

*Vna quinque lauat, tot purgat Alexius ægros,*
*Quinque ungit medicus, uisitat & totidem.*
*Nox una, uespilo unus, tunc potio, & una,*
*Omnibus una urna, & lectus, & una uia est.*

E GR. IN FVRES.

*Lysimachi Anthiocus stratum conspexerat, illum*
*Inspexit stratum nec inde Lysimachus.*

AD FRANC. REGEM GALLIAE

*Imitatio Græca.*

*Ex Ithaca sterili Neptunia pergama adiit*
*Qualis Achilleides ante Neoptolemus.*
*Talis ab Aonidum uenisti fonte Valeri*
*Aurea fœcundi lilia ad ipsa soli.*
*Ille imberbis adhuc, sed cuspide feruidus instans*
*At tu utrisque potens, cuspide, tum sophia.*

E' GRAECO.

*Me multo extruxit Musonius alta laborans*
*Subiectam arcthois flatibus ære domum.*
*Non tamen euasit decreta silentia Parcæ,*
*Quin natet accensos sub Phlegethonte lacus.*
*Versus in exiguum cinerem iacet, ast ego mœrens*
*Migro alium ad dominum, post alium, atque alium.*

E' GRAECO.

*Sit soli oppositus nasus tuus, ora & aperta*
*Inde hominum cernet quilibet hora quota est.*

AD LECTOREM

*Si tenebræ, & sopor æternus mors ipsa uocanda,*
*Illa parum, ista minus Parca timenda uenit.*
*Quottidie noctem aspicimus, somnoq; iuuamur,*
*Illa parum, ista minus Parca timenda igitur.*

E GRAECO.

*In uultu densa exorta est tibi plurima messis,*
*Forpice non opus est, sed tibi falce graui.*

E GRAECO.

*Vtrem uentorum cœpit pro munere Vlysses,*
*Vt quoties uellet exagitaret aquas.*
*Aeolus at meus hic implet uentosior utrem,*
*Ventorum, & tumidam munere mittit auem.*
*Tradis amice notos celeres, & pneumata mittis,*
*Pneumate, ne'ue citis uiscera pasco notis.*

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

*Te licet accumulent pretioso munere gentes,*
*Pelletur ne foras, qui nihil attulerit?*
*Aut si parua feret Rex dedignaberis illum?*
*Non credam, quod si feceris, experiar.*
*Ecce ad te uenio, & uiles nisi defero nugas,*
*Tu ne mihi claudes teq; foresq; tuas?*
*Risisti, tendisq; manum, capis, & legis illas,*
*Sat Regem, & uatem est, hæc capere, & legere.*

E GRAECO.

*Menodotum pingens Diodorus reddidit illum,*
*Tam sibi dissimilem, quam populo similem.*

E' GRAECO.

*Perdit Acestoridem claudum chirurgus Agelaus*
*Ne miser in multa claudicet esurie.*

AD AMICVM.

*Quid merito absumptam deploras funere matrem?*
*Morbo erat, & senio debilitata graui.*
*Supplicium fuerat uita illius, & dolor, & mors*
*Pene quidem fœtens illa cadauer erat.*
*Hoc fuit optandum, quod fata dedere parenti,*
*Viuere non erat hoc, sed cupere usque mori.*

E' GRAECO.

*Quam celer est medicus, uetulam siue abluit hic, uel*
*Guttura conclusit, noscere nemo potest.*
*Tantum chrystere audito monumenta coronant*
*Hi subito, hiq; parant funeris inferias.*

E' GRAECO.

*Impediunt animum fortunæ commoda, solas*
*Diuitias animi dicito diuitias.*
*Nam diues, locuplesq; ualet merito ille uocari,*
*Qui uirtute potest utier, atque bonis.*
*Si quis enim numero numeros super addere curat*
*Exsaturatus opum sollicitudinibus.*
*Ille laborat api similis, quæ in uimine texto*
*Mellificans alijs sedula condit opes.*

AD IOANNEM BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Te uideo, atque loquor, sed non me cernis, & audis,*
*Nam dedignaris tuq;, & imago tua.*

*Quin mihi pollicitus speranti haud scribis, inanem*
*Sic me deludis tuq; & imago tua.*
*Et licet hoc uideam spero, cano, & ardeo, quid si*
*Mutuus esset amor? cederet omnis amor.*

E' GRAECO.

*Pauper eram iuuenis, longæuus diues abundo,*
*Solus enim è cunctis factus utroque miser.*
*Nil habui, tunc quum poteram iuueniliter uti,*
*Nunc habeo multum, quum nequeo ipse frui.*

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

*Audiat hoc tellus, mirabitur Amphitrite,*
*Quæ loquor in Reges, magnanimosq; Duces.*
*Quis nam erit Heroum qui se se conferat unquam*
*Gallorum Regi, moribus, ore, manu?*
*Fulminat ense, animo moderatur, pectine pulsat,*
*Vt Mars, Rex, uates, agmina, sceptra, lyram.*

E' GRAECO.

*Cur imprudentes sustollis ad æthera palmas?*
*Insanoq; moues de capite ipse comas?*
*Latonæ inspiciens iram fœcunda creatrix*
*Mitte inconsultis intumuisse minis.*
*Hæc prope iam natam trepidat, cadit ista perempta,*
*Huic grauis, atque atrox imminet interitus.*
*Nec tibi pœnarum est finis, nanq; exitus idem*
*Imminet, & natis, morsq;, dolorq; tuis.*
*Infelix Niobe prolem quoque mortua ploras,*
*Et lapis ad stygias discruciaris aquas.*

E' GRAECO.

Filius atque pater certarunt, quis mage posset
Sortem omnem mandens dilapidare domus.
At postquam tota est absumpta pecunia, demum
inter se debent mandere quod reliquum est.

PRO MATTHAEO GIBERTO.

Ergo iacet, languetq; diu flos candidus ille,
Humani ille puer delitiæ generis.
O Superi est uestrum crimen, uitæ integer ille,
Vnica spes domini, sola salus populi.
Proh dolor, ægrescit, secum quoq; gaudia Romæ,
Officia, ingenium, dexteritas, charites.
Parcite tam sancto iuueni, succurrite & urbi,
Atque orbi, ualeant uota, preces, lachrymæ.
Ab dubijs, fessisq; illum iam reddite rebus
Noster hic Alcides, est quoque noster Atlas.
Præcipue tu Phœbe tuum pater aspice alumnum,
Qui te suspirat, qui tua templa colit.
E cœlo fulsere ignes, cumulentur honores,
Templa recludantur, fumet & ara frequens.
Gratandum, affectæ puer est iam redditus urbi,
Atq; orbi, utrique gaudia iam redeunt.
Spargantur uiolæ, atque rosæ, tum lilia ubique
Cinnama, thus, costus, balsama, myrrha, crocus.

E GRAECO.

Occidit cantor uicinos Simulus omnes
Nocte canens tota, non tamen Origenem.
Fecerat hunc surdum mater natura, rependens

*Pro auditu ut uideat longius Origenes.*

E GRAECO.

*Infelix uolucris nobis datur una uocatis*
*Ad cœnam, alituum nos quoque præda sumus.*
*Nam duo uulturij Tytium tellure sub alta,*
*Nos autem uiuos bis duo dilacerant.*

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

*Arma licet tractes horrenda negotia Martis,*
*Atque uorent animi uera alimenta tui,*
*Non ideo spernas consortia amica sororum,*
*Et secum neruis increpuisse lyræ.*
*Inter bellorum strepitus, cædisq; timores*
*Plympliades socias clari habuere Duces,*
*Nata Iouis munita licet sit cassíde, & hasta,*
*Non tamen à Musis est aliena suis.*

E GRAECO.

*Hæc uera effigies, quam prospicis hospes, Elisæ,*
*Inclyta nam Dido corpore talis eram.*
*Vultu, animoq; nitens æternam in rebus honestis*
*Famam habui, illæso semper honore tori.*
*Nec uidi Aeneam, nec nostris appulit oris*
*Post desolatas Laomedontis opes.*
*Verum ego diffugiens uiolentum Regis Iarbæ*
*Connubium occubui dextera, & ense uolens*
*In me mentiri ueras, castumq;, pudicam,*
*Est graue, Pierides, Vergiliumq; scelus.*

E GRAECO.

*Tam simum nasum retinens suspenderet inquam*
*Se se Ecate, qualem continet ipsa Bito.*
*Lucilli sum casta, & ait, tunc dormio sola,*
*Virgo ego sum uoluit dicere, sed rubuit.*
*Vxorem talem ducat meus hostis, eadem*
*Pignora suscipiat deq́ pudicitia.*

EPIT.

*Qua fueram uectus, nauem succenderat hostis,*
*Tunc rate ab ardenti corripui tabulam.*
*Adnabam, quum traijcior, demergor, & arsi,*
*Terna morte obij, cuspide, aquis, facibus.*

E GRAECO.

*Ne dato marmoreis unguenta, & serta columnis,*
*Nec flamma in uanum perstrepet officium.*
*Si dare uis, dona uiuo, cinis æbrius ipse*
*Fit cœnum, nec erit manibus ullus honor.*

AEMVLATIO.

*Si donare cupis, uiuis largire, sepultos*
*Fax, unguenta, crocus quid iuuat, atque merum?*
*Omnia uana, umbræ uolitant sine sensibus, & si*
*Sensus inest, illis non honor hæc, sed onus.*

AD AMICVM.

*Me uelut Archemorum, atque mei falso arguis hostem,*
*Incolo quod tenebras, exiguumq́ locum.*
*Dicis, & ante diem properare ad fata uolentem,*
*Viuum, & cernentem meq́ sepulchra pati.*
*Quam uellem aspiceres capitis sublimia uostri,*
*Atque obseruares quam procul hinc abeam.*

*Quum rapior sursum, mens & pennata uagatur,*
*Vsque etiam ad cœli lucida templa uolat.*
*Hoc onus ignauum, obscurum, mortale, caducum,*
*Non animæ, ut reris, carcer, & urna meæ est.*

E GRAECO.

*Inspicit hic noctem accensa sub nocte lucerna*
*Informem uxorem qui miseranter habet.*

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Viuo, grauis sed uita mihi est, si uita uocanda*
*Inter egestatis, seruitÿq. iugum.*
*Viuere, & incuruum, canisq; albescere ab annis,*
*Inscribi foribus, Persephonesq; breui.*
*Non satis hæ pestes, Bellona superuenit, ut te,*
*Regeq; destituar spe, medicaq; manu.*

E GRAECO.

*Castoris est nasus ligo, dum fodit, est tuba & illi*
*Dum stertit, falx est dum sua uina legit.*
*Anchora & est nautis, & aranti nasus aratrum,*
*Piscantiq; hamus, coclear adq; dapes.*
*Ascia & est ratium fabris, ad ligna securis,*
*Dumq; putat uites falx, foribus maleus.*
*Castoris hoc rostrum tam cōmodum, et utile, et aptū est*
*Seruiat ut cunctis organum in officÿs.*

E GRAECO.

*Ductor Amadryadum, desertæq; incola rupis*
*Qui colis hanc ædem cornua bina gerens.*
*Te colimus, nobis faueas, quod fontis adustam*

*Perpetui gelido pellimus amne sitim.*

TVMVLVS DVORVM PONT.

*Hoc lapide immundo fœtenti iure duorum*
*Pontificum, & uili membra teguntur humo:*
*Qui postquam uarijs iugularunt cladibus orbem,*
*Indecores tumulis, ut meruere, iacent.*
*Qui sint, omne malum, atq; nefas urbs passa, loquetur,*
*Pressa iugo & patria, & naufraga relligio.*

E' GRAECO.

*Prælia qui scripsit Troiæ pugnata tot annis,*
*Erroresq; Ithaci, naufragia atque Ducis?*
*Non urbem inuenio aut nomen; Rex maxime Diuum;*
*Eloquij ne tui gloriam Homerus habet?*

E' GRAECO.

*Hedorum Regem, quis Thracem ex ære Lycurgum*
*Finxerit? huic tantum calceus unus inest.*
*Qui prope pampineas uites correptus erinne*
*Attollit falcis impatienter onus.*
*Forma audax, antiqua illi, & dementia, ueram*
*Aere etiam infuso monstrat amaritiem.*

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

*Sunt, qui te incusant quidam, generose Valesi,*
*Quod non seruasti pacta, fidemq; tuam.*
*Scilicet, imperio urbem ipsam, grauidamq; triumphis*
*Excidio, & flammis, & rapuisse rogo,*
*Atque sacerdotem summum, patresq; uerendos,*
*Carcere marcentes eripuisse cruci.*

*Si turpe est istud, sanctum est, ferroq; fameq;,*
*Excruciasse homines, et uiolasse Deos.*

E GRAECO

*Hic nimis iste nihil, poterant dormire, ueterno,*
*Et phrenesi inque uno tunc iacuere toro.*
*Qui furiosus erat, consurgit, uerbere multo*
*Atque ueternosum percutit, & lacerat.*
*Conualuere ambo casu, nam cogit abunde*
*Hunc dormire labos, hunc uigilare dolor.*

AD IO. BELLEVM CARD.
PARISINVM.

*Liquisti Heroum sedem, Tybrimq; parentem,*
*Aenthea terreni celsaq; tecta Iouis.*
*Qui te purpureo ascripsit Bellæ senatu,*
*Teq; inter charas annumerauit opes.*
*Hic ubi eras inter proceres sublimius astrum,*
*Vrbis & æternæ gloria, & unus honor.*
*Traxit amor tanti sacros inuisere uultus,*
*Excipere & gemmas Regis ab ore graui.*
*Parco tibi, est Deus ille tuus, si dicere fas est,*
*Et mihi parce etiam, si Deus ille meus.*
*Regem ardenter amas, reuerenter amoq;, coloq;.*
*Tollis in astra illum, iam super astra tuli.*
*Remq;, diemq; dicas arcana negotia & illi,*
*Otia sacraui, uiuaq; templa dedi.*

E GRAECO.

*Non animata animas infudit imagine binas,*
*Colchida quum uellet pingere Timomachus.*

Zelotypam thalami, pariter quoque finxit amantem,
Natorum ad caedem cerne trahi, & retrahi.

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

Non quia sis Princeps, & Regum maximus ille
Sed te Castalides quod uereraris, amo.
Toto equidem ex animo teneris & paruus ab annis,
Et donec Superis debeo, seruus ero.
Vel me respicias uel non tibi destinor, ut te
Constanter celebrem, te & reuerenter amem.
Nam pars nulla tui, quae non mereatur amari,
Te, qui uirtutem deueneratur, amat.

E GR. IN HOROLOGIVM

Venari Phaetontis iter Phaetonta cohercens
Nititur harmonico gnomone mecanica.
Horarum numero aggrediens spatia alta diei
Aurora ab rosea dicere parua silex,
Sergius hoc iussit, potuitq; iubere sacerdos,
Arte uiris gratus, officioq; Deis.

E GRAECO.

Si absentem, me, & praesentem, lacerasq;, probasq;,
Non male mi dicis, nec male miq; facis.

AD AMICVM.

Puppe coloratos per aperta pericula ad Indos.
Hinc fugientem etiam curris ad Hesperiam
Vt Plutum inuenias, & caecum numen adores,
Vtq; flagellatis inuigiles opibus.
Huic studio parcas. Qui multum congerit aurum,

Non diues, sed qui perfruitur modico.
Fabritius Pyrrhum, atque Solon regna aurea Cræsi,
Vicit Alexandrum Diogenesq́; canis.
Quum tibi sufficiens, & sit bene parta facultas,
Deprime auaritiam, tunc opulentus eris.

E GRAECO.

Grammaticen nequeo, ac uxorem ferre, molestas,
Hæc quia bellatrix, hæc quia pauper inest.
Ambarum affectus sunt mors, fatumq́; pudendum,
Grammaticam possum uix tamen effugere.
Linquere at uxorem haud possum mihi bella cientem,
Roma tuæ leges, & mea cartha negant.

E GRAECO.

Mecum hilaris lotus, mecum & cœnatus, at orto
Sole erat inuentus mortuus Andragoras.
Tam celeris fati causam Faustine requiris,
In somnis medicum uiderat Harpocratem.

E GRAECO.

Bellipotens dum Mars terram hanc tutabitur armis,
Gothorum timeat Thracia ne illuuiem.

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

Nobile ad exemplar uirtutum accedite, & alti
Heroem ingenij, Pieridumq́; iubar.
Dicite & huic numeri, pro te dat thura Sabæus.
Proq́; tuis natis, imperioq́; Deis.
Viue diu nobis, sed felix uiue Valesi,
Tu studiorum omnis spes, ratio, unus amor.

*Nam sub te spero florere Helicona, renasci*
*Prisca illa ingenia, & posse uidere Themim.*

E' GRAECO.

*Pythagoram pictor poterat formasse loquentem,*
*Verum Pythagoram conticuisse iuuat.*

AD VIATOREM.

*Fesse siti atque aestu, longoq; labore uiator*
*Ad fontem uenias subsilientis aquae,*
*Omnia te inuitant, uolucrum concentus, & aurae,*
*Murmure quae blando per nemus omne sonant.*
*Arridet somnus uiridi hic placidissimus umbra,*
*Sedabisq; aestum frigore, fonte sitim.*

E' GRAECO.

*Herniam habens* Diophon *puppim conscendere nō uult,*
*Aequoreas quoties nauita sulcat aquas.*
*Hernia pro naui est, super hanc sua pondera ponit,*
*Atque asinum, uelis nam uice linteolum est.*
*Quare uanus honor uester Tritones in undis,*
*Si quod uos facitis, hernia sola facit.*

IN STATVAM VVLCANI ET PALLADIS.

*Quae natura nequit, Plastes coniunxit, & inquit,*
*Connubio sponsus, prole caret genitrix.*

AD FRANC. REGEM GALLIAE.

*Si quantum uirtus, tantum tibi blanda faueret*
*Sors, dominus terrae, Rex maris atque fores.*
*Sed quia caeca, amens, incerta, uolubilis usque est,*
*Non uult dissimiles, nec ualet illa pati.*

*Quod si uirtuti imperium, uel digna darentur,*
*Pontus, terra minor, quam merearis, erit.*

IN LAUDEM MENTORIS SCULPTORIS.

*Serpentem in puro Mentor cælauerat auro*
*Tam uere, ut posses dicere, serpit humi.*
*Impositum mensæ quem quum uidisset Iolas,*
*Aurum pertimuit, deseruitq; dapes.*

E GRAECO.

*Haud Procrus dextra potis est emungere nasum,*
*Dextera nam naso est, longa licet, breuior.*
*Sternutásq; Iouem non inuocat, haurit ab aure*
*Non strepitum, nasus distat ab aure nimis.*

EPIT. HESIODI.

*Post opera, atq; dies, & post genus omne Deorum*
*Hæc tenet Ascreum terra benigna senem.*
*Quem scelerata manus prædonum mersit in æquor,*
*Sed non euasit supplicium illa suum.*
*Delphinum miserata cohors ad littus ab imis*
*Flebiliter uatem detulit æquoribus.*
*Curua Simonum ò gens cantores, atque poetas,*
*Ad uitam, aut sacras fertis ad inferias.*

E GRAECO.

*Dic quis es, unde, patrem, quid uincis denique pugnis?*
*Pythia sum Rhodius, Cosmilus Euagoræ.*

QVOS DICERET SERMONES
*Clitemnestra iugulanda ab Oreste.*

E GRAECO.

*Contra uterum, an contra pectus quo dirigis ensem?*
*Nanque utero gignens peperi, te & pectore paui.*

SVB IMAGINE PICTA FRAN.
Regis Galliæ.

*Si quis in extremo non te cognosceret orbe,*
*Hancq; tui uultus cerneret effigiem.*
*Te morum, te uirtutum iuraret asylum.*
*Principem & Heroum, te fore & orbis herum.*
*Pectoris in medio optaret frustra ille fenestram,*
*Totus ab ore tuo Rex generose pates.*

E GRAECO.

*Hospes forte petis, qui sunt hac mole sepulti,*
*Quorum annos dulces Zopirus eripuit.*
*Damis, Aristoteles, Demetrius, Archisilaus,*
*Sostratus è phario turbáq; multa solo.*
*Nanque gerens uirgam, necnon talaria ut Hermes,*
*Ad stygá enim utque Hermes, quos medicatur, agit.*

E GRAECO.

*O felix uere, & diuina nouacula, per quam*
*Pamphilion crines optulit eximios.*
*Non te humana manus, sed malleus aureus aptat*
*Mulciberi excellens ignipotentis opus.*
*Meonidem aut iuxta ut dicam, uitta atque capillis*
*Compta laborauit te Charis ipsa manu.*

E GRAECO.

IN BVCVLAM MYRONIS

*Me leo hiat cernens; manibus iuga tollit arator,*
*Hostilem pastor suscipit & baculum.*

EPIT.

*Nicolaos piſcis dictus, qui uixit in undis.*
*Aequoris, aggeſta non tumulatur humo.*
*Spreuit enim terram matrem, & commertia noſtra,*
*Et qui uixit aquis, contumulatur aquis.*

AD MICHAELEM ANGELVM PICTOREM.

*Quod te amo, te et ueneror, turba admiratur, et hæret,*
*Quis nam ſit tantæ nodus amicitiæ.*
*Neſcit enim, ſtudio ſimili quod iungimur, ambo*
*Fingimus, ingenio nanque ego, tuq; manu.*
*Ipſe ego & electis uerbis, tuq; ille colore,*
*Vtraque pictura ars, atque poeſis ineſt.*
*Sed tua muta ſilet, fatur mea garrula ut Echo,*
*Si retices reticet ſi loqueris loquitur.*
*Quod ſi noſtra forent iuncta, ut nos iungimur, eſſent*
*Viua, dares corpus, uerba ego, & ingenium.*

È GRAECO.

*Stabant ante Iouem ſpoliati inſignibus armis*
*Di, nec tuta Ceres, nec pater eſt Bromius.*
*Vendit Apolliphanes obolis nam quinque tragedus*
*Quinque Deum ornatus, horrida perſephones.*
*Alcidæ clauam, Neptuni ex ære tridentem,*
*Palladis atque haſtam, tum pharetram Triuiæ.*

È GRAECO.

*Aemonium tu paſcis equum, quem cuncta mouere*
*Verboſæ haud poſſent pharmaca Theſſaliæ*
*Si mihi parueris Diuum ſeruabis honori*

*Ordeo & ex illo fac ptisanam domui.*
*Ligneus est uere sceæ non limina portæ*
*Intraret Phrygibus tractus, & à Danais.*

AD FRANCISCVM REGEM GALLIAE.

*Sydera ut obscurat uertens sol igneus orbem,*
*Nec parcit phœbes orbibus ille sacris.*
*Sic superat Reges uirtute Valesius omnes,*
*Quum calamo, & labijs emicat, & gladio.*

E GRAECO.

*Sub Tmolo egelido uicini flumen ad Hebri.*
*Sardis Lydorum nobilis urbs maneo.*
*Prima Iouis iam testis eram, nam Rhea latentem*
*Natum à me haud potuit noscere nostra suum.*
*Ipsa fui & nutrix Bromio, uidi inde nitentem,*
*Hisq; oculis lato fulmine perspicuum.*
*Et nostris primum ipse rubens autumnus in agris*
*Presserat ex uuis dulcia musta suis.*
*Omnia me ornarunt, sed longum sæpe beatis*
*Tempus edax peperit urbibus inuidiam.*

E. P. I. T.

*Aemula uiua fui Paphiæ, nec fallor, acerbo*
*Occuluit liuor marmore delicias.*
*Viuebam rursum artificis pietate Philena,*
*Ni me uidisset Cypria marmoream.*
*Quod formosa fui, post fata, & iniqua reuixi,*
*Debueram ne mori bis misera ante diem.*

E GRAECO.

*Tres fuerant surdi, reus, actor, & arbiter, ambo*
*Contendunt, iudex surdior his fuerat.*
*Mercedem ille domus quino pro mense petebat,*
*Nocte molam iste autem sese agitare refert.*
*Arbiter hos cernens quid ait contenditis? ite*
*Viuite, tum matrem pascat uterq; suam.*

E GRAECO.

*Sextus non loquitur, pro Sexto clamat imago,*
*Rhetor enim lapis est? immo lapis lapidis.*

DE IMAGINE FRANC. REGIS GALLIAE.

*Quam spectatores ignari cernitis, icon*
*Spiritu, & artifici nobilitata manu*
*Illius est, qui cuncta sua moderamine, regna*
*Allicit, & gentes ingenio, atque manu.*
*Quod taceat, non est mirum, indignatur imago,*
*Et pictam largas non habuisse manus.*

AD AMICVM.

*Gratia promissa est, nec adhuc tua gratia facta,*
*Gratiam enim minuit gratia lenta suam.*

E GRAECO.

*Lentus erat, stadium Euticides dum curreret, at quum*
*Ad cœnam properat, deuolat Euticides.*

E GRAECO.

*Quinque lupi quod edunt, manducas Game supersunt,*
*Quæq; retro porgis stantibus ipse etiam.*
*Cras tamen acedas cum corbe, & spongia, habebis*

*Fragmenta, & micas, ossaq; nuda feres.*

EPIT. FORMICAE.

*Prouida canæ hyemis, quæ grandia farra recondit,*
*Parca sui & uictus, atque laboris amans,*
*Clauditur heliadum lacrÿ formica tenaci,*
*Nititur illa tamen trudere grana humeris.*
*Extenuata artus, quia uitam incusat inertem,*
*Aurata emeruit succina pro tumulo.*

AD IOANNEM BELLEVM CARD. PARISINVM.

*A te si nequo uerbum extorquere nec unum,*
*Num sperare tuas posse licebit opes?*
*Tu mihi dicebas, non unius esse diei,*
*Quam tecum sanxi fidus amicitiam.*
*Iurassem æternam, colui quam pectore toto,*
*Tunc tuus, ut uisum est, mutuus ardor erat.*
*Intrepuit, quia fictus erat, uel nullus, & erro,*
*Quæ non cœpissent, frons tua, uerba, domus?*

E GRAECO.

*Marmoris, & Sexti natura euersa silescit*
*Sextus, pro Sexto marmor enim loquitur.*
*Rhetora agit marmor rhetor quoque marmora, cur sic?*
*Rhetoricen melius rhetore saxa docent.*

AD FRANCISCVM REGEM GALLIAE.

*Qui solitus Diuis dare mascula thura Sabæus*
*Cur nunc det uersus Rex tibi, forte petis.*
*Hæc sunt uota, preces pro te, si uiceris, aras*

Constituam, & Superis tunc pia thura dabo.

E' GRAECO.

Iunonem effingens cur lac lapicida negasti?
Non meruit, quare? sæua nouerca fuit.

E' GRAECO.

Ex ære emisti miliarion Eliodore.
Thrace quidem multo frigidius Borea.
Desine sufflando fumum diffundere frustra,
Emptus enim est crator æneus ad glaciem.

E P I T.

Thoracem, & galeam indutus gladioq; cruentus
Sulcabam placidas naue superbus aquas
Inuidus è specula Boreas me inspexit ab alta,
Et uanos fastus cum rate mersit aquis.
Gutturis ingenti uiuum me absorsit hiatu,
Lamia; quæ iratis post agitata uadis
Littore arenoso iacuit, quam rustica turba
Immanem telis desecuere feram.
Extractumq; aluo integrum me funere condunt
Humanum immitti de tumulo in tumulum.

E' GRAECO.

Scire uolens quæ signa daret defuncta sepulchro
Persono sternutans coniugis ad tumulum.
Sed frustra, surdam, nam nil deuenit ad illam,
Non homini est morbus triste, sed interitus.

E P I T.

Insignem luctu cladem Germanice Vari
Luto, & in obscura ualle iacere uides,

In medio

*In medio campi cognata, albentiaq; ossa,*
*Vndique telorum fragmina, signa, & equos.*
*Barbaricas circumq; aras, pendentia truncis*
*Magnorum arboreis & capita alta Ducum,*
*Heu gemis; aggesta & primus tellure recondis,*
*Extremumq; refers deinde, ualete animæ,*
*Vmbræ infelices, quarum immaduere cruore*
*Hostilis tellus; fletibus & patria.*

E GRAECO.

*Cum sutore ingens tonsor certamen habebat,*
*Tonsorem sutor præpete uicit acu.*

E GRAECO.

*Quid tu te iactas imprudentissime, & amens?*
*Atque insolescis, quum nihil ipse scias.*
*Inter Aristarchos Plato, sed si forte Platonis*
*Dogmata quis quærat denuo grammaticus.*
*Deq; Platone Palemon, deq; Palemone factus*
*Transfuga achademicus, es neque grammaticus.*
*Omnia scire refers, tamen imperfectus in omni es,*
*Omnia quum tentes, nil proprium ipse tenes.*

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

*Pacis amatori statuam tibi maxime Princeps*
*Ponit in arenti littore Praxiteles.*
*Vt qui terrarum sedasti bella, procellas*
*Tranquilles etiam non minus ipse maris.*

E GRAECO.

*Impiam, & esse piam cælauerat entheus una*
*In lapide hoc Plastes, miraq; coegit ab arte*

*Colchida marmoream reminisci hinc inde furoris.*

## AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

*Vt furit occlusis Iani sub postibus altis*
*Irarum impatiens Mars super arma sedens,*
*Vt strepitant animosi Euri, Boreasq́, Notusq́,*
*Carceris obducti concaua ut antra uident,*
*Suspensis rapidi ut rutilant sub nubibus ignes,*
*Subq́; cauis mugit Ennosigeus aquis.*
*Sic Rex magne potens animus tibi feruet, ut ausis*
*Opponunt se se sydera iniqua tuis.*
*Moribus, aut lingua, aut gladio, tibi cederet orbis,*
*Etsi te norunt, forsan & Antipodes.*
*Tunc Themis, & uirgo, Saturnus & ipse redirent,*
*Sponte darent fructus, terra, fretumq́; suos.*
*Feruent uota, preces flectent nam fata, Deosq́;,*
*Si non Rex cœli Cæsarianus erit.*

## E GRAECO.

*Debemus morti nos, nec mortalis habetur,*
*Cui sit uiuendi crastina nota dies.*
*Hæc manifesta uidens genio te dede, lubentem*
*Teq́, scias mortem soluere posse mero.*
*Lætare, exulta fortunæ cætera credens,*
*Vnum, si cupias uiuere, uiue diem.*

## EPIT.

*Dic requiem fessis quæ spectas, ossibus hospes,*
*Quid, nisi cura, labor, pugnaq́;, uita hominum?*

## E GRAECO.

Bacche bibam, uincamq; mero Poliphemon, ut aluum
 Carne suburrauit sanguinolenta hominum.
O utinam infracta haurirem ceruice Philippi
 Ipse cruentatum percupidus cerebrum.
Qui nigrum in puro miscens cratere uenenum,
 Libauit socij fata cruenta mei.

E GRAECO.

Pleiadum haud adeo occasus metuendus, iniqui
 Nec circum scopulos unda agitata maris.
Fulminei non ira Iouis, quam pessimus est uir,
 Verborum & memores, qui saturantur aquis.

AD BLOSIVM DE FONTE CIRcundato corylis, & capillo ueneris.

Saepe hunc ad fontem lachrymari Cypria uisa est,
 Et ferro ambrosias subsecuisse comas.
Vos testes coryli, & moestis concentibus aurae,
 Aeneas tumidis quum raperetur aquis.
Et fons seruat adhuc questus, crinesq; uirescunt,
 Et lachrymis purae plus oriuntur aquae.

E GRAECO.

Inuenit Musam Bacchus placidam, atque iocosam
 O Sicyon in te comon agens charitum.
Dulce argumentum ad risus, stimulumq;, Lyeus
 Aebrius ut ciuem sobrium inesse facit.

E GRAECO.

Furtim hedera obliquo adserpens pede ad alta racemos
 Angis, uitisatam quae Bromij chariten.
Non nos ipsa ligas, te perdis, tempora cingit

*Quis nam hedera uiridi, ni bibat ante merum?*

IN QVENDAM.

*Quid labyrintheo nunc more sophismata tundis*
*Garrule? nec cessas sollicitare Deum.*
*Cómmoda fortunæ an curet, uel negligat orbem,*
*Quæ quoq; sit nostræ materies animæ.*
*Mitte has ambages, & inania bella gigantum,*
*Quod uerum est, multa lite perire solet.*

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

*Quum triplici sanctum caput immortale corona*
*Ornarent patres optime Paule tuum.*
*Sedibus æternis Superi huc uenere, uolentes*
*Nostrum admirari te Dominum, atque Deum.*
*Postquam mirati te maiestate uerendum,*
*Nomine tum numen non minus esse tuum.*
*Et Proceres auro insignes, sacrumq; senatum,*
*Quæ radiant stellis atria & alta suis.*
*Tunc dixere uale ò cœlum, tenet inclyta, & ingens,*
*Astra, suosq; Deos, Roma suumq; Iouem.*

E' GRAECO.

*Centum anni tibi sunt, nec adhuc extincta lauas te,*
*Fertur ut à multis, Eliodora senex.*
*Causam inquam noui, rursus iuuenescere credis.*
*Elixata, senex ac ueluti Pelias.*

E GRAECO.

*Sustuli anum uxorem, fateor, duxiq; puellam,*
*Illam, quod diues, hanc, quia pulchra fuit.*
*Perdita anus turpis, uirgo & formosa reperta est,*

*Quem non expugnant diuitiæ, atque uenus?*

E' GRAECO.

*Agricola ò utinam maneat tibi uita beata,*
*Atque ligonis opus, pauperiesq; tua.*
*Cœna tibi est tenuis, dormisq; quietus in herba,*
*De dulci & puro fonte bibuntur aquæ.*
*Attamen es ualidus, paulumq; moratus habebis*
*Ibidis absque opera non graue uentris onus.*
*At miser est diues, cui sunt conuiuia curæ,*
*Insomnesq; tori, pœna graues loculi.*

IN POSTVMIVM.

*Hæc tria auent nimiũ, et semper, mare, femina, et ignis*
*Post quartam adde tuam Posthume auaritiam.*
*Propter auaritiam es passus mensæq; toriq;*
*Continuas lites intolerabiliter.*
*Nam tua zelotypa, atque ardens, opulenta, superba*
*Prima, secunda uxor, tertia, quarta obijt,*
*Et quintam ducis miser ipse, miserrima & uxor,*
*Tu bellum assiduum; comparat illa necem.*

E' GRAECO.

*Multi multa ferunt, fluctum qui te obruit omnem*
*Haud possunt ullis exprimere alloquijs.*
*Vnum admiramur cuncti incredibile & ingens*
*Quomodo subfurans tam cito collachrymas?*
*Calcide qui è terra uenit, nostrum abstulit aurum,*
*Depopulans fictis nos gemitu, & lachrymis.*

E' GRAECO.

*Nocte sub illustri turpes uidet ille tenebras.*

*Qui cubat, informi coniuge cum uetula.*

AD ALFONSVM OLIVVM

*Forti animo, postquam ueniunt aduersa, memento*
*Illa pati, sapiens hæc patienter habet.*
*Quippe coronati nisi certes, dantur honores,*
*Non nisi per casus gloria habenda graues.*
*Vita sine incursu fortunæ est somnus, & umbra,*
*Vt decertemus, uiuimus, hoc stadium.*

E GRAECO.

*Diues es, ut dicunt multi, mihi pauper haberis,*
*Vsus opum est diues, testis Apolliphanes.*
*Si tu opibus frueris, tua sunt tua, parceris at si*
*Nunc nunc, quæ tua sunt, esse aliena puta.*

E GRAECO.

*Argentum, atque aurum non cinnama auarus odorat,*
*Debili enim stomaco fertur inesse Criton.*

AD ACTIVM SYNCERVM

*Inter Apollineos ò maxima gloria olores*
*Synceri, & patriæ splendor & Ausoniæ.*
*Conatus commendo tuos, qui scandis ad astra,*
*Nec metuis flammas, monstra, nec arma poli,*
*Atque refers arcana Deum, cœliq; labores*
*Signa, potestates, nomina, fata, uiam.*
*Non ideo uolucrem, atq; sitim patieris in unda,*
*Namq; lyræ ad melos tartara, & astra silent.*

E GRAECO.

*Vita hominum infelix, & inops sortis iocus inter*
*Pauperiem medium, diuitiasq; tenet.*

*Nos fortuna premit, quum uult'q; extollit, eosdem*
*Rursus & à nebulis deprimit, & tumulat.*

MVSA AD ALEXANDRVM Cardinalem Farnesium.

*Quum mihi non liceat, tam rarum accedere Regem,*
*Formidata inter plurima & arma loqui.*
*Da, precor, accessus, & mollia tempora fandi,*
*Qui potes unanimi pectore iuncte Duci.*
*Hoc Fausto debes, qui te excolit, optat, & ardet,*
*Cuius ob officium regia tecta peto.*
*Insuper es Mystes ad quem spectat'q;, decet'q;*
*Mortales Superis conciliare Deis.*

E GRAECO.

*Quum quis opes pauper, magnum & sortitur honorem*
*Immemor efficitur, quid prius ille fuit.*
*Spernit amicitias ueteres, nec lubrica noscit*
*Fortunæ instabilis gaudia, tum uitreæ.*
*Irus, & infelix fueras, quam'q; ipse petisti,*
*Nec curas Cererem tradere nunc aliis.*
*Omnia prætereunt homini, si credere non uis,*
*Veridicus testis tu potes esse tibi.*

AD HIERONY. ALEANDRVM.

*Postposita Aiacis uirtus ut stabat Vlyssi*
*Iudicio Danaum dilaniata comas.*
*Sic tua posthabita inferioribus inclyta mœret*
*Consilio atque dolis magne Aleandre patrum.*
*Arma sed Aiacem petiere natantia ut ultro*
*Ad te sic ueniet sponte negatus honor.*

Nouisti una hostes & amicos, nanq; galerum
Quem pauci eripiunt, urbs tibi tota dedit.

E GRAECO.

Si memor es, quum te genitor plantaret in aluo
Materna exueres ipse supercilium.
Sed quia per somnum, referente Platone, superbis
Te plantam cœli stelliferi esse putans.
Sed cœno es genitus, quid enim te extollis? honesto
Rem turpem uerbo dicere sic uolui.
Sed si uerum aliquis petet, ipse libidine turpi
Et fluxu spurco sanguinis es genitus.

AD NYMPHAS GALLIAE.

Quæ colitis castæ ridentia prata, perennes
Et fluuios, montes frondiferosq; Deæ,
Dicite, nam dubijs rebus timuistis? ut hostes
Tentarunt Rhodani frangere colla iugo?
Quum caput extollens furibundum, & cornua cursu
Terruit hostiles præcipiti ille minas.
Inuictumq; Ducem, uictricia & arma fugauit,
Iam uos securis uiuite ubique locis.
Spargite sed Rhodanum felici messe, triumphans
Victor odoratis defluat auctus aquis.

E GRAECO.

Elesa quid in natos crudelem colchida hirundo es
Nutricem natis passa habuisse tuis?
Sanguinolentum & adhuc hircus nam fulgurat ensem,
Et spuma, & rabies stillat ab ore suo.
Fac fugias gladium, & matrem modo sanguine tinctã

Pignora & in cera conficit ense parens.

E' GRAECO.

Pessime oles anima, blæso tuq; ore loquaci,
Ac crepitu uentris qui strepis assiduo.
Podice, & ore pari es, nares testantur, & aures,
Tantundem resonant, pedere, teq; loqui.

E' GRAECO.

Os aperi, & nasus stet contra lumina solis,
Ostendes horas omnibus ut remeant.

AD GVLIELMVM PONT.
Megalonensem.

Ante fores clausas binis nec profuit horis,
Ieiunus, mensam quum popularis eram.
Alloquor hunc, illum, dixere, morare parumper,
Iam Gulielmus adest; non uenis, inde abij.
Nescio quis nostrum in culpa, expectare molestum.
Damnosum siculas deseruisse dapes.
Dixero si uerum, parcas, peccauimus ambo
Attamen est uenia dignus uterque sua.
Ille ego discedens, tardans reus ipse fuisti,
Sed tuus utilior, quam meus error, erat.

E' GRAECO.

Tempus, et usuram numeras infauste, capillos
Ante diem & niueos accelerare facis.
Non iucunda canis, non serto tempora cingis
Non bibis, unguenti non odor ullus adest.
Occumbes, tabulas opulentas quippe relinques,
Vnicum & ex tantis inde feres obolum.

E' GRAECO.

*Falsa in Alexandro mors est enim uerus Apollo,*
*Non orcus, ualidos tangere nanq; solet.*

AD HERINCVM GALLIAE REGEM.

*Nescio, quis uestrum accensis altaribus omni*
*Munere sollicitet numina celsa magis.*
*Vel tu Rex Latio tua lilia ut aurea plantes,*
*Vel Latium ut studijs excolat illa suis.*
*Di facite, ingenijs ut quæ est, & moribus aucta,*
*Vernet & auratis floribus, Ausonia.*
*Taliter excultam optatus moderetur, & ornet,*
*Rex Regum ille animo, corpore Duxq; Ducum.*

E' GRAECO.

*Quam iaceo à terra Italiæ procul, atq; Tarento*
*Patria, acerba mage hæc res mihi uisa nece.*
*Errantum uita hæc non uita, at Phœbus amauit*
*Me, quid enim mellis mi tot amara ferunt?*
*Attamen haud perij, ut dicunt, sacra munera Phœbi*
*Extollent famam tempus in omne meam.*

E' GRAECO

*Argiuæ hæc Helenæ forma est peramanda, bubulcus*
*Neglecto rapuit quam Ioue, & hospitio.*

DE PAVLO III. PONT. MAX.

*Euocat orbe alio Paulus quos mittat in astra,*
*Et qui astra attingunt, deijcit inde suos.*
*Et dum uirtuti applaudit, dum moribus idem,*
*Virtutem, & mores trusit ad usque famem.*

*Quotq; sibi, atque suis cydari mercatur, & auro,*
*Sentiet infestos tot sibi, totq; suis.*
*Scire cupis causam, dicam, si accedis, in aurem,*
*Fœdat enim ambitio cuncta, & auaritia.*

E' GRAECO.

*Mœonide Musa in rapidos quem duxit iambes*
*Grata ferens, sub humo hac clauditur Archilocus.*

E' GRAECO.

*Quam leue onus uitæ, duplus sapientis amictus*
*Peraq; tum baculus Diogenis Cynici.*

IN CATILINAM.

*Scæuola, tu & Curti, dextræ, tum parcite saltu*
*Et pontem Cocles nunc tuæare tuum.*
*Et uos ò Decij ne perdite, tuq; Camille*
*Brennum mitte, hostis sæuit in urbe magis.*
*Currite, quid statis? dubiæ succurrite & urbi,*
*Trade urnam Minos, & Rhadamante tuam.*
*Ecce faces uestram iactat Catilina per urbem,*
*Diruere & tentat mœnia, templa, domos:*
*Ni uigili occurrat Cicero cura, atque labore,*
*Et ni tutetur mœnia, templa, domos.*
*Ite animæ illustres, pro cunctis sufficit unus,*
*Vrbis enim æternæ est in Cicerone salus.*

E GRAECO.

*Quid uelut æs numeras labentia tempora? fronti*
*Sic canos fudit dinumerata dies.*
*Computus hic fatum uocat, ebibe, necte corollas*
*Temporibus, bene olens tempora falle chely.*

*Sat morienti obolus, partis ne gaudeat hæres,*
*Cuius sub lachrymis gaudia operta latent.*

E GRAECO.

*Diuitiæ tibi sunt, animus sed pauperis Iri,*
*Hæredi es diues, pauper, inopsq́; tibi.*

EPIT.

*Certaui hic pugnæ posui fracta arma, resumam*
*Integra ad æterni Iudicis ipse tubam.*

EPIT.

*Ne quæras nomen, patriam, studiumq́; uiator,*
*Sat tibi si nostrum noueris interitum.*
*Diues eram, seruus me occidit, & abstulit aurum,*
*Atque diu clausis sic iacui foribus.*
*Tandem ob fœtorem, qui cuncta repleuerat, inde*
*Dum trahor, heu cuncti corripuere fugam.*
*Solus, honore carens, sine luctu, & luce cruentus,*
*Putidus, infamis, fabula condor humo.*

E GRAECO.

*Tu Paridis mala, & Atridæ foris instruis, intus*
*Et tuæ habes Helenæ non Paridem, at Parides.*

E GR. IN ARIADNEM.

*Non te mortalis Plastes sub rupe cubantem,*
*Pinxit, sed qualem uidit amens Bromius.*

IN LAVDEM FRANCISCI REGIS GALLIAE.

*Credere quis posset, quod tanto milite, & armis*
*Gallica abundarent sceptra, tot & Ducibus?*
*Quodq́; animos possent Franci frenare uiriles?*

*Audacesq́, manus continuisse suas?*
*Vincere cunctando maior prudentia, honorq́;*
*Sæpe quidem casus, qui nocuere, iuuant.*

E GRAECO.

*Medeæ statua hæc, oculos quæ tollit in iram,*
*Flectitur in natos & pietate simul.*

E GRAECO.

*Vos, quibus innocui curæ sunt orgia Bacchi,*
*Spe propriæ uitis pellite pauperiem.*
*At mihi sit crater iuxta, lacus atque Lyei,*
*Plena & sint pingui dolia lætitia.*
*Mox ubi siccaro uini cratera repletum,*
*Bella canistreis sint mihi cum pueris.*
*Non mare turbatum timeo, non fulgura, fidum*
*Audacem, intrepidum me facit esse merum.*

EPIT. NIOBES.

*Intus habet nullum, quam prospicis, urna, cadauer,*
*Immo cadauer inest, non uacua urna, meum.*
*Quin ego nec sum istud, minus illud, at istud, & illud,*
*Nanque ubi facta fui saxea, utrunq; fui.*

E GRAECO.

*Nassa, tui & remus Pelagon monumenta laboris,*
*Quæ pater obtulerat, sacra, meniscus, erunt.*

E GRÆCO.

*Contegimur sylua in cranea duo pignora Achilli,*
*Eustratus infelix, Mantiadesq́; simul.*
*Montiuagi agricolæ, tumuliq́; insigne securis,*
*Artis enim nostræ ligna secare fuit.*

E GRAECO.

IN APIANVM BIBACEM

Quae modo praeposita est, superest tibi littera, dempta
Inuenies nomen uerius esse tuum.

AD VICTOREM MARTINENGVM

Domnum uillae clarae.

Sponte libens aegro dederis quum munus egenti
Tam bene praestare est, suscipere officium.

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

Musae ibant tristes, & ego tunc tristior illis
Dudum explorata Principum auaritia.
Quid faciam? nix alba caput iam tinxit, egestas
Me premit ò miserum terq; quaterq; senem.
Inualidus nequeo duros uersare ligones,
Marcesco, & uires consenuere meae.
Erubeo pulsare fores, & dicere egenti
Porgite, mendicis non ego natus auis.
Quanuis ille meas & oues absumpsit, & agnos
Pontificum uere maximus ore Leo.
Tu Bellaee inquam flos fragrantissimus inter
Lilia, cana nitens purpureasq; rosas.
Spera, inquis, uos & ne desperate Camoenae,
Gallorum larga nobilitate Ducis.
Nam spes, & ratio studiorum in Principe nostro,
Qui decus est Phoebi, Pieridumq; chori.
Spero equidem, dixi, inspiciens quod lilia ubique
Cana, & apud Gallos aurea facta nitent.

E GRAECO.

*Transimache insidijs Plutus tibi multus ademptus,*
*Venisti extemplo nunc miser ad nibilum.*
*Fœnore, auaritia, usuris, & fluminis haustu,*
*Pallidulaq́; fame ditior ut fieres.*
*Quare si numeras recte tibi pocula, & aurum,*
*Tanta tibi nunc sunt, quanta fuere diu.*

AD SYLVEST. FERRARIVM.

*Messorum quidam è turba processit aquatum,*
*Vidit & ad fontem diffugientis aquæ.*
*Pugnam aquilæ atque hydri, miseratus at iste periclum*
*Alitis arrepta falce secat colubrum.*
*Libera aue optatis scitulam compleuerat undis*
*Et dederat socijs pocula iniqua suis.*
*Postremusq́; sitim dum uu't sedare, uolucris*
*Illa eadem infectas impete uersat aquas.*
*Factum incusabat messor, sociosq́; natantes*
*Morte uidens laudat, cui maledixit, auem.*
*Quæ letum occultum festinans procedere signo*
*Dum uisa ingrata est, officiosa fuit.*

E GRAECO.

*Se uoluit Demarchus heri suspendere parcus,*
*Ob pretium laquei non tamen occubuit.*
*Funiculus nam sex nummis constabat ementi,*
*Noluit, inquirens ære minore necem.*
*Quam male auarus erat, cupiebat Glauce perire,*
*Sex miser ob nummos nec perijt periens.*

AD ALEXANDRVM CARD. CAMPEGIVM.

Non nisi iusta uelim, dices, petis ardua, quae sunt?
Iudicij telam soluere posse breui.
Causidici, & scribae, & iudex, & curia, clamāt.
Immo ipse exclamo, differor, & spolior.
Ingeminabo etiam, excorior uiuensq;, uidensq;,
Sentiat ut tellus omnis, & Antipodes.
Telam hanc Penelope, telam hanc contexit Aragne,
Non est iudicij tela, sed exitij.

E GRAECO.

Humani generis coniurauere ruinam
Demon uespilo, tum Crateas medicus,
Vincla ex entaphijs Damon furata ferebat,
Alliget ex illis ut Crateas medicus.
Damoni at Crateas, quos procurauerat omnes
Mittebat, Damon traderet ut tumulo,

AD ANGELVM COLLOTIVM

Quando ego solicitum uideo te errare per urbem,
Parcere non uentis, solibus, & pluuijs.
Et lite implicitum, illa, illa, quae te usque fatigat,
Saepe ignominiam, uerba & iniqua pati.
Indoleo, & dico, Italiam spoliastis Iberi
Ausonias iterum dilapidatis opes,
Nanq; erat Aonidū, & Phoebi hic iam portus, et aura,
Naufragat at secum Phoebus, & Aonides.

E GRAECO.

Noctua triste canens super atria carmen ut hausit
Demophili, subito concidit, & peryt.

E' GRAECO.

Concretum ex atomis Epicurus dixerat orbem,
His minus, & leuius credidit esse nihil.
Si tunc uidisset Diophantum de Diophantis
Diceret ille atomis quid minus, & leuius.
Aut alia ex etomis fieri scripsisset, & ipso
Ex Diophanto illos Alcime inesse atomos.

E GRAECO.

Caius heri extremum spirans dum traditur urnæ,
Quod condi posset, nil morientis erat.
Nam qualis uixit, talis descendit ad orcum,
Tam tenues umbræ, non acheronta colunt.
Affines humeris uacuum subiere pheretrum,
Supra inscribentes, Caius it ad tumulum.

EPIT.

Ante diem occubui seruati patris amore,
Nanq; dedi uitam, qui dedit ante mihi.

AD CAROLVM CARD.
Matisconensem.

Inter apostolicos patres, sacramq; coronam
Iamdudum uidi te tenuisse locum.
Nunc licet herculeo resplendes murice, uirtus
Ante tuum tali cinxit honore caput.
Ergo nihil dices Paulus mihi contulit? immo
Multa, tuis plausit moribus, & meritis.

E' GRAECO.

Sole sub æstiuo inueniens Macrona cubantem
Mus pede protraxit, condidit inq; cauo.

Mure ibi & attrito Macron exclamat, olympi
O pater Alciden Iuppiter ecce nouum.

AD AMICVM.

Et si te tentat nodosa podagra, dolentem
Et chiragra informis, hoc patienter habe.
Arescunt agri, putei exsiccantur, & amnes,
Adlatrat terras, & mare, & astra canis.
Velle repurgari ne cures, omnibus ægris
Non bene consultum est sub cane, & ante canem.

E GRAECO.

Icon declamat Sexti, obmutescit & ipse
Rhetor enim est icon, & rhetor imaginis icon.

E GRAECO.

E numero Diuum nemo uelit esse, superbi
Ne'ue magistratus sceptra tenere petat.
Gessius exemplum est, cecidit qui elatus ab alto,
Et secum sortis rettulit ille nihil.
Vltro iracundum genus ò mortale, tumens'q;
Nil sapis incertæ mortis ad usque diem.

E GRAECO.

Ex his nil peccans, qui me genuere, tremenda
Exortus triplicis ducor ad ora canis.
Pestifera ætatum commixtio, tu'q; necessum,
Me miserum horrendas trudis ad tenebras.
Nil fueram ante ortum, rursus post funus ero nil.
Vt prius, & nullum, ac nil genus omne hominum.
Porrige amice igitur uini cratera, bibendo
Instantis fati mergitur iste dolor.

E' GRAECO:

*Morte putans uitæ mores mutasse nouercam,*
*Floribus ornabat iam monumenta puer.*
*Quum puerum elisit collapsa columna, nouercam*
*Priuigni & cesam diffugite, & tumulum.*

E GRAECO.

*Etsi amat, usque tamen priuigno infida nouerca est,*
*Phedra quidem hoc monstrat, nouit & Hippolytus.*

EPIT.

IVNIPERAE DILECTAE.

*Iunipera hac posita est, dolor, & meus ardor in urna,*
*Par Veneri Paphiæ, non tamen ipsa Venus.*
*Quæ nisi ab humanis fato sublata fuisset,*
*Non modo par Veneri, sed propria ipsa Venus.*

E GRAECO.

*Exiguos pisces, & fallens menidas hamo*
*Pyrrhus solus erat nauita naue breui.*
*Littoribus procul afflatus qui fulminis igne*
*Concidit ad littus sponte ratis rediјt.*
*Nec fuit argoæ audacis tunc inuida puppis,*
*Sulphure tum fumo nuntiat illa necem.*

ALITER.

*Solus naue senex dum fallit arundine pisces,*
*Saucius igne Iouis decidit in pelagus.*
*At miserata necem domini ratis ipsa reuersa est*
*Sponte domum, fumum sulphuris inde ferens.*
*Et quia muta fuit, mortis demonstrat odorem,*
*Et quod aquis dominus arserit in mediјs.*

ALITER.

*Solus lyntre hami piscator fulmine tactus*
*Occubuit, nauis littora sponte petit.*
*At timor, & sulphur uocem quia clausit, & ora*
*Visa ratis tamen est dicere, uixit herus.*

AD NAVTAM.

*Instabili, infido, & surdo, quid nauita tentas*
*Naue leui, & fragili credere te pelago?*
*Viuentem cædis syluam uelut ipse Lycurgus,*
*Et uehis in pontum Bellerophontis onus.*
*Sæpe tuam in mortem uentos ad uota precaris,*
*Et dominum uitæ percutis ipse tuæ.*
*Nam mare ut effugias, natura effecit amarum,*
*Viue solo, est nauis uiui hominis tumulus.*

E GRAECO.

*Ad Manes est recta uia, & descensus, Athenis*
*Si uenies, uel si mortuus à Meroe.*
*Nec procul à patria periens cruciaberis, idem*
*Vndique te ducens ad styga uentus erit.*

AD SYLVEST. FERRARIVM.

*Misisti munus, grates pro munere misi,*
*Redde mihi grates, munera reddo tua.*
*Dispeream, si non fregi unum, bina, decemq́;,*
*Vana fuere nouem, marcidum erat decimum,*
*Experiare, ideo pistacia missa remitto,*
*Ne rumpam dentes, decipiamq́; famem.*

E GRAECO.

*Pontum attentasti princeps audacia naui,*

Et lucris nostras sollicitasti animas.
Quale dolis lignum aptasti? & lucrum inijcis orbi?
Morte redargutum, quam bene gens hominum
Aurea amauit humum, quia quod tellure remotum est
Horruit, ut stygias, quum mare uidit, aquas.

E' GRAECO.

Terra humili tectum meditantem summa Thaletem
Inspice, sed nomen transit ad usque polum.

AD PETRVM CVRTIVM.

Tu qui certasti Mauorte, & Apolline dextro,
Fortis enim gladio, fortior & calamo.
Non multo ô Curti differs à Curtio, uterq;
Arma resumpsistis pro patriae exitio.
Ausonij dudum senserunt nominis hostes,
Quàm bonus es miles, quàm generosus eques.

E' GRAECO.

Quod cernis marmor sibi met construxerat olim
Maximus in uita, quod coleret moriens.
Cumq; Calepodia hanc uxore parauerat urnam,
Quae foret in morte pignus amicitiae.

E' GRAECO.

Rex Spartane Leo deuictos marte potenti
Magnanimos tecum contumulauit humus.
Passi inquam hi plures arcus & robur equorum,
Et celeres Medum sustinuere manus.

EPIT.

Lausus eram, patrem qui dum tutarer ab hoste
Instanti, mortem pro pietate tuli.

Cæde mea erubuit genitor seruatus, & ut me
Vindicet, Aeneæ cæsus & ipse manu.
Debemus geminos quamuis occiderit, illi,
Ipse pijs lacbrymis, ob mouumenta pater.

AD IOANNEM BAPTISTAM FLAVIUM.

Aula, quies, libri, plectrum, mea commoda Flaui,
Atque sodalitium, sunt tua uota, meum.
Ne mihi ne inuideas, facile ista & babere, fruiq;,
Verum pro cunctis una roganda quies.

DE AMICO QVODAM.

Differor infelix. mea me opprimit, enecat uxor
Informis, petulans foeda, procax, uetula,
Vult ut amem, et bona uerba loquar, patiarq;, qs umbras
Tartareas potis est alloqui, amare, pati?
Certe illam occidam, peream licet ipse securi,
Malo semel mortem cernere, quam toties.
Quid si illam inueniam, à Minoe resumere & illam
Peiorem cogar, alloqui, amare, pati?
Ne ruar in peius, mea me opprimat, enecet uxor
Si rixa in tumulo est, quæ fuit in thalamo.

AD IO. MARIAM CARD. DE MONTE.

Sperasti cidarim, quum sis dignissimus illa
Nam summo in patres iure uocandus eras.
Es compes uoti tandem, quia Paulus honori,
Virtutiq; tuæ, consuluitq; sibi.
Natus enim sapiens genitori est gloria, demum

Pontifici tanta est laus, tibi quantus honor.
Num desyderio, an meritis tibi contigit istud?
Et desyderio contigit, & meritis.

E GRAECO.

Lydia Amintor humus retinet te nate Philippi,
Cui fuit in bello ferrea utraque manus.
Non periit morbo, sed nixus robore utranque,
Feruentis currus uelle tenere rotam.

E GRAECO.

Quid parere? & partus frustra tolerare laborem?
Nati si genetrix est dolitura nece.
Mater enim iuueni Bianori enixa sepulchrum,
Contra erat à nato contumulanda parens.

PRO MVTIO SEVOLA.

Ne doleas animosa manus, iam Mutius inquit,
Dum patitur sacros igne perusta focos.
Sola Deos placas, hostem quoque uincis, ab urbe
Igne ignem, & ferrum pellis, & exitium.

E GRAECO.

Ad uatem luctator olympon Onesimus iuit,
Et certator Hylas, & stadii Monocles.
Noscere tentantes horum quis uincet agonem,
Hic uoluens sacras Vraniæ tabulas.
Quisq; ait euincet, si non te præterit ullus,
Te modo ne euertat, te quoque ne superet.

Ad pamphilum saxum.

Tristis es, ut uideo, mecum hac requiesce sub umbra?
Qua platanus uitreas multa coronat aquas.

*Hic mi Saxe graues oculos mulcebis, & aures*
*Sedabis curas, tristitiamq; tuam.*
*Hic auium cantus, gemmata applaudit & herba,*
*Nanq; aures cantus mulcet, & herba oculos.*

AD IOANNEM COTTAM.

*Pars non parua meæ quondam mi Cotta salutis,*
*Cotta sodalitij primaq; cura mei.*
*In studia ò quoties ego te, lususq; uocaui,*
*Has scio iam nugas perplacuisse tibi.*
*Non tamen absisto, quin toto pectore amem te,*
*Tam tuus & nunc sum, quàm tuus ante fui.*
*Nec locus, aut tempus tanto me abiunget amore,*
*Quin & amem, & cupiam dimidium usque mei.*

E' GRAECO.

*Dilectum medicus gnatum mihi tradidit olim,*
*Vt sub grammatico grammaticus fieret.*
*Iram ubi percepit primum, multosq; labores,*
*Vtq; sequens carmen uidit, & ut didicit.*
*Ante diem ut multos mortales misit ad orcum,*
*Non magis illum ad me iussit adire pater.*
*Verum ubi me inspexit, dixit, tibi gratia habetur,*
*Nam prope me natus percipere ista potest.*
*Ante diem ipse animas multorum ad tartara mitto,*
*Est opus hac in re non mihi grammaticis.*

E' GRAECO.

*Sum Dea ab Arcadia referens audita uicissim*
*Verba, habito & Bromij proxima tecta Dei.*
*Bacche tuum socium, & conuiuam haud amplius odi,*

O Pan, dicemus dulcia uerba, ueni.

PAN AD ECHO.

Hoc unum dilecta Echo, & charissima dic, DIC.
Pulchra Corisca mihi si bene uult, BENE VVLT.
Quandò erit illa mihi, uotisq; parata? PARATA,
Ergo illi multum dic quod amem, QVOD AMEM,
Pro pretio, obq; fidem nummos, & munera da, DA,
Voti ero num compos tunc dati & æris? ERIS.

E GRAECO.

IN APRVM CALIDONIVM.

Aeneus ast, uideas, quantum est, licet æneus, audax
Sus, nanq; artificis uiuit in ære sui.
Erigit hic setas cubitales, frendit acutis
Dentibus, horrendis territat atque oculis.
Ora madent spuma, quid mirum est ergo? phalangem
Magnanimam iuuenum si laniauit aper?

AD DEOS PRO HENRICO Rege Galliæ.

Di maris, & terræ, quibus est data cura tueri
Itala præsenti regna superba manu.
Ad laceræ auxilium Ausoniæ properate uocati,
Heu, non auditis uota, preces, lachrymas?
Oppida nanq; lupi incursant, aquilæ, atque leones,
Atria, fana, domus, plena cruore madent.
Qui solitus nobis medicare Valesius ægris,
Vltra alpes gemitus sensit, & arma capit.
Iuppiter aspira, nam uincens Gallia condet
Aurea templa Deis, aurea secla uiris.

E GRAECO

*Clauda tibi mens est, ueluti pes claudus, imago est*
*Interior talis, qualis & exterior.*

E GRAECO.

*Cornicis si tu, cerui uel tempora uiues,*
*Do ueniam, plures si modo quæris opes.*
*Sed si hominum es quisquam, quem ledat cana senectus,*
*Fac ne immensa æstro prædia te exagitent.*
*Ne intolerabilibus moriare doloribus, alter*
*Affatim & rapiat, quas cumularis opes.*

AD CORNELIVM LAMBERTINVM.

*Luctibus assiduis Corneli, & parce dolori,*
*Nec tibi, nec nato est utile flere diu.*
*Quum semel intrarunt adamantina claustra silentum,*
*Non possunt manes inde referre pedem.*
*Vel sentit, uel non, luctum, ingratissimus ille*
*Si sentit, si non, quid iuuat iste dolor?*

E GRAECO.

*Aspice, res mira est, pietasq; furorq; morantur*
*Coniuncti iratæ Conlchidos in cilijs.*
*Armatam & matris dextram, passæq; maritæ*
*Dura, suæ ad prolis fata cruenta trahi.*
*Sed cædis finem pictor mira occulit arte*
*Vt ne animo attonitus concidat ob lacbrymas.*

ALLVSIO.

*Sæua uidebatur Colchis quum stringeret ensem,*
*Et pia, quum memor est sanguinis illa sui.*
*Ira & amor matrem exagitant, uult parcere, nec uult,*

Nolle est Medeæ, uelle parentis opus.

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

Arbiter imperij terrarum, atque ætheris alti,
Et formidatæ maximæ terror aquæ.
Si decimi insurgunt in te toto æquore fluctus,
Plurimaq; aethois sibilat hydra iugis.
Nil timeas, fluctus tumidos deuicit, & angues
Paulus ab Eois Romula tecta petens.
Nam qui te huic cymbæ imposuit, mirabile dictu,
Nubibus, & uentis imperat, atque mari.

E' GRAECO.

A summo usque imum, quam cernis amice uiator,
Vertice constructa est à pietate domus.
Non raptis hinc inde operis, non fraude maligna,
Sed proprio erexit ære Macedonius.
Nec fuit iste labor uanus, nec inutilis illi,
Nec gemuit sumptus, quas quoque fudit opes.
Iusto homini ut requies, & pax seruata laborum est,
Sic recti exultant, & pia facta manent.

PRO HENRICO REGE GALLIAE.

Pallas inermis erat, Gradiuus & ante Tonantem
Miranti imbelles dixit uterque Ioui.
Itala regna gemunt oppressa tyrannide, ut ipsa
Templa, suosq; putent deseruisse lares.
Qui solitus sacros semper defendere honores.
Rex parat afflictis auxilia alta uiris.
Liberet ut Latium, nos exarmauimus, illi

*Ipsem ego, bellatrix virgo dedit clypeum.*

E GRAECO.

*Sexte taces, tua uerba facit de marmore imago,*
*Rhetor imago ipse est, & imaginis extat imago.*

E GRAECO.

*Tanquam hortum populatus heri inuitauit Apelles,*
*Credens nos herbis pascere uti pecora.*
*Intuba, lactucæ, porri, radicula, bulbi,*
*Rutaq́; menta, & erant appositi asparagi.*
*Non bene adhuc madidos comedens tristesq́; lupinos,*
*Post hæc ne & fœnum traderet, aufugio.*

EPIT.

FRANC. DELPHINI GALLIAE

*Quod mortale fuit, quodq́; immortale secundi*
*Francisci tellus, Di gremioq́; tenent.*
*Nam ueluti flos est duro succisus aratro,*
*Heu spes, forma, & opes quam cito ueris eunt.*
*Ni Parcæ obstarent, plantasset hic aurea uictor*
*Littore in Eoo lilia, & Hesperio.*

E GRAECO.

*Qui formosus eram, iuuenis, diuesq́, potensq́;,*
*Testa retecta ego sum, turpis imago uiri.*
*Orba oculis, nudata comis, sine uoce, lacertis*
*Peruia, sub uentis, imbribus, atque gelu.*
*Inijce humum, tu qui transis sub imagine tali,*
*Si non uis nostri, sis memor ipse mei.*

EPIT.

SCIPIONIS SUPERIORIS.

Oſſa uiri, Pœnum qui iam, & Carthaginis arces
Vicerat, inquiris hoſpes in urbe, Ducem.
Diſcedens patriæ ingratæ negat illa, ſed omnis
Vrbs, licet inuiti, eſt: nam monumenta Ducis.

AD CAROL, LOTH. CARD.

Optatæ interpres pacis fidiſſime Achates
Principis illius, quem reuerenter amo.
Sis felix, Regis noſtri Di & uota ſecundent,
Vt nos, exultent & Phaetontis equi.
Chriſte faue, tua res agitur, quam tu ipſe probaſti,
Liquiſti & pacem, poſcimus in gemitu.
In cinere, & lachrymis, da Chriſte, expoſcimus illam
In gemitu, illam omnes in cinere, & lachrymis.

EX GRAECO.

Mors inſtat cunctis mortalibus atra, nec ullus
Eſt, cui ſit uitæ craſtina tuta dies.
Certus ut inſtantis læti es, genialis agatur
Vita, metum fati uincere uina ualent.
Gaudia te oblectent, & agenda negotia ſorti,
Trade, hominum uita eſt una putanda dies.

AD FRANC. DELPHINVM GALLIAE.

Sic Delphine iaces iuuenum pulcherrime, & æui?
Dum bibis infectas, heu, ſitibundus aquas.
Quæ patrem, atque tuos debebant tollere fratres,
Innocuos fratres, innocuumq; patrem.
Victima tanta cadens placaſti ſydera, & orcum,
Si qua fuit læſi numinis ira Deum.

Post quam hinc migrasti, & cœlum Dis additus ornas,
Plus uernant, redolent lilia, plusq; nitent.

E GRAECO.

Terra parens gaude, nec sis grauis ipsa sepulto,
Nec tibi uiuus erat iam grauis Antigenes.

PRO SALVTE FRANC. REGIS GALLIAE.

Latonæ, atque Iouis pharetrata Diana, ferarum
Dira hostis, thalamos per iuga summa tenens.
Morbum execrandum præstanti ab Rege repellens
Quam primum gelidos mitte ad Hyperboreos.
Nam tibi mactatur dum bos montanus ad aras:
Qui faciat fumum thure, Sabæus erit.

DE SCIPIONE SVPERIORE.

Victorem Annibalis diri, & Carthaginis altæ,
Quem Libyæ atq; Asiæ pertimuere Duces,
Semine diuino genitum, sic inclyta uirtus,
Sic sancti mores edocuere sui.
Terra aliena tegit, Roma ingratissima sunt hæc
Præmia, mortali præmia damna Deo?
Sed quæ non dederis, dat Regum assensus, & orbis
Aras pro titulo, templaq; pro tumulo.

AD FRANCISCVM GALLIAE REGEM.

Rex generose super Reges, qui diligis unum
Victorem Annibalis, quam potes, & celebras.
Moribus æqua tuis facis, & uirtutibus ipsis,
Dissimiles nemo diligit, & celebrat.

## E GRAECO.

*Hastam, ocreas, galeam, clypeum, thoraca, Mineruæ*
*Ruffus membiades Gelius hic posuit.*

## AD AMICVM.

*Postquam uela uocant Zephiri, & liquidissimus æther,*
*Allicit & summis nos Galatea uadis.*
*Et iubet intortum Portunnus soluere funem,*
*Pignoribus positis alcyonesq; uocant.*
*Soluimus è tristi cyclopum littore nauem*
*Amissis sotijs, & grege, & ære, & ope.*
*Ast hilares sub spe præsenti, & Castore, Diuum*
*Si non seducunt numina, uota preces.*
*Solus Achemenides restas miserandus, & æger,*
*Peiora ut uideas peste, fame, exitio.*

## AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Quam primum ite alio curæ, suspiria, luctus,*
*Non opus, ut mage me discrucietis, erit*
*Si coniurarunt in me sors tristis, & arma*
*Vt sim Diogenes, idem ero Democritus.*
*Mars Regem à studijs melioribus auocat, & te*
*Immemorem cogit seruitij esse mei.*
*Desidem, auarum, auersum, & mi Rhannusia uirgo*
*Teq; Ducemq; meum, Pontificemq; facit.*
*Ite igitur curæ, & suspiria propter inanem*
*Spem cecinisse graue est, nunc gemere & grauius.*

## AD GENIVM.

*Quis tu læte puer? Genius, quid monstrat, & offert.*

Dextera tam nobis officiosa manus?

Symbola sunt uestræ uitæ, uua, papauer, aristæ,
Potu, somno, esca, uiuitis, & genio.

AD HIPP. CAR. ESTENSEM.

Dum tibi se effundit Roma omnis, & obuia clamat
Hippolytum inclamant marmora & Hippolytum.
Et dum Pontificem summum acclinatus adoras,
Iuppiter exultat ægide, & imbre leui.
Dum legis ante aras Diuum solemnia uerba,
Læta præcati omnes ore, animisq; fauent.
Nescio quid magnum es, cœlum te extollit, honorat
Paulus, amant Reges, diuitiæq; beant,

AD PAVLVM III. PONT. MAX.
quum coronam ex abiete donaret.

Passa libens Abies martem est, & uulnera, & alios
Vnde orta est montes deseruisse uolens.
Vt te admiretur, quem candida eremus adorat,
Pro te indefessas fundit & usque preces,
Vt quem Pontificem prædixerat ante, patronum
Sentiat ipsa suum, si licet, immo Deum.

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

Inter tot proceres gallos, heroas & uni
Cui Rex arridet, quem reuerenter amat,
Effice Ioannes, redeant ne à Principe manes,
Sæpe manus nostras dona dedisse uidens.
Aut nostri oblitus Rex ob molimina rerum
Tantarum, auersi uel mihi sunt Superi.

Cura

Cura Sacerdotis, uerum hæc ô magne Sacerdos,
Corrigere est homines, conciliare Deos.

E GRAECO.

Clamabat pius Aeneas, ignoscite Grai
Numina uicta gerens, inualidumq; patrem.
Quid lucri iste senex uobis, profugiq; penates,
Præda onerosa, & inops, sed preciosa mihi.

AD FRANC. DE TVRNONE CARD.

Non quod sis rerum diues, cidariq; refulgens
Purpurea, atque ortus nobiliore domo.
Sed quia uirtutum es cultor, Phœbi, atque sororum,
Te saluum cupiens diligo, te & ueneror.
Quid uirtute ipsa est maius, quid charius? illa
Dijs nos conciliat, & facit esse Deos.

AD NICOLAVM BONELLVM

Reddiderit postquam longi, & tam duriter acti
Temporis hæc ætas me uetulum & bibulum.
Non tantum uetulum, & bibulum, quod peius egenum,
Ita, ut sim, si sum, paupere pauperior.
Et qui deberem uino, uel lacte senectam
Sustinuisse, undas ebibo itemq; necem.
Nam dimota diu, summersa & tybride multo
Vina agitata agitant, meq; necata necant.

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

Tempore quo Reges æterna in secula Regi
Mystica dona ferunt ex Oriente sophi.

Tempore eodem aurum Fausto Bellae dedisti
 Munus honorificum, conueniensq; tibi.
Nam sceptro es dignus, testantur plurima, sed plus
 Aurea dona tua haec, regia & ista dies.

AD POETAS NVPER IN LVCEM EDITOS.

Illustres animae liquidi quibus aetheris haustus
 Plurimus, & praesens semper Apollo fuit.
Gaudete a tenebris uestra eruta scripta leguntur,
 Durabuntq; diu, si latuere diu.
Nam graue erat tales foetus, monimentaq; uatum
 Supprimi, & obscuro sparsa iacere situ.
Debemus qui uos de lethe eduxerit, illi
 Vos uitam, & rectum nos Heliconis iter.

E GRAECO.

Grammatica excrucior turpi, ac uxore molesta,
 Eripit haec noctem, surripit illa diem.
Vna inopem fecit, mancum facit una, senemq;,
 Quid peius senio, pauperie atque graui?

AD IVLIVM III. PONT. MAX.

Dum Vaticanis errarem collibus, & me,
 Pulsarent aures iubila & alta meas.
Quaerenti quis clamor? amor mihi rettulit Echo,
 Eludens uoces garrula Nympha meas.
Miranti & plausus populi clamantis, amantis,
 Vsque etiam ad Superos, Diua ait ad Superos,
Omnia laeta sonant Iuli uiue optime Iuli,
 Optime Iuli etiam uiue puella sonat.

Tertie Iule diu clamabant compita, Virgo
Tunc reclamabat, Tertie Iule diu.
Vt sensi hæc, curro, quum Tertius esset Iulus
Papa coronatus Pontificum in medio.
Tunc dixi Iuli uere es tu à Monte, salutant
Postquam te montes, mutaq; saxa uocant.

AD CAROLVM LOTH. CARD.
*pro uolumine Epigrammatum quod Regi Christianiss. Henrico D.*

Spes bona, non mala sors, Tu, non Rex, Carole fecit
Mittere me munus hoc, licet exiguum.

AD EVNDEM.

Frons tua, non tua mens, nomen, non copia rerum
Subdere uult. collum me tibi magnanimo.

AD EVNDEM.

Pauperies mea me stimulat, me denique cogit
Carmine te ut stimulem te quoque sollicitem.

AD EVNDEM.

Tendis ad Henricum in patriam dux optime, nam te
Carole delicias ille, uel illa uocat.
Morum, & uirtutis domus es, namq; unicus ille
Qui carus Regi, gratus & es patriæ.
Qui te non amat ex animo, & uenerabitur, odit
Virtutem, mores, delitiasq; hominum.

AD ROMAM:
PRO CARDINALIB. GALLIAE

Gloria, honore, opibus qui te feliciter ornant
Roma senatores cerne superba tuos.

Sed mœsta hos cernas; pedibus calcaria adaptant,
Vt te destituant, in patriam & redeant.
Quamq; tuo è gremio tristissima abire uidebis,
Tam patria excipiet læta, lubensq; sinu.
Et quia pastorem, quem rerum summa uolebat
Exhibuere orbis Regibus, & populis.
Tum quia, quo tendunt implent uirtutibus, orbem.
O quantum amittis Roma, & Iule decus.

AD EOSDEM.

Patres purpurei, patres uerendi
Vobis debeo plurimum, penates
Quod nostros subijstis indecentes,
Dignati & dapibus frui, atque uesci
Indignis nimium, immerentibusq;.
O felix domus, & dapes beatæ,
Nec felix minus ipse, nec beatus.
Quem præsentia principum, Ducumq;
Ditauit, celebrauit, & tulerunt
Vsque ad sydera, cœlitum domosq;
Patres purpurei, patres uerendi
Romæ & lumina, & orbis uniuersi.

E GRAECO.

Laudantur Thraces natos quum matris ab aluo
Eductos cernunt, ora rigant lachrymis.
E contra exultant, subeunt quum fata repente,
Et uix exortum quum phaetonta uident.
Pauca quòd incertæ tolerant discrimina uitæ,
Sola hominum est tantis mors medicina malis.

## AD IVLIVM III. PONT. MAX.

In te ſperaui, fac ne confundar in æuum,
Iuli & egeſtatis pondere me exonera.
Porge aurem, accelera, meq; eripe ab hoſte ſequaci,
Libera ab ærumnis, retibus, inſidÿs.
Eſto & apud te met Dominum mihi maxime Iuli,
Confugiÿq; domus, præſidiumq; meum.
Tuq; meæ uires, portus, ſpes una, ſalusq;,
Dulce tuum ob nomen, numen & eſto meum.
Inq; tuas commendo manus Iuli optime princeps
Spiritum, & hos canos, plectra, lyram, calamum.

## AD EVNDEM.

Clementiſſime Pontifex uirorum
Quot ſunt, quotq; fuere, eruntq; in annis
Iuli Tertie ſubſequentis æui,
Gratias tibi plurimas Sabæus
Agit ſit minimus licet Poeta,
Tanto inquam minimus poeta, quanto
Ille es maximus omnium Monarcha.

## DE ROMVLO AMASEO ET FAVSTO SABAEO.

Romulus & Fauſtus ſocÿ, Phœbiq; ſequaces
Iunguntur nodis ex adamante ſimul
Hoc antiquus amor, tum candida uita, nouemq;
Innectunt Muſæ uinculum amicitiæ,
Ambo ſenes, ambo nati infelicibus annis,
Principe ſub docto, & doctus uterq; iacet.

Cogitur esurie hic, hic ne laceretur abire
Faustulus e patria, Romulus urbe sua.

AD IO. MOLVCIVM.

Cernere, & amplecti optabam te maxime amator
Pacis, & interpres, Galliæ & omnis honor.
Debeo Moluci bello, & discordibus armis,
Quæ desyderijs plaudere uisa meis.
Si tua respondent factis charissime rerum
Verba, mari in medio tu mihi, Castor eris.
Ipse adero tibi, quum Superos in uota uocabis,
Thura Sabæa cremans, faustaq; cuncta rogans.

AD INNOCENTIVM A MONTE CARD.

Arnobius diuum falsas qui destruit aras,
Quas iam condiderat uana superstitio.
Ad te summe puer sacri spes magna senatus
Venit, amatq; tuos incoluisse lares.
Sit licet incultus, ne spernas iudice Tarpa,
Hic loquitur gemmas, aurea uerba, rosas.
Quæ si te oblectant, Faustum tueare Sabæum,
Munera docta dedi, post pia thura dabo.

E GRAECO.

Non aurum, uestes, gemmas, non prædia, & urbes,
Pocula plena uelim nobiliore mero.
Quæ non deficiant unquam, mecumq; sodales
Iucundi canerent orgia, dum biberent.
Hæc optanda mihi, tu felix uita, secures
Consulis haud curo, pocula dum teneam.

## AD IVLIVM III. PONT. MAX.

Sub tot Pontificum senui; nam quinque fuerunt,
Seruitio, irrepsit nix capiti ecce meo.
Semper inops, & nunc misero mendicior Iro,
Inq; dies peior fit mea conditio.
Sperabam sub te Iuli ditescere, honorem
Sortiri et canis excutere ipse niuem.
Pro spe despero, pro & honore inhonorus, & æger
Viuo ego, si uita est frigore membra mori.
Nam mihi ligna negas inopiq;, seniq;, tuoq;
Non dicam uati, sed mage uaticulo.
Ante focum studeo, comedo, bibo, carmina pango,
Lucem, animamq; negas, si mihi ligna neges.

## AD EVNDEM.

Nec mihi ligna negas, nec das, nec dantur ab ullo,
Interea mordent frigora me, & rigeo.
Parua mihi non das, alijs das grandia Iuli,
Si pudet exiguum hoc tradere, magna dato.

## DE EODEM AD PHOEBVM.

Phœbe audi, iudexq; esto mihi, Iulius ignem
Denegat, & numeris continue hunc celebro,
An celebrem? celebra. quid tum? laus unica surgit,
Munere uictus ubi est maximus à minimo.

## AD EVNDEM.

Quum mihi ligna negat Gallus te dicit egenum,
Addit & hoc, quod sit Pontificatus inops.
Auream, & auratos, clauem, montesq; ministrans,
Pauper inesse nequit, sed miser esse potest.

AD EVNDEM.

Donasti, unde meam possum traducere uitam,
Lassula, & ægra; & inops, quæ reparanda fuit.
Et quod debebant alij longo ordine nobis
Pontifices, soluis maxime Pontificum.
Quid tibi retribuam Iuli, nisi carmina, & odas;
Hæc sunt principibus gloria, splendor, honos.
Aurea dona duces dent, Reges gemmea, utrique
Nec maiora istis, nec meliora dabunt.

AD MARCEL. PALONVM.

Non petij in uanum uinum, nam fronte serena
Pocula quòd dederis, nobiliora facis.
Reddo tibi grates, uerum Marcelle minores,
Munere at æqualem reddat Apollo uicem.
Nam me indignatus uappam, mistumq; bibentem
Terga dabat, per te conciliatus adest.
Concinit & solitum lætus, mistumq; merumq;
Quale Poeta bibit, tale poema sonat.

AD ILLVSTRISS. PRIN. BALduinum de Monte.

Non quòd sis magnus Princeps, & frater Iuli
Pontificis summi, te reuerenter amo.
Sed quia uirtutem neglectam diligis, ornas
Colligis, atque foues ore, uel ære uagam.
Sperate ô Musæ sub Mæcenate, probiq;
Quos fortuna agitat, pauperiesq; premit.
Nam Balduinus germano fratre Monarcha
Si minor imperio, non minor est animo.

AD IVLIVM III. PONT. MAX.

*Clausisti primum imperij feliciter annum,*
*Alter adest pulsans optime Iule fores.*
*Nec minus arridet cœptus ingentibus, ut tu*
*Clerum emendares Regna, Duces, Populos.*
*Multi hoc tentarunt, sed ficto corde, priores,*
*Hic tibi seruatus iure triumphus erat.*
*Vt qui ditasti donis cœlestibus orbem,*
*Patrum etiam ornares legibus, & placitis.*

AD POLVM ANGLICVM CARD.

*Dum te rare heros Roma admiratur, amatq;,*
*Non tua diuisa est patria ab hac patria.*
*Donec purpureos inter spectabere patres,*
*Anglia adhuc quicquam relligionis habet.*
*Pole hilaris uiuas tacito sed corde, nouerca*
*Quæ fortuna diu est, hæc cito mater erit.*
*Spero equidem de te magnum quid maxime Princeps,*
*Hoc uult uirtutum, tam preciosus odor.*
*Absolues patriam (ni me præsagia fallunt)*
*Exul ab exilio, Presul ab exitio.*

E' GRAECO.

*Absens quisque optat senium, quum uenerit odit,*
*Debita uerum ætas est cupienda magis.*

AD CAROLVM LOTHARIN. CAR.

*Ad te Carole temporum, & senatus*
*Expectatio summa purpurati,*
*Lubentes ueniunt mei labores*
*Immo delitiæ meæ, & lepores.*

*Tanquam nuntia, & obsides meæ in te*
*Obseruantiæ, amoris intimiq;.*
*Vt te iudice iudicentur, an sint*
*Digni accedere Regios penates,*
*Regisq; intuitu frui, osculari*
*Inuictasq; manus, pios pedesq;,*
*Quod si duxeris esse mi Palemon*
*Dignos Principe Principum, Ducumq;,*
*Vt Bellaius undecunque doctus,*
*Summi & iudicij elegans Poeta,*
*Virtutum & resonans chelys tuarum*
*Sentit, iudicat, approbatq;, & instat.*
*Henrici auspitijs, fauore, iussu*
*Ex hoc carcere, gentium in theatrum*
*Ibunt, ut referant ubique grates*
*Henrico, & tibi, militentq; Regi.*
*Pulchrum cernere Principes, Tetrarchas,*
*Reges regia signa tot sequentes,*
*Regi & plaudere Rhetores, Poetas,*
*Regi & cœlicolas fauere nostro,*
*Hæc sunt quæ dico, dedico, atque sacro*
*Henrico, minimus licet Poeta,*
*Tanto inquam minimus Poeta, quanto*
*Rex est maximus, optimusq; Regum.*

AD HENRICVM GALLIAE REGEM.

*Spiritus ille ardens Regum Rex ætheris haustu*
*Diues, ab orbe omni colligit orbis opes.*

Non aurum, aut gemmas, cælata aut uasa, sed istis,
Quæ durare magis, plus preciosa, ualent.
Romanæ, et Graiæ numerosa uolumina linguæ,
Quæ situ, & in tenebris delituere diu.
Atque superbo ornat cultu exemplaria, & illis
Extructa est sumptu bibliotheca graui.
Et sceptro es dignus, plectroq; Henrice Valesi,
Nam populo, & Musis consulis, atque tibi.

## AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

Fauste parum expecta, dicis Bellæe, Sabæus
Quum petit, & repetit, quæ dare dona soles.
Expectare potest uiuax, iuuenisq;, puerq;,
Sed, cui mors instat falce, nequit uetulus.
Vel nunc da, uel si differs, differre sorores
Fac rigidas, uel me fac iuuenem, aut puerum.

## AD ALEXAN. FARNESIVM, CARD.

Quod te Roma diu iam suspirauit, & arsit,
Non ratione caret Dux generose Ducum.
Nanque senatores sine te, & conclaue uerendum
Non poterant uotis consuluisse pijs.
Quippe simultates, contentio honesta, uetabant,
Ne consolator afforet e Superis.
Postquam aduentasti, pax, & lux orta, uolauit,
Quiq; Patres Patribus conciliaret, Amor.
Te merito optamus, tecum est facundia, uirtus,
Regia maiestas, gloria, splendor, honos.

AD QVIRITES.

*Roma reuertentes uario qui te orbe salutant,*
*Læta sacerdotes intueare tuos.*
*Suscipe & amplexu, meritis, & honoribus, hi sunt*
*Laus tua, gloria, honor, præsidiumq; tuum.*
*His debes, nam quem tu, & rerum summa uolebant,*
*Pastorem, Patres exhibuere pij.*
*Et tu, quem fecit concors discordia tandem,*
*Quem decet esse, orbis optimus esto pater.*
*Et qui tot studijs, & Iulij es nomine dictus,*
*Tali esto dignus nomine, & his studijs.*

AD EOSDEM.

*Roma senatores tu ne incusaueris ipsos,*
*Pontificem tardi si genuere tui.*
*Tot procerum studia, atque animos coniungere in unũ,*
*Non poterant homines, uix potuere Dei.*
*Cum placuit Christo, contentio honesta quieuit,*
*Facti unum & patres corpus, & una anima.*
*Sperandum est nobis, post nubila, frigora, & imbres.*
*Ecce serenati iam rediere dies.*
*Iulius & redijt, secumq; Astrea, Themisq;,*
*Crinibus auratis Floraq; pingit humum.*
*Atque patent cœli sub Iulo limina, quas uult*
*Quisq; rapit, quæ non emoriuntur opes.*

AD PHILIP. CARD. BONON.

*Quod me uideris ore tam benigno*
*Spe plenissima uerba, dixerisq;,*
*Iucundissime & unice inter omnes.*

Patres purpurea stola decoros.
Gratias ago plurimas Sabæus
Quanuis sim minimus, malusq; uates,
Tanto inquam minimus, malusq; uates,
Quanto es maximus, optimusq; Princeps.

IN IMPIVM.

Non hic, non illic, ubi nam computruit ille,
Qui male olens uiuus turpe cadauer erat.
Impium humus, pia sit quamuis, tolerare nequibat
Hostem hominum, atque Deũ, sed mage Christe tuũ
Qui uitia, & scelera illius uult dicere, dicat,
Non sceleratus erat, sed uitium, atq; scelus.
Mortuus est sine lux, sine crux proiectus in undas,
Non meruit tumulum bestia, nec titulum.

IN LAVDEM ILLVSTRISS.
Cardinalium ad Quirites.

Magnanimi Heroes nati melioribus annis,
Quos iam Roma tulit, sustulit atque dies,
Excutite ex oculis lethea papauera uestris,
Inspicite & pompam, quam patria alta tenet.
Tot proceres ueluti tot Reges murice, & auro,
Moribus, & sophia, conspicuosq; domo.
Qui si non armis, sic sunt pietate potentes,
Vt cœlum expugnent, si superastis humum.

EPIT. LEONARDI CAVALETTI

Vixi, si uita est uario languore teneri,
Sortis & aduersæ plurima tela pati.
Attamen occubui inuitus, sed quid iuuat istud?

Nam nolentem etiam ferrea pensa trahunt.

PRO EODEM.

Et tu etiam es raptus post tot Leonarde sodales,
Quos in communem fata tulere locum.
Tristis ut incusem nimium properata sororum
Fata tibi, lachrymer & mea lenta nimis.
Verum si ultrices tardant mihi pensa, columq;,
Non est ut uiuam causa, sed ut doleam.

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

Hactenus in uanum uinum promittitur, immo
Mittitur ut lethes enatet inter aquas.
Absumunt quia te tot summa negotia, parco,
Sed uini parco parcere Iane scelus.
Hanc culpam emenda, & munda Bellææ Lyeo,
Lustrat, & illustrat nam scelus omne merum.

AD EVNDEM.

Tale dabo carmen, qualia uina dabis.

AD LIBRVM QVVM A QVOdam detineatur.

Quondam delitiæ meæ libelli,
Et nunc tristitiæ, mei & dolores,
Qui me conficiunt die, atque nocte,
Quo uos conspiciam loco, & requiram?
Quo uos inueniam? & loquar supremum?
Et dicam miserabiles ualete,
Valete ò miserabiles labores
Tanti temporis, & spei, & quietis,

*Sic uos credulus, oscitans, supinus,*
*Stultus, perdiderimq́ꝫ, proderimq́ꝫ?*
*Confisus nimium meis amicis,*
*Quos ut me; atque oculos meos amaui.*
*O sors pessima sortium improbarum;*
*Qui me depopulantur, enecantq́ꝫ,*
*Et uiuum tumulant, scio, alloquorq́ꝫ,*
*Nec fas est mihi conqueri, & dolere,*
*Immo cogor amare, & hos uereri.*

IN LAVDEM VILLAE BLOSIANAE.

*Hospes forte petis, quare Lauinia dicar,*
*Quæ tanti exitij, tanta ruina fuit.*
*Coniugis ob fatum infelix crudele Numici,*
*Passa hæc audaces impatienter aquas.*
*Huc uenit, inque pios flendo est resoluta liquores;*
*Atque loco, atque suis nomina fecit aquis.*

COMMENDAT LIBERALITATEM BLOSII.

*Si te discruciat sitis, ingrediare uiator,*
*Et de fonte bibes largiter egelido,*
*Impune & capies passim de fructibus istis,*
*Blosi, & amicorum est umea, fons, & ager.*

LAVDAT VILLAM ET dominum.

*Muscosi fontes, & molliter aura susurrans,*
*Tinnulæ aues, & uos nectareæ uolucres,*
*Et uos ô faciles Nymphæ, satyriq́ꝫ procaces,*
*Sileniq́ꝫ senes, tu quoq́ꝫ Phalle pater.*

*Dicite, quis duxit uos ad uernantia regna hæc,*
*Qualia non habuit iam bonus Alcionus.*
*Forma augusta loci, rerum & nos copia traxit*
*Quæ domini mores, ingeniumq; tenent.*

COMMENDAT BLOSIVM

*Blosius infernæ uallis possessor abundat*
*Et pomis, & aquis largiter irriguis.*
*Prodigus horum idem fecit mitescere manes,*
*Tantale pelle famem, Tantale pelle sitim.*

VNDE FONTES ORIGINEM *traxerint.*

*Cæde Dionei miseranda Cæsaris omnes*
*Plorarunt Superi, plus tamen alma Venus.*
*Seruauere diu lachrymarum flumina Nymphæ,*
*Donec odoratos Blosius hos latices*
*Sensit, & inuenit, sitiens aduerte uiator,*
*Nam quas credis aquas, esse scias lachrymas.*

AD BLOSIVM.

*Sors largitur opes Blosi tibi, uinea fructus,*
*Quam satis & fructus, multiplicant & opes.*
*Sed fructus, & opes absumit uinea cunctos,*
*Plura etiam reddit fœnore, plura tamen,*
*Commoda, amicitias, uires, lætamq; senectam,*
*Dic mihi si tales Cræsus habebat opes?*

COMMENDAT FONTEM APVD *quem conuiuia celebrantur.*

*Fontis Acidalij liquidis qui admurmurat undis,*
*Hostes pelle sitim si sitibundus eris.*

*Etsi uina cupis, uina & generosa propinat,*
*Aebria conuiuis, sobria Nympha alijs.*

VILLA BLOSIANA LOQVITVR.

*Ingrediare hospes, patet hæc mea ianua cunctis,*
*Et cape ab arboribus persica, poma, nuces,*
*Et quæcunque uelis, seu uir, seu uirgo, puerq́;,*
*Non hic quæ noceant, tela Priapus habet.*
*Terret aues, sed aues anum ut uidere, senemq́;,*
*Illudunt, cariem sensit & iste Deus.*

COMMENDAT EVNDEM FONtem frondibus populeis tectum.

*Monstrorum uictor puerilem uictus ob ignem*
*Quæstibus Alcides has celebrauit aquas.*
*Nam dum clamat Hylam, dum Naiada lamentatur,*
*Et non respondet sæpe uocatus Hylas,*
*Orbe pererrato nec adhuc oblitus amoris,*
*Et super hos latices ingeminauit Hylam.*
*Tunc fontem hunc, pueri tanquam monumenta, recedēs*
*Fronde sua, & querulis, cinxit, & auxit aquis.*

E' GRAECO

*Si tacet imprudens, prudens reputabitur omnis,*
*Doctum, ac indoctum prodere lingua solet.*

AD CAROLVM LOTH. CARD.

*Iucundissime Principum meorum,*
*Qui meis retinent locum in medullis.*
*Bellæum excipio meum, tuumq́;,*
*Si quid promerui, uelis libenter,*
*Si non promerui, rogo, obsecroq́;,*

Communi Domino, tuoq; Regi
Integerrimo, & optimo, atque Dio
Commendare meæ dies senectæ,
Illos ut foueat fauore, & ære
Donec uixero, & interim precabor
Felici auspice uiuat, & triumphet,
Victis hostibus improbis, superbis,
Dices, non satis est Deos precari,
Vrgebo numeris potentibusq;,
Templa altaria thure concremabo,
Num parui hæc tibi præmia æstimantur?
Pro uictu senis unius minuti,
Hæc placant Superos, placentq; eisdem,
Si non extiterint, Dei Deæq;,
Hæc sunt quæ faciunt Deos, Deasq;
Thura, & carmina, & obsecrationes.

AD GEORGIVM CARD. ARMINIACVM.

Ite (licet tenues) numerosi sed fronte serena
Ante Rutenorum Præsulis ora mei.
Dicite ei, Faustus dicit, mittitq; salutem.
Postq; salutem addit hæc tria uerba, datam,
Viue, uale, & gaude Princeps generose Georgi,
Saturnalitij sic statuere dies.
Tam breuis incerta est hominum nam uita, quod istud
Vix instans nostrum est, cætera sunt dubia.

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Somnia sint testes, belli & simulachra iocosi,*
*Quam te Phœbus amat, Pierides'q; fauent.*
*Pangere non poteras per summa negotia carmen,*
*In somno, & lusu carmina culta facis.*
*Contigit Hesiodo per somnia inesse poetam.*
*Per somnum uates Amphiaraus erat.*
*Hi curis uacui fuerant tu uinctus ahenis*
*Curarum nodis, retibus, & laqueis.*

AD EVNDEM.

*Iane cubans recinis, ludens & carmina ludis,*
*Ecquid quum studeas, & uigilabis\ erit?*

AD CAROLVM LOTH. CARD.

*Maxima erat Romæ Dux expectatio de te,*
*Ipsa tuo aduentu spes superata fuit.*
*Credere quis posset tantas in Principe dotes*
*Ingenij, & linguæ dulcia plectra tuæ.*
*Paulus ut inspexit, arrectis'q; auribus hausit,*
*Carole supra annos seria quæ loqueris.*
*Vltra aurum, & cidarim uoluisset tradere maius,*
*Sed poterat maius nil dare quam dederat.*

E' GRAECO.

*Piscibus insidias limo dum tenderet Agmon,*
*Traxerunt mersi retia rara caput.*
*Dum manibus proprijs terram cauat, & citat urnam,*
*Repperit occultas officiosus opes.*
*Esse pium discas, tu qui legis ista, sub orco*
*Nam pietas meritum repperit, atque locum.*

AD IO. BELLEVM CAR. PARISIN.

Quum mihi dicebas (nec ficto pectore) Præsul
Maxime, Fauste omnis sit mea cura tui,
Nescio si expertus quod non puto, turpis egestas
Quam monstrum informe, & pondus, & atra lues.
Sarcinam, & hanc pestem, portentum tollere & istud
Artis Apollineæ est, robur & herculeum.
Hac si me ærumna absoluis, potes ipse, so'esq;,
Tu meus Alcides, & mihi Phœbus eris.

AD EVNDEM.

Sic te numina sospitent, amentq;
Iucundissime præsulum Ioannes,
Dic mi, si quid habes boni, maliq;
De meis Epigrammatum libellis,
Iam meis, modo non meis libellis,
Sed communibus, & male auspicatis.
Quos tu de gremio meo, sinuq;
Tuis pollicitis mihi abstulisti.
Hos & miseris ad tuos clientes,
Immo ad Antipodas, Deosq; manes,
Illuc, unde negant redire quenquam.
Quod si perditi & estis ò libelli,
Detenti tenebris, feris, situq;,
Diem dicite Belleo, licet sit
Præsul, maximus, & meus patronus,
Et Rhetor uehemens, poeta & acer,
Coram Apolline, & omnibus Camœnis,
Quod me prodidit, & fidem, Deos q;.

EPIT. ANT. PVCCII CARD.

*Huc ueniens hospes miraberis unde sepulchrum*
*Singultu hoc resonet, luctibus & madeat.*
*Hic Pucci ossa iacent Antoni condita, circum*
*Tybris, & Aonides flent, Charitesq; simul.*
*Virtutem, ingenium excellens, moresq; benignos*
*Discito ab insuetis questibus, & lachrymis.*

ANTONIVS PVCCIVS CAR.
AD LECTOREM.

*Illius ante pedes, qui me exornauit, & arsit,*
*Si iaceo, in causa est non periturus amor.*
*Vt si quis sensus maneat post fata loquatur,*
*Vmbra umbram inspiciat, atque cinis cinerem.*

EIVSDEM EPIT.

*Mortale Antoni paruo hoc sub marmore Pucci est,*
*Pulueri enim minimo satq; erat urna minor.*
*Sed si animum ingentem, dotes metiris & amplas.*
*Non maiore potest, nec meliore tegi.*

IDEM AD LECTOREM.

*Pectore Clementem toto reuerenter amaui,*
*Nam me ditauit gloria, honore, opibus.*
*Nunc prope & oblector longam deducere noctem,*
*Si datur aspectu, colloquioq; frui.*
*Nam qui uiuentem uere dilexit, amabit*
*Illius & cineres, illius & tumulum.*

EPIT. LAVRENTII PVCCII CAR.

*Purpureos inter patres si maximus unquam*
*Extiterit, Laurens Puccius ille fui.*

Qui sophia studio, & cura, atque labore parauit
Aeternum nomen tum sibi, tum patriae.
Officijs orbem cumulauit, abiult, ut orbem
Et desyderio torqueat, & lachrymis.

EIVSDEM.

Fasce sub ingenti rerum Laurentius ille
Puccius hic dormit, lassus, & ob senium.
Ne lapidem angustum incuses, satis iste superq;
Nam uir.us quouis non tegitur tumulo.

EIVSDEM.

Sub decimo Laurens sua Puccius ossa Leone
Iusserat hac condi, quum moreretur, humo.
Vt qui iam uixit felix ad numinis auram,
Illius ad somnum molliter ipse cubet.

EIVSDEM.

Puccius exigua Laurens requiescit in urna,
Sub lato orbe senex irrequietus erat.
Mundi etenim amplexus maiora negotia, tanto
Pondere succubuit, uictus & occubuit.

IDEM AD LECTOREM

Corde Leonem omni Decimum reuerenter amaui,
Et me dilexit mutuo amore diu.
Purpura & ornauit, uerum illi sedulus Atlas.
Mole sub imperij quum premeretur, eram.
Nunc propius iaceo, praesto ut sim a morte resurgens,
Excipere, amplecti, cernere, adesse, loqui.

E` GRAECO.

Vitrea spes, & tu fallax fortuna ualete.

*Ludite nunc alios, in statione moror.*

## AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Prudentissime Præsulum, Ducumq;*
*Nostri temporis, ordinis tuiq;,*
*Per quem repperit exul undecunq;*
*Virtus præsidium, domum, & fauorem.*
*Multum debeo Dis, solo, saloq;,*
*Sospes quod redeas diu expetitus*
*Votis omnium, & omnium querelis.*
*Per tam longum iter, & mare æstuosum,*
*Per frigus, glaciem, niuemq;, & imbres,*
*Et demum incolumis uolens, libensq;*
*Vrbi es redditus, atque restitutus*
*Votis omnium, & omnium querelis.*

## AD EVNDEM BELLEVM Card. Ampliss.

*Postquam infelicem mater me fudit in duras,*
*Vsque nouercata est sors mea dura mihi.*
*E patria eiecit puerum, puerilia colla*
*Subiecitq; iugo continuata graui.*
*Pauper, egens, & inops semper, nunc fractus ab æuo*
*Sum mage, quam fuerim pauper, egens, & inops.*
*Purpurei patres, Reges, summiq; Monarchæ*
*Bis duo Pontifices uerba dedere mihi.*
*Si Bellæ etiam, qui tot promissa dedisti,*
*Illudes & tu, Cæsarianus ero.*

*Succendam & libros, supra caput atque sororum,*
*Et Phœbi infringam plectra, lyram, calamos.*

AD EVNDEM.

*Di tibi dent pacem, nec enim sine pace poesi.*
*Quam large infundunt, inuigilare potes.*
*Tu mihi da requiem, sine qua mihi surdus Apollo,*
*Inspiciunt castæ nec mea uota Deæ.*
*Te nimiæ impediunt & opes, & mentis acumen,*
*Me mea paupertas, debile & ingenium.*
*Si tibi quod superest, inopi & mihi detur inerti,*
*Pax tibi continget, miq; cupita quies.*
*Monstrabis tunc quantus eris Bellæe Poeta,*
*Nec mihi surdescent Phœbus & Aonides.*
*Tunc Regem ipse tuum cythara maiore sonabis,*
*Tunc ego te Regem iure uocabo meum.*

AD EVNDEM.

*Ante tuum aduentum requies me summa tenebat,*
*Contentusq; fui sub lare tam tenui.*
*Postquam accessisti pax est sublata, quiesq;,*
*Nec mage sum lætus sub lare tam tenui.*
*Credula spes causa est, quæ me deludit inanem,*
*Nec possum hanc furca pellere, nec laqueo.*
*Auxiliare inopi, & uetulo, nequit ægra senectus*
*Expectare diu, deperitura breui.*

AD EVNDEM.

*Me licet inspicias, mecumq; loquaris, inhæret,*
*Fama meæ mortis publica, falsa licet.*
*Propterea tardas Fausto succurrere egenti,*

*Et me, quam fuerim forte putas alium.*
*Falleris haud penitus uiuo, nec uiuo sed erro,*
*Non inopis uitam est ducere, sed trahere.*
*Quid faciam? indigeo, petere & contundere amicos,*
*Tantundem est, hostes non petere & petere.*
*At tu qui meus es, mihi consule, Phœbus, Apollo,*
*Ore uel ære dato consuluisse potes.*
*Digladior mecum, & semper succumbere cogor*
*Si loquor, erubeo, si taceo, patior.*

AD EVNDEM.

*Quem suspirabam, tu & Roma relicta dolebas,*
*E' patria hic princeps undiq; rarus adest.*
*Plaude tibi, letare illi, gratare camœnis,*
*Spes nostra extollit de tumulo alta caput.*
*Ad nos dum redeat, qualis Bellæus abiuit,*
*Aureus hinc abijt, aureus huc redeat.*

AD EVNDEM.

*Quam te conueniam prius, & Bellæ salutem,*
*Tamdiu & optatis oscula dem manibus,*
*Scire uelim, si me aspicies, qua fronte solebas,*
*Aut uelut ignotum, uileq; mancipium.*
*Si sic, non opus ut ueniam, dicamq; salutem,*
*Sed neque mutatis oscula dem manibus.*
*Attamen aduertas, si me neglexeris, & te,*
*Et tua scripta, tuam prodis & ipse fidem.*

AD HENRICVM REGEM GALLIAE.

*Commendo tibi Rex meos labores,*

*Quos pro patre tuo libens subiui,*
*Et libentius obtuli, & sacraui.*
*Dices, qui fuerint tui labores?*
*Et quid nam dederim tuo parenti?*
*Regi magnanimo, atque glorioso,*
*Regi munifico, atque liberali,*
*Regi denique liberalitatis.*
*Qui donare solebat oppida, urbes*
*Exposcentibus, indigentibusq;,*
*Et merentibus, immerentibusq;.*
*Miror quod tibi denegarit unquam*
*Quicquam promerito, atque postulanti*
*Certe nil dedit, hæc dedi, & dicaui*
*Illum unum Arnobium, & duos libellos,*
*Et me tergeminum suum Poetam,*
*Suum mancipium, suum hortulanum.*
*Sacra ob lilia, quæ rigo, excoloq;,*
*Quis nam alter potuit dedisse maius?*
*Quisue alter potuit minus referre?*

AD ECHO
DE IOANNE BELLEO CARD.
PARISINO.

*Sic tua dent in amore Echo Di uota secundi,*
*Nec mage te cruciet diua superbus amans.*
*Diruta nanque soles habitare palatia Romæ*
*Proxima Bellæo præcipue antra meo.*
*Dic mihi si possum de Mæcenate meo iam,*
*IAM, sperare aliquid. QVID? xenium XENIVM.*

*Mi ne dabit?* DABIT. *& quando? quum traditus urnæ?*
NE, *mihi si dare uult* VVLT, *modo det*, MODO DET
*Expecto expectans id muneris*, ÆRIS, *in hora*,
ORA, *ero ne compos muneris æris*, ERIS.

E GRAECO.

*Huc genialis ubi Zephyri flans aura susurrat,*
*Et fons dulce sonans subsilientis aquæ.*
*Te uocat, accede ad pinum, & requiesce uiator,*
*Somno oculos mulcent fistula & umbra tuos.*

AD HENRICVM GALLIAE REGEM.

*Ore uerecundo uirtus lacerata gemebat*
*Ante ædes Regum, Pontificumq; fores.*
*Nemo illam admisit, nec paupere iuuit amictu,*
*Aegra iacebat humi frigore, & esurie.*
*Quum pater ille tuus suspiria sensit, & intra*
*Tecta uocat, uestit, pascit, honorat, amat.*
*Illic læta habitat, tecum & moderatur habenas*
*Et regni; atque suas spargit, & auctat opes.*
*Rex Henrice ergo fælix dominare, nec hostes*
*Contra uirtutem, nec Deus ipse potest.*

AD EVNDEM.

*Iuppiter aduertens sceptri quo fasce laboras;*
*Nil grauius sancte quam regere imperium,*
*Zelotypus regni existens Henrice, tuiq;,*
*Aetati timuit, consuluitq; tuæ.*
*Iussit enim Astream, & semper tibi adesse Gradiuum,*
*Iustitia ut pacem, robore ut arma regas.*

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Si tibi tot proceres acclinant colla superbi,*
*Ore tuo & pendent, seria quum loqueris,*
*Si profugi accurrunt ad te, & tua tecta frequentant,*
*Dantq; tuis monitis, consilioq; manus.*
*Non ego demiror, nec qui te nouit ad unguem,*
*Prudenti, & recto pectore quid ualeas.*
*Mirandum est potius. quod quam tua facta merentur,*
*Et nunc laude carent, & caruere diu.*
*Seruasti Romam, & patriam, uerum huius, & huius*
*Nec tibi stat titulus, nec posita est statua.*

E' GRAECO.

*Irrigui fossorem horti tibi sacro ligonem,*
*Et falcem caules, qua posuere comas.*
*Pannosum'q; humerale, fui quo tutus ab imbre,*
*Crudo confectas de boue tum soleas.*
*Et sola paxillum penetrantem pinguia acutum,*
*Quo nunc nata suam brassica mutat humum.*
*Et lyntrem assuetum porris sitientibus amnem*
*Tradere quum findit Syrius arua canis.*
*Obtulit hæc Potamon olitor tibi cuncta Priape,*
*Felicem uitam, denique nactus opes.*

AD FRANCISCVM REGEM GALLIAE.

*Vnde amor? unde aurum? quo nos amplecteris, et quod*
*Fuders ob nostros maxime rex gemitus.*
*Quam non expertus sortem, dispendia, casus,*

Rostra Promethea ne pateremur auis.,
Semper & in peius fluxit res Itala, & hostes
In belli causas inualuere pias.
Post direptam urbem, & Diuum sacraria si non
Viceris, ipse Deus Cæsarianus erit.

E' GRAECO.

Defero Apollo tibi cœnam, cape, dummodo possim,
Suscipiam, probibet quis tibi Phœbe timor,
Arrius ipse uetat, solum hunc formido rapacem,
Exuperat miluos illius unca manus.
Quum pompam æditus celebrat fumantibus aris,
Nidorem ut sentit, currit, & omne rapit.
In Iouis ambrosia charis est, certe unus messem
Vestrum, si Superos tangeret ipsa fames.

AD CAROLVM LOT. CAR.

Si te tam magnum non magna exposco, poetis
Quum faueas, & des, mi ne negabis opem?
Sim licet ignotus, uerum hoc tibi dicere possum,
Arte omni uotis me uigilare tuis.
Vt me & ames, charumq; habeas, numeresq; clientum,
Immo in amicorum classe, & amicitia.
Addo preces etiam, multum & debebo, quid istud
Dicis erit? quod tam sedulus ipse rogas.
Quod posco est, nostrum Regi ut des fronte libellum
Ipse hilari exornes eloquioq; tuo.
Vt commendatus relegatur, ametur ab ipso
Principe, sitq; aliquid te referente liber.
Nam quoties Regem affaris, donasq; beatis

*E manibus gemmæ, melq; tuo ore fluunt.*

E GRAECO.

*Barbarus insano coniunxerat Hellespontum*
*Sumptu, opus & tantum diruit ipsa dies.*
*Ast puteolanum penetrauit Nerea nomen,*
*Ac ueluti terram consolidauit aquas.*
*Immensam & molem immisit, plantauit & undis*
*Saxa gigantea præcipitata manu.*
*Instabile hic fuerat pelagus, tum nabile nautis,*
*Nunc firmum hoc pedites, & spaciantur equi.*

E GRAECO.

*Tangere marmoream uos ó nolite Ariadnem,*
*Thesea ne inquirens clamet, & exiliat.*

AD ITALIAM
PRO FRANCISCO REGE GAL.

*Quadrupedum hinnitu Ausonia, & clangore tubarū,*
*Et strepitu armorum territa tolle caput.*
*Vndique & innumeras circum intueare phalanges,*
*Telorum & solis lampada nube tegi,*
*Agmina, quanta uides extremo ex orbe recedunt*
*Per te imbres, uentos, frigora passa, niues*
*Vt tua colla iugo absoluant, hostesq; Deorum*
*Relliquiasq; doment Spartaci & illuuiem.*
*Vt cognata tibi, quæ condidit oppida, & urbes*
*Liberet, atque tegat Gallia, & auctet ope.*

E GRAECO.

*Ista Polycreti est æterna Polixena, sacram*
*Hanc tabulam alterius non tetigere manus.*

*Non impar Iunonis opus, peplo ecce resciſſo*
*Vt caſto occultat nuda pudenda tegens.*
*Vt uiuas, rogita infelix Troia omnis in ore*
*Inq; oculis bellum uirginis omne iacet.*

AD DVRANTEM PONT. ALB.

*Non quod ſis Præſul, ſed ꝙ digniſſimus ipſe es.*
*Emeritos inter, gaudeo, Pontifices.*
*Gratulor & ſponſæ, pro qua uigilabis ut Argus,*
*Vt Leo decernes herculea immo manu.*
*Sutor acu artifici, quem Diuus pingit, & optat,*
*Vir ille uxoris unius unus eris.*
*Noſco piam mentem, tollunt te hinc ſydera, honorant*
*Regna, ferunt gentes munera, & omnis amat.*
*Nec ſatis hoc, Dominus rerum eſt maiora daturus,*
*Non maiora tuis, ingenio, & meritis.*

E GRAECO.

*Cepheus Andromedam pinxit, uel marmora pictor,*
*Iudicium eſt noſtri luminis ambiguum.*
*Formatus ne fuit ſinuoſus cetus in antris,*
*Vicino an ductus, progenitusq; mari.*
*Hæc noui, eſt ſapiens tanta hanc qui duxerit arte,*
*Decepit mentem, lumen & ille ſimul.*

DE CLEMENTE VII. PONT. MAX.

*Omnia perturbans, terram, mare, & omnia mutans,*
*Aſtris triſte ſolum, Septime & aſtra ſolo.*
*Ecquid patraſti? totum dum diripis orbem,*
*Excidio Romam dans, patriamq; iugo.*

*Medica ut ipsa domus radicibus eruta ab imis*
*Surgat, & à geminis sit solidata uiris.*
*Vnus & è numero patrum resplendeat ostro,*
*Vnus & Ethruscas Dux lapidaret opes.*
*Alter in alterius cædem, ferrum, atq; uenenum*
*Præparat, infausti pignora ut œdipodæ*
*Edomuit fatum uiolenter utrunq;, necauit*
*Ensis Alexandrum, uirus & Hyppolytum.*

E GRAECO.

*Tantalis hæc, quæ bis septem est enixa gemellos,*
*Qui Phœbi, & Phœbes sacra fuere simul.*
*Finxit Apollo mares, iaculis'q; Diana puellas,*
*Nam bini binas hebdomadas perimunt.*
*Quæ gregis ante parens tanti, natis'q; beata,*
*Vnum nec uidit heu superesse rogo.*

DE HENRICO REGE GALLIAE.

*Magnus in Italiam, sed magnus ductor in armis,*
*Et secum ære nitens Gallia tota ruit.*
*Non auida imperij, aut prædæ, nec Erinnybus acta,*
*Sed læsi impatiens nominis arma rapit.*
*Nam nisi se opponat magnis Rex maximus armis*
*Non Superi, aut manes, tuta nec astra forent.*

E GRAECO.

*Quæ Gorgi es custos, & seruas prædia, & agros*
*Prædones arcu uirgo Diana feri*
*Sacrabit Gorgus pinguem tibi Diua capellam,*
*Formosos agnos Delia & ante fores.*

## AD LIBRVM.

*Et licet accedas Bellæi lentus ad ædes,*
*Non ingratus eris desidiose liber.*
*Verte in me culpam, nam quum sit crimen honestum,*
*Erubuisse meum, pertimuisse tuum.*
*Ille dabit ueniam, atque manum, uultuq; sereno*
*Te leget, an ualeam, quid faciamq; petet.*
*Me sperare refer, sed spes frigescit in horas,*
*Interea esurio, deficio, atque gemo.*

## E GRAECO.

*Cœpimus inter nos recitare poemata læti,*
*Ludere si cordi est Heliodore ueni.*
*Sed cito, perniciem ueniens mirabere nostram*
*Maiorem nugis Heliodore tuis.*

## AD CAESAREM TRIVVLTIVM

Pont. Nouocomensem.

*Inter Pontifices caput altum extollere posses,*
*Sed quia de putri semine factus homo est.*
*Te geris humanum nec te uirtusq;, domusq;,*
*Nec te inflat Pitho, gloria, honor, species.*
*Deprimis ipse licet, te tollunt munera, quæ mi*
*Das, aurum, cererem, cinnama, mella, piper.*
*Cedo tuis donis, cedunt tua dona, & amori,*
*Sint preciosa licet, dulcia, odora meo.*

## E GRAECO.

*Verborum ò quantam messem, sed frugis eiusdem,*
*Et quot rasuras scripserit hic calamus.*
*Lassa, sciunt, ceruix, oculi, mea spina, manusq;*

*Ob totam totus langueo grammaticen.*

EPIT.

IO. LASCARIS.

*Pontificum, & Regum philomela, & Apollinis exul*
*Quæ patriam è tantis una gemebat humum,*
*Rauca querelarum aſſiduo luctu, atque tenore,*
*Et ſenij cano debilitata gelu.*
*Muta iacet, ſecum ſpe amiſſa perdita & Hellas,*
*Paſtor in æternum mutus & Arcas erit.*
*Veſtra putabatis nam regna reuiſere Grai*
*Huius enim dulci carmine, uel lachrymis.*
*Sed fletum abrupit, & dulces fregit auenas*
*Spes ueſtras, & uos, ſuſtulit una dies.*
*Et nos & Celtas afflixit, Laſcari amate*
*O patriæ à patria tu quoque amate Pater*
*Sic nos liquiſti, patriam ſic deſeris ipſam?*
*A' patria ò patriæ Laſcari flende pater.*
*Per te Permeſſus, Tybris, Rhodanusq́; gementes*
*Flebilibus noſtris multiplicantur aquis.*

AD ALFONSVM OLIVVM.

*Non ego ſum Timon, quamuis uaſtæ incola eremi,*
*Oppida ſi fugio, non homines fugio.*
*Dummodo ſint homines, quorum tu maxima pars es,*
*Et patriæ, & Romæ, Pontificumq́; decus.*
*Quem colo, amo, ueneror, ſuſpiro uidere, loquiq́;,*
*Atque animi latebras exſinuare mei.*
*Hoc teneas: nec enim cultor mentitur eremi,*
*Quod niſi me linquam, linquere te nequeo.*

EPIT.

*Natum armans clypeo mater Spartana monebat,*
*Cum clypeo redeas nate, uel in clypeo*
*Per mare dum Spartam repetit uicto hoste, reuulsa*
*Naue natabat aquis ipse super clypeo.*
*Frigore, sed moriens patrijs miser appulit oris,*
*In clypeo, matri reddidit & clypeum.*

AD VICTORIAM COLVMNAM.

*Amplexus Arethusæ ardens Alpheus ut altum*
*Nat mare, nec gelidis torpet amator aquis:*
*Sic tu dura sequens. Christi uestigia, amansq;*
*Non animum amittis sub cruce pressa graui.*
*Fortior immo oneri insurgens, ut palma, repugnas,*
*Quo ue magis pateris, plus cupis usque pati.*
*Quàm tibi debemus tepidi Victoria feruens,*
*Quæ facienda doces, atque docenda facis.*

AD ECHO.

DE PAVLO III. PONT. MAX.

*Solantem curas inter deserta sequaces*
*Echo hominum, & cœli quem uenerâris, herum*
*Nostra ne adaugeri exposcam stipendia Paulum?*
*Paulum, num lœtus, dic, dabit illa? dabit.*
*Sit licet oppressus tam ingenti milite, lite,*
*Oppugnet, pugnet, mœnia, & ære graui.*
*Sic mihi respondent, spondent, mea uota, precesq;,*
*Aesq;, nec illudis pollicitis, licitis.*
*Ergo ergo, tuq; audax Dominum Dea adibimus? imus*
*Di faxint compos sim, præcor æris, eris.*

E' GRAECO

*Fune trabi annexa pauper pendere parabat*
*Repperit aurum, & ibi fune relicta abijt.*
*Ast qui celauit surreptum uidit ut aurum,*
*Fune trabi annexa, quam reperit, perijt.*

PRO VICTORIA COLVMNA.

*Vnicæ, & unanimi coniux dulcissime rerum*
*Da ueniam uxori, post tua pensa, tuæ,*
*Illa ego si patior post obscurissima noctis*
*Nubila uiua tuæ sole nitente frui.*
*Non me delitiæ, nec hymen, geniusq; retardant,*
*Sed dolor, & uitæ regula dura meæ.*
*Portia, & Euanne, tum Laodomia, dolorem*
*Immo, & amorem ipsum deposuere breui.*
*Ast ego te longum ut uenerer meditando dolorem*
*Viuo, sed in curis, maceror & lachrymis.*

AD PETRVM BEMBVM CAR.

*Et tu Bembe ueni uirtute uocatus ad ostrum,*
*Præmia & emeriti larga laboris habe.*
*Sudasti, requiesce inter sacra lilia, & illum*
*Hic cane, qui hæc fecit otia tuta tibi.*
*Nam Paulo auratum debes plectrumq;, lyramq;*
*Quod te inter mundi lumina tanta locat.*
*Fortunate senex merito tibi contigit uni*
*Laurea pro numeris, purpura pro historijs.*

E' GRAECO.

*Ne retegas secreta tui, licet hostis, amici*
*Non hostem, at sanctam lædis amicitiam.*

AD FRANCISCVM REGEM GALLIAE.

Pacis amatori quid erit tibi magne Valesi
Fœdera post pacis? flumina lacte fluent.
Vndique sudabunt quercus fluei tia mella,
Floribus auratis luxuriabit humus.
Plaude Deis, qui te ditantes diuite cornu,
Dulce tibi cœlum, dant quoque pingue solum.

IN ALLARIONEM EREMITAM Camaldulen. qui coronam ex abiete donauerat.

Quis tulit has gemmas nabatheo è littore ad urbem?
Vel phaetontiadum legerit è lachrymis?
Alta abies fuit hæc Hetruscis montibus orta,
Nunc ueneti excellens Allarionis opus.
Munere me donans sacro, sit pignus amoris
Nostri inquit, nostra facta corona manu.
Quæ cauat è ligno gemmas, & donat amicis,
Ingeniosa illa est & pretiosa manus.

AD CAROLVM RO. IMP.

Ex cinere immundo, stratæ & Carthaginis ortus
Qui maria, & terras persequeretur, erat.
Littora erant deserta metu, tum rura colonis,
Proxima quæ fuerant Ennosigæe tibi.
Punica captiuis ergastula plena gemebant,
Quum lamenta Deos, & tetigere preces.
Motus ab acciduis, sed motus numine Cæsar
Classe fretum tranas fortia in arma ruens.

*Tunc ueluti damæ fortissima pectora bello*
*Cæde, fuga, aut precibus colla dedere iugo.*
*Nil mirum, si te sequitur uictoria, tecum*
*Fortunam Cæsar Cæsaris ipse uehis.*

E GRAECO.

*Stringentem ferrum crudelem ut uidit Orestem,*
*Intulit hæc nato uerba uerenda parens.*
*Tu ne pati poteris pectus terebrare, uel aluum?*
*Aluo ego te genui, pectore teq; alui.*

IN OBITV PETRI DVRANTIS PONT.

*Si gemo, si lachrymor, ne me solamine quisquam*
*Erigat, est luctu parcere uelle nefas.*
*Vsque etiam hic patriæ suspiria sentio, & urbem*
*Incusare ipsos, & fera fata, Deos,*
*Integer, heu, uitæ Durantes raptus ab orbe.*
*Petrus cura, & amor Principis & populi.*
*Et desyderium ille sui tam dulce reliquit,*
*Vt desyderio pascar, & his lachrymis.*

RESPONSVM.

*Quod gemis, & lachrymas, nec uis solamine ab ullo*
*Erigi, & esse putas non lachrymare nefas.*
*Et si etiam patriæ sentis suspiria, & urbem*
*Ob mortem indignam corripuisse Deos,*
*Falleris, & tecum tua Brixia, curia & omnis,*
*Petrus enim fruitur nunc meliore loco.*
*A falsa ad ueram patriam, requiemq; recessit,*
*Assiduo fessus, atque labore graui.*

*Diues, honoratus, Præsul dignusq́; senexq́;,*
*Et populo gratus, gratior & Domino,*
*Tempore non poterat meliori obijsse, fatendum,*
*Viuere quum pulchrum est, pulchrius esse mori.*

EPIT. GRAECAE.

*Obsequiosa fui, sed facti pœnitet, & me*
*Addixi unigenæ ritibus ipsa Dei.*
*At post seruitium, sed parui temporis orbi*
*Cedo uocata thronum Iudicis ante pij.*
*Respice me, sed non sordes ò conditor æthræ,*
*Munda est ante oculos stella nec ulla tuos.*

IN PRINCIPES MALOS.

*Esto trium memor ò Princeps, qui sceptra gubernas,*
*Primum homines quod homo tu regis imperio.*
*Sancta ut iura uolunt, sanctè dominare secundo,*
*Vt nunc quod nec eris denique, semper herus.*

AD ALEX. FARNESIVM CAR.

*Forte admiraris Princeps rarissime; quod te*
*Tam raro aspiciam, rarius atque loquar.*
*Quis reperire potest, quem summa negotia regum*
*Semper habent, & agunt, continueq́; uorant?*
*Tanquam Atlantiades, & candida luna uagaris,*
*Nec tuus est tota certus in urbe locus.*
*Te reperire alibi, quàm nostro in pectore longum est,*
*Hic te contemplor, cerno, saluto, loquor.*

AD HENRICVM GALLIAE REGEM.

*Quos per te ediderim, atque tuo genitore libellos*

*Si uideas, dices, Faustus inarsit amans.*
*Inter & antiquos, scio, me numerabis olores,*
*Ore Valesiacam qui cecinere domum.*
*Nam semper colui tria lilia mystica, ob illa*
*Maxime inauratis lilia odora comis.*
*Rex Henrice igitur sacrum tibi nosce Sabæum,*
*Qui tuus est uates, seruus, & agricola.*

AD MARCELLVM CER. CAR.

*Quæris, quid faciat Sabæus ille*
*Infelix, miserabilis, senexq́;,*
*Tam Marcelle tibi sacratus uni,*
*Quàm Musis, & Apollini, & Mineruæ.*
*Hoc istud facit, & nihil nisi istud,*
*Suspirat, gemit, atque lachrymatur,*
*Incusat genium suum, suamq́;*
*Sortem, tempora, Principes, Deosq́;,*
*Quod sub Pontificum iugo tot annis*
*Egentissimus Irus, Irus inquam*
*Vixit, uiuere si potest uocari hoc.*
*Inter diuitias egenus, inter*
*Tam magnos minimus cliens patronos,*
*Inter tot proceresq́; purpuratos*
*Pullatus senuit, lacer, iacensq́;,*
*Hoc Marcelle potes pati Poetam,*
*Quanuis sit malus, est senex, tuusq́;,*
*Sic sic stare, iacere conqueriq́;?*

E GRAECO.

*Si cum canicie accedit prudentia, pulchrum*

*Est audire senem, & cernere caniciem.*
*Sed si candescunt crines, & garrula lingua est,*
*Turpe audire senem, & cernere caniciem.*

EPIT. VIOLANTIS ROMVLI
*Amasei uxoris.*

*Viuere si potuit rapta Violante marita*
*Tantum dilecta Romulus in dubio est.*
*Attamen ipse trahit uitam, si uita uocatur,*
*Sæpe optare necem, uiuere & in lachrymis.*

EIVSDEM.

*Romuli Amasei consors charissima Ianthis,*
*Quam peperit Rheni Nympha opulenta Itali.*
*A teneris senuit raro cum coniuge concors,*
*Bis seni mater facta puerperij.*
*Magna Deum cultrix, & Dijs adamata citatur*
*Aeterna ad grati præmia seruitij.*
*Hæc desyderium patriæ, nomenq́ reliquit,*
*Atque uiro, & natis perpetuos gemitus.*

EIVSDEM.

*Coniugem Amaseus hanc clausit Ianthida in urnam,*
*Tam proba si mulier clausa latere potest.*
*Cumq́ uxore suam uitam tumulauit, adhuc si*
*Viuit non uita est flere, dolere, queri.*

EIVSDEM.

*Hac quæ transitis, generosæ aduertite matres,*
*Hoc tumulo spirat quàm preciosus odor.*
*Hic nam sunt uiolæ, atque rosæ, uiolasq́; rosasq́;,*
*Sicca licet, nostræ fert Violantis humus.*

*Nanq; probi mores redolent mage, & integra uita,*
*Quam uos cum uestris messibus Arrabiæ,*

EADEM AD ROMVLVM.

*Chare magis tunc quum uixi mi Romule ocellis,*
*Nunc qua pace fruor nec mihi care minus.*
*Cur tu te excrucias flendo, & mea gaudia turbas,*
*Affectu afficior sic tumulata tuo.*
*At potius studeas quales dulcissime eodem*
*Qui fuimus thalamo, simus & in tumulo.*

EIVSDEM EPIT.

*Vxor Amasei peperit cui pignora bis sex,*
*Felsina cui patria est, & generosa domus.*
*Pondere uirtutum lassata quiescit Ianthis*
*Hic sub tam paruo fœmina tanta loco.*
*Romulus erepta sed non uxore quiescit,*
*Sed tumulo incumbens ossa rigat lacbrymis,*
*Et ne unquam abscedat de pectore Ianthis, & ore,*
*Pectus, & os illi consecrat in tumulum.*

PRO NATALI ROMARDO
AD MVSAS.

*O uitæ comites laboriosæ,*
*Et solaciolum meæ senectæ*
*Castæ Pierides adite charum*
*Natalem, & cito adite, & aduolate,*
*Proh dolor dolor hinc parat recessum,*
*Illi & dicite, se dicat, sacratq;,*
*Faustus seruitio tuo, & tuorum,*
*Quod si post cineres rogi, & sepulchrum*

*Inseruire licebit, obsequiq́s,*
*Et post funera seruiet libenter,*
*Nam tantum tibi debet, & tenetur,*
*Quantum soluere non potest Sabæus.*

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

*Hactenus arrisit uotis Rhannusia uirgo.*
*Paule tuis, faustos semper aperta sinus,*
*Te bello, & pace est comitata forisq́; domiq́;*
*Vt plus quàm cuperes officiosa daret.*
*Vitæ ut agas reliquum simili nunc calle, precamur,*
*Ecquis enim uanas has putat esse preces?*
*Cœpisti ob pacem arma olim pro altaribus, at nunc*
*Manibus & templis, relligione, Deis.*

AD EVNDEM.

*Magnanime ò Terti Heroum stirps dia parentum,*
*Sumis in inuictos qui pater arma uiros.*
*Quippe tui hoc magna experti sunt clade Quirites*
*Clamat adhuc Cæsar, pullaq́; Roma gemit.*
*Sed tu non pro te, sed maiestate Deorum*
*Lesa, & contempto nomine Pontificum,*
*Bella geris contra infensos Titanas, & hostes*
*Romani imperij nominis & Latij.*
*Hos si non domitas, alium Dij abscedite in orbem,*
*Orbem alium si non inficit ista lues.*

VIRGO AD EVNDEM.

*Illa ego promissis onerata ingentibus adsum,*
*Exonerari ipso pondere lassa petens,*

*Dum spero, & credo, quis enim non crederet illi,*
*Cui claues cœli credidit ipse Tonans?*
*Facta fui, ut cernis; furtim & cito nubilis, ætas*
*Tam properat, tardant quam tua pollicita.*
*Hac pro solemni tum læta luce diei.*
*Qua decimus fœlix tertius annus eat.*
*Vnum oro oblata toties mihi Paule molesto,*
*(Dote data) aut onera, fasce uel exonera.*

E' GRAECO.

*Quem non absumpsit Mauors hostilibus armis,*
*Excruciat morbi me uiolenta lues.*
*Tanquam Mars alter, ne turpi morte trucider,*
*Hunc Martem, & mortem pellam ego Marte meo.*

AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Res non bella fuit, quod tu Bellæ negasti*
*Vina seni, dices non mea culpa fuit.*
*Errarunt serui, quin tu, qui dicere seruis*
*Debueras, uati fundite uina meo.*
*Non tantum bona uina seni, sed larga, penumq;,*
*Quæ mihi pica canit garrula, dulce meios.*
*Respondes, causa est obliuio, peius oberras,*
*Namq; amor, atque fides immemor esse nequit.*
*Peccatum emenda maiori fœnore, uatem*
*Nam iugulare senem est, uina negare seni.*

AD EVNDEM.

*Sulcabas mare turbidum, rebelle,*
*Plagarum impatiens, minax, fremensq;,*

Spumosum rabie, asperatum & ira,
Dis clamantibus usque & ab profundo,
Et dicentibus, insolens quid audes?
Sæpe ac sæpius insolens quid audes?
Quamuis purpureo nites galero,
Claro & stemmate natus atque diues,
Attentare uiam cupis negatam
Bellæ exitium in tuum, & tuorum.
Confidens tibi, ponto & infideli,
Nostra & gaudia, & otia, & quietem
Exturbare, lacessere, & necare
Contra tempora, fœdera, atque legem
Naturæ, atque hominum æstimationem.
Tunc tu audentior instrepis, ruisq;
Arma in nautica, remiges, rudentes
Vt tiphis, Palinurus, ut Clearchus,
Et quicquid potes, id studes, facisq;,
Potesq; omnia in omnibus paratus,
O' quàm terribilis licet sacerdos,
Et constans animi licet Poeta,
Formidabilis es licet decorus.
Nil mirum tibi si maris procellæ,
Et quæ flamine concitant procellas,
Cedunt, te & fugiunt, timent, tremuntq;.

AD OTHONEM CARD.
AVGVSTEN.

Non potui, & doleo detentum carcere sacro
Cernere, & amplecti te reuerenter herum.

Non ideo erraui, te summa negotia habebant
Intentum rebus consuluisse pijs.
Iulius ille tui mirator poggius ignem
Iniecit nostris ossibus, atque animæ.
Addidit atque oleum cœco Lucretius igni,
Dum numerat laudes ille, uel iste tuas.
Dignus amari inquam es, quod amas uirtutis amantes,
Semper & ore foues, semper & ære iuuas.
Ipse tuorum igitur Faustum numerabis in albo,
Tardus amat, sed non desidiosus amat.

E GRAECO.

Pauper Aristides sed felix pastor habebat
Vaccam unam, atque unam dinumerabat ouem.
Vna dies uaccam infelix, & surripit agnam,
Agna perempta lupo est, uacca puerperio.
Tunc quo cinctus erat corio sua colla ligauit,
Et duo damna uno uindicat interitu.

AD MVSAS.

IN LAVDEM IO. LOTH. CARD.

Musæ Heliconiades per roscida rura uagantes
Quæ legitis primo sub phaetonte rosas.
Sanguine adhuc ueneris pictas, pallore & amantum
Insignes uiolas lilia & alba simul:
Sertaq; conficitis uestris cultoribus, ecce
Quantum uos diuæ Dux Lotharingus amat.
Ante fores uestras uigilat, suspirat, & ardet
Ingredi, & ornari florido honore comas.
Aspirate, manum date lasso, occurrite, pondus

Annorum, & studium, cura, laborq; grauat.
Principi enim tanto si eritis uos gloria, Princeps
Maior erit uobis gloria, nomen, honor.

AD GEORGIVM CARD. ARMINIACVM.

Post quam euasisti sacro sed carcere longo,
In quo tot læti præteriere dies.
Sacra choro Aonidum faciens studia alta capescas
Nobile & incœptum continuetur iter.
Quo causas rerum noscis, sophiamq; Deorum.
Eductam gremio Socratis ingenio.
Quid par uirtuti? quid sanctis moribus? illa
Ducit ad astra homines, hi super astra locant.

AD CAROLVM LOTH. CARD.

Ite meæ Aonides sacrum in conclaue, licebit
Per Dominos uobis ire redire meos.
Et quem cernetis dignum sceptro, atque corona,
Ob laudes animi, corporis atque domus.
Dicite ei incolumen per tot te extrema rursum
Esse, Deis grates thure Sabæus agit.
Expectans à te bona nuncia, & otia, & aurum,
Libri inquam steriles excubiasq; sui.
Hæc si affers Carolus celebrabere magnus, erisq;
Si non nec magnus, nec sibi eris Carolus.

AD IVLIVM III. PONT. MAX.

Acclamationes in die Paschatis.

Esuriens populus panem clamabat, amabat;

Latranti insanam pellere uentre famem.
Pellit, & applaudit dono, & tibi maxime Iuli,
Principe quo nullus dignior imperio.
Nos petimus pasci Cereali munere, pascis,
Euehi & ad Superos, euehis ad Superos.
Hinc tibi clamamus, respondent sidera, & Echo
Tertie uiue, uale, Tertie uiue, uale.

AD EVNDEM.

Siccine me tractas pater enthee, & arbiter orbis,
Sub te ut cogar egens dicere, Roma uale.
Excolui si te, testentur Apollo, sorores,
Et numeri innumeri, plectra, chelis, calami.
Tu mihi concessam exigui uice muneris aufers,
Quæ prærepta prius, quàm fuit orta, chayin.
Redde illam, quam si dederis uel Iule negabis,
Nil mage abundabis, nec mage pauper eris.

AD FRANC. TVRNONEM CARD.

Francisco sacrum Regi tibi maxime Præsul
Exiguum munus largior Arnobium.
Vt uideas, quam mirabar, reuerenter & arsi
Communem dominum, qui mihi numen erat.
Dulce sui nomen manet alta mente repostum,
Qui bene amauit, adbuc ossa amat, & cineres.

AD INNOCENT. DE MONTE CAR.
Carmen retrogradum.

Spes bona, non tua sors, uirtus haud Iulius ardens,
Contulit hoc munus iam tibi Cardineum.

Hoc

Hoc decus eloquio studijs, & moribus aucta
Tertius hortatur, da patruo obsequium.
Sic tibi cœlicolæ rident, sic sydera cœli
Lucida te summum dent fore Pontificem.

E GRAECO.

Quum domus alta super caderet disiecta, puellum
Diuidere in partes debuit innumeras.
Attamen illesum seruauit, plaudite matres
Senserunt uestrum saxa puerperium.

AD AVGVST. TRIVVLTIVM CAR.

Nobiliss. Principum meorum,
Vnum quem ueneror, colo, ardeoq;
Toto pectore, & omnibus medullis,
Hic ille est iuuenis, meas tabellas
Qui defert tibi, quem tibi & sacraui
Supremum ad cinerem usque, & usque ad aras
Hunc si respicis, ut uelim, & iuuabis
Tantillum, mihi tunc eris Triuulti,
Non tantum mihi iam tuo, sed illi
Princeps maximus, optimus patronus.

DEFVNCTVS AD VXOREM.

Quid tumulũ, et titulum affectas mihi cõdere coniux,
Nam posui uiuens mi tumulum, & titulum.
Quem fodi puteus, struxi & mirabile templum,
Ille sepulchrum, istud nobile carmen erunt.

IDEM AD VXOREM.

Post etiam cineres cara & dulcissima coniux
Quid laceras uultus luctibus assiduis?

*Falleris, extinctum si me ipsa putaueris, urbes,*
*Ne moriar, geminæ consuluere mihi.*
*Vrbs uetus aucta undis, prius arida, & indiga lymphis*
*Clauigeri & templo Roma superba senis.*
*Sic etiam hic recubo, ut nullus requiescere regum*
*Nobiliore potest, nec meliore loco.*

IDEM AD LIBEROS.

*Vos ô quæ inuitus carissima pignora liqui*
*Fili, anima, & uita filia amata magis.*
*Ecquid turgidulos fletu fœdatis occellos,*
*Restitui uitæ si data pensa meæ.*
*Hoc stadium excurrens posui Diuisq́; uirisq́;,*
*Diuis templa, domos magnificasq́; uiris.*
*Hi celebrem, æternum hi facient, cœli, inq́; Quirites,*
*Ianitor introitum, dat Deus ipse locum.*

IDEM AD VIATOREM.

*Si quæris nomen, patriamq́; uiator, & artem,*
*Nemo meam, qui non dicere possit, erit.*
*Verum ego in hoc templũ, monimenta et multa locaui,*
*Si reticent homines, marmora cerne loqui.*

AD NICOLAVM RODVL. CARD.

*Iane ueni sed utroq; hilari placidissime uultu,*
*Hæreat & lateri Carna adamata tuo.*
*Fructibus ecce tuas nostris cumulauimus aras,*
*Lacte, fauis, uino, floribus & uarijs.*
*Vt Mæcenati nostro feliciter auctes*
*Gloriam, honorem, annos, commoda, uota, preces.*

AD IVLIVM III. PONT. MAX.

Sat Pauli interitum luxi sub uestibus atris,
Qui mihi nec uiuus profuit, aut moriens.
Et quum nemo esset, nomen qui inscriberet urnæ
Muta fuit, posui nomen ego, & titulum.
Nunc ad te uertam Iuli mentémq;, lyramq;,
Qui mea non tristi carmina fronte legis.
Sed lugubri habitu lætum pœana, melosq;,
Atque tuas laudes concinuisse, nefas.
Da mi igitur uestes lætas, sat luximus atris,
Vel quia das alijs, uel quia iam merui.

E GRAECO.

Tristia castarum uendo instrumenta sororum,
Artis ad alterius transfero me officium.
Verba, & uos Musæ, Musæ, & uos uerba ualete,
Per uos esurio, maceror, & pereo.

AD VIATOREM PRO POETIS in lucem editis.

Hos latices liba puro de fonte uiator,
Nunc nunc hæ dulces exoriuntur aquæ.
Emisere sinu è liquido non Naiades istas,
Sed sacro emanant gutture Castalidum,
Qui sua labra ipsis auidus submerserit undis,
Aebria, dictabit sobria metra breui.

AD EVNDEM.

Sume nouos lusus lector studiose sororum,
Oblectat si te fila animata chelys.

Maxima pars horum fuerat deperdita, sed nunc
Inuenta exultat, garrula & ecce canit.
Plaude repertori, plusquam cantoribus ipsis,
Est cecinisse minor, quam reperire, labor.

DE MARCELLO CER. CAR.

Mella suis liquata fauis sub sole recenti
Ex Helicone, sacræ quæ populastis apes.
Marcellus uarijs fragrantia, ut alter ab oris
Tarpa, legens Musis munera amata dedit.
Gratum opus ingenijs cœca caligine mersis,
Nunc lucem, atque Duces, quos imitentur, habent.
Non modo gratum illis, uerum utile uatibus ipsis,
Ne pereant penitus, quæ periere diu.

IN LAVDEM MARCEL. CERVINI CARD.

Vnde noui & suaues Permesso è flumine cygni
Ad Tybrim ueniunt? Naiades urbis amant.
Quid recinunt? prædulce melos, uariumq; nouumq;,
Quo nec Pympliades cultius ore canunt.
Quis nam iucundis causa ut concentibus istæ,
Tuscus olor, Tuscæ nobilitentur aquæ.
Phœbeas audite & aues, audite canoras,
Mirifice oblectant, dulciter atque iuuant.

PRO EODEM.

Viuite securi uates, & ludite passim
Erepti tenebris, carcere, & interitu.
Et canite Hetruscum Alciden, qui eduxit ab orco,
Vosq; urbi addixit, pauit, & excoluit.

*Nil refert, si non æquatis carmine factum,*
*Virtuti ingenuæ est promeruisse satis.*

AD PAVLVM III. PONT. MAX.
VIRGO.

*Qua deiectus equo, atque minis spirantibus ignem,*
*Fluxit & in terram Paulus, oborta dies.*
*In placidam & mutatus ouem ferus ipse Lycaon,*
*Defensor nostræ credulitatis erat.*
*Sic Pauli exemplo conuertere, respice. & audi*
*Paule iterata tuæ uota, preces famulæ.*
*Et qui pascis oues, nostrum & tutaris ouile,*
*Agna ego uicta fame, consule ne peream.*

AD CARD. DVRANTEM.

*Quantum ego iam dolui, tantum nunc gaudeo, uires*
*Pene quidem amissas inualuisse tibi.*
*Vota, precesq́; mouent Superos, quas fudit in horas*
*Brixia, Roma, & te qui reuerenter amant.*
*Res indigna inerat tenerum, tum suaue rubentem*
*Decutere hunc florem, tamq́; perire breui.*
*Viue, uale, & spera, nec enim es donatus amicis*
*Frustra, urbi, & domino, patriæ & incolumis.*

CARMINA LOQVVNTVR
quæ collegit Marcellus Ceruinus
Card.

*Sparsa Poetarum fueramus gramina opacis,*
*Non plantata locis, sed tumulata prius.*
*Vepribus euulsit nos & Ceruinus ab umbris*
*Præsul, & imposuit fertiliore solo.*

Et male oborta secans plantaria multa, comasq;
Illorum excoluit falce, ligone, manu.
Sic nunc prospicimur cunctis, fructumq; feremus,
Iam priuata, at nunc publica facta sumus.
Commoda Marcellus dedit hæc, & Adonidis hortos,
Tam uigilans pastor, quàm bonus agricola.

AD POETAS.

Nominis ò Latij recludite lumina uates,
Vrgeat illa licet ex adamante sopor.
Cernite quo studio, cura, ære, labore requirit
Vndique Marcellus pignora uestra uigil.
Aeque amat illa, ut uos, sed plus deperdita, quàm uos
Quæritat impatiens, & lacerata dolet.
Curat, & instaurat, populo, ut possintq; poetis
Integra uel tradi, culta uel illa legi.

PRO ANGELO COLOTIO.

Non orta alcinoi sunt hæc felicibus hortis,
Mala, nec Hesperidum nobiliore solo.
Verum ex fœcundis Latij Collotius aruis,
Et pauca occiduis carpsit ab arboribus.
Seruauit matura tibi, immatura reliquit,
Hospes, sume, & ede qualiacunque uelis.
Fructibus his charis est talis, licet ista legantur
Cuncta, eadem subito poma renata uides.

PRO MARCELLO CER. CAR.
& Angelo Collotio.

Inter cultores Phœbi, ni fallor amore,
Sunt gemini eloquio maximi, & ingenio.

*Vnus enim est uates, & rhetor maximus alter,*
*Concordes gemmas, quæ periere, legunt.*
*Has poliunt, illasq́; nouant, claudúntq́; monili*
*Vno, omnes lector quæ tibi dantur opes.*
*His animum exorna, atque caput, nam cultor uterque*
*Pieridum gratis dat tibi utraque manu.*
*Colloti cytharæ, calami & Marcelle potentes,*
*Aurea uos canitis, & pretiosa datis.*

AD LECTORES.

PRO MARCELLO CER. CAR.

*Tempora honoratis niteant ut uestra corollis,*
*Qui legitis flores hos bene olentis humi.*
*Cultori ornatum pueri, & debetis honorem,*
*Huius ope inuentas surripuistis opes.*
*Languebant sub humo, uos optabatis & illas,*
*Quam lætum hauserunt, & micuere, diem*
*Sicq́; olitor flores posuit, decorauit, & auxit,*
*Vt sint Nympharum gloria, & Aonidum.*

AD LECTOREM.

*Qui suspirastis iamdudum inuisere montes*
*Aonas, & latices dulce sonantis aquæ.*
*Hac iter est latum per amena uireta uiator,*
*Et quæ dura fuit semita, mollis erit.*
*Non multum incedes, placidæ, facilésq́; sorores*
*Occurrent, læta te excipientq́; manu.*
*Et choreas tecum ducent, & carmina dicent,*
*Téq́, omnem pingent floribus ambrosijs.*
*Et caput ornabunt immarcescente corona,*

Tunc Phœbi aurato pectine digna canes.
Carpe iter hoc, nam per fontes, per prata, per umbras,
Hæc uia te ducit commoda, recta, breuis.

## AD MARCELLVM CER. CAR.

Legit Aristarchus sparsos hinc inde labores,
Quodq; dedit soli, maxime Homere tuos.
Nomine non caruit, sed tu qui nomina uatum,
Et sua scripta rapis plurima ab interitu.
Quæ serta accipies? satis est Marcelle poetas
Hos uitæ, & patriæ restituisse suæ.

## AD LECTOREM.

Quæ ridere uides, uarijs uernantia & herbis,
Arida, & inculti rura fuere soli.
Plena & odoratis niteant terrestribus astris,
Applaudentq; oculis, sollicitentq; manus.
Si qua placent, flores, & germina carpe, colonus
Non sibi, sed cupidis has cumulauit opes.

## AD BERNARDINVM SCOTVM Card. Tranensem.

Tantus amor tuus in Musas, tantumq; poesim
Diligis, obseruas, imbibis, & celebras.
Et me iam latuit, possum ne hoc ferre? poetas
Te excipere eiectos, meq; latere diu hoc.
Erraui grauiter, grauius me plectit Erinnys
Nec pœnam ob culpam deprecor ipse meam.
At postquam hoc notũ est, quid agam? uestigia pronus
Osculor, inq; tuo nomine ego exhilaror.
Nec satis ista tibi, membra hæc, animamq; dicabo

*Et si quid membris charius, atque anima,*

DE MARCELLO CER. CAR.

*Vt quandoq; sibi, & Musis Marcellus amicis*
*Degeret, hanc struxit per nemora alta domum.*
*Omine nec caruit, si Viui ad fluminis undam.*
*Ipse habitet, uita est uiuere ab urbe procul.*

SOTADICVM CARMEN.

*Nobilitas tua, non pergendi gratia traxit*
*Visere te paruis me modo muneribus.*
*His super ingenij maius nam tradere munus*
*Preparo, si dignum te mihi reddideris.*

AD HENRICVM REGEM
GALLIAE.

*Inter egestatem monstrum deforme pudendum*
*Vinclaq; seruitij longa, & acerba mei.*
*Quis me posse putat curas superare sequaces,*
*Inter & Aonides increpuisse lyram?*
*Spes tamen una in te Rex uicit utrunq; laborem,*
*Pauperiem duram, durius atque iugum.*

DE MARCELLO CER. CAR.

*Illimes inter fontes, nemus atque uerendum,*
*Et placidos colles limina celsa uides.*
*Vt perscrutator naturæ arcana latentis,*
*Dedicet & studijs otia rapta suis.*
*Hic ubi Marcellus sacri pars magna senatus,*
*Quam procul urbe manet, tã prope habet Superos*

DE EIVSDEM VILLA.

*Hic ubi uisa olim mortalia numina Fauni,*

Naiadum & choreæ, Didriadumq; chori.
Et Dea syluarum cultrix cursu, atque sagittis,
Et clamore acres exagitasse feras.
Marmoreæ insurgunt moles, prætoria & alta
Syluestri inq; loco est tam speciosa domus.
Vt qui iam Reges flexit Ceruinus, agrestes
Mulceat & Diuos, moribus atque feras.

DE EODEM.

Gaudete o syluæ, & fluuij, vallesq; repostæ,
Marcellus uestram Tuscus eremon habet.
Factus enim suus est, liquitq; negotia, & urbem,
Innocua hic gaudet rusticitate frui.
Nam procul a turba qui se supra extulit, hic se
Cum uirtute locat, & Superis fruitur.

DE EODEM.

Vrbe relicta ad uos (Marcello occurrite Nymphæ)
Simplice contentus conditione uenit.
Viuat ut in syluis, modo qui splendebat in ostro,
Vestra dioneis spargite tesqua rosis.
Quod si iterum pugnant, Tritonia, Cypria, Iuno,
Pallas ut in Thuscis uincat utranq; iugis.

DE EODEM.

Inter concentus uolucrum pace, atque quiete
Ceruinus fruitur, rusticitatis amans.
Illi sancta Pales plaudas, facilesq; Napeæ,
Floribus auratam conspicietis humum.
Amplius haud pudeat Phœbum pauisse iuuencos
Postquam Marcellus rura, nemusq; colit.

AD FLVMEN NOMINE VIVVM.

Qui chrystalla uehis fons ò liquidissima dulci,
Nympharum exoriens blandule de gremio.
Leniter & gressu placidissimo, & ore silenti,
Viue per umbrosa hæc & nemora alta meas.
Accola Marcellus tuus, ecce palatia, Apollo
Iam cytharam tendit, Pympliadesq; canunt.
Gaude sorte, ex te qui potet, sentiet, haustu,
Phœbum ipsum, & doctas ille bibisse deas.

AD ALEX. FARNES. CAR.

Non quia sis Princeps, nec quod Rhannusia uirgo
Plaudat, & amplexu lætior excipiat.
Sed quia uirtutum, & morum es studiosus, & æqui,
Te celebro, & sacris oscula do manibus.
Nanque tuo aduentu uiolisq;, rosisq; repleta
Tota urbs, quæ labris prosiliere tuis.
Quippe tuo aduentu facta est clementia cœli,
Impleuitq; urbem floribus ambrosijs.
Fortunate iterum per te bruma aspera uernat,
Nanq; rosas, uultu quas geris, ore refers.

AD AMICVM.

Moui omnem lapidem multis labentibus annis
Irrepsit donec nix capiti alta meo.
Inuolucra ut lapidis scirem admiranda sophorum,
Ast operam, atq; oleum perdidi ad usq; diem hanc,
Arrisit tandem ipsa Dei mihi gratia, & ultro
Occultum clara luce reclusit iter.

*Quid tibi Corneli pro tanto munere reddam?*
*Nam superant cunctas, quas mihi tradis, opes.*
*Quum mihi nil maius q̃ cõmoda, membra, animusq́;,*
*Sint, tibi sacro libens commoda, membra, animum.*

AD COMITEM MICHAELEM A TVRRE.

*Hinc atque hinc gemitus, imoq́; ex corde querelas*
*Sentio, & erumpent, ut uideo, in lachrymas.*
*Quum tu discedes Turri inculpate Michael,*
*Et linques, qui te tam reuerenter amant.*
*Ipse ego quid faciam sine te? clamare, dolere,*
*Teq́; uocare, parum, nil lachrymare iuuat.*
*Hoc solamen erit, quod Rex te Henricus amabit*
*Ingenij ob dotes, ob speciem, atque domum.*
*Et Paulo applaudet, reducem quia miserit illi*
*Heroem, patrio lilia & ipsa solo.*

LAVDAT VILLAM MARCEL. Ceruini Card.

*Fessa laborabat Dyctinna calore, sitiq́;,*
*Vmbra æstum exoptans pellere, & amne sitim.*
*Quum se offert nemus hoc, & fons argenteus illi,*
*Hic ubi Marcellus tecta superba locat.*
*Vt requiescat ubi positis uictricibus armis*
*Et requiem, & uiuas Cynthia & hausit aquas.*

AD ASCANIVM COLVMNAM

*Sis licet Ausonios proceres amplißimus inter,*
*Vrbis & æternæ maximus ipse Duces.*
*Teq́; licet nemo præstantius ore loquatur,*

Nam loqueris gemmas, aurea uerba, rosas.
Non tamen ista tibi inuideo DUX optime, uerum
Dura pati quòd scis, uincere, amare libens.

AD IVLIVM III. PONT. MAX.

Quartus adest & adest Iuli feliciter annus
Imperij, & rident tempus, & astra, tui.
Tempus, & astra alijs bellorum extrema minantur
Principibus, Iani templa & aperta sonant,
Arma, & in arma ruunt Reges, populiq;, Ducesq;,
Fœminæ & imbelles bellaq;, & arma gerunt.
Tu tamen in pace es tutus, quis bella moueret
Victrici lauro, montibus atque nouem?

AD EVNDEM.

Sub tot Pontificum imperio, nam quinq; fuerunt,
Pauper egens uixi, pauperior senui.
Nec quicquam minimum potui extorquere petendo
Suppliciter multis questibus, & lachrymis.
Sub te nunc spero, quis non speraret in illo,
Pontificum, & Regum cui mage larga manus.
Ad quem confugiunt uirtus, & Apollo, nouemq;
Castalides, & tu docta Minerua uenis.
Serta tibi, & Phœbo, uobis montesq; Camœnæ
Iulius auratos, huc properate, dabit.

AD EVNDEM HABITA GRATIA quam petiuit.

Integerrime Pontifex, paterq;
Iuli Tertie ouilis uniuersi
Gratias tibi maximas Sabæus

Largitur minimus licet Poeta
Tanto inquam minimus Poeta, quanto
Ille es maximus omnium monarca.

AD PETRVM IO. ALEOTVM
dignissimum præsulem.

Cana fides, candorq; animi, tum mentis acumen
Petre tuum penetrans abdita templa poli.
Et sincerus amor, curæ, assiduiq; labores
Istud agunt, quod te diligit urbis herus.
Semper enim domino instillas dignissima nostro
Cunctorum es fautor officiosus amans.
viue diu incolumis, cœlum & tua uota secundet,
Regibus & populis nam tua uota placent.

AD IVLIVM III. PONT. MAX.
PRO VIRGINE.

A' te facta, mihi sublata est gratia Iuli,
Et male tractata hæc, prodita manca, gemit.
Trunca manus, ambosq; pedes, & colla, caputq;,
Nec pars ulla sui est, uulnere quæ careat.
Nam qui debebat illam subscribere Iacob,
Proscripsit gladij cuspide, non calamo.
Ad te clamat opem, debes succurrere, quòd sit
Nata tua, & uirgo, tu pius, & genitor.
Si nescis, ubi sit miseranda puella, profundo
Quem tu fodisti, naufragat in puteo.

AD GEORGIVM CARD.
ARMINIACVM.

Non quæ damnauit synodus Nicena Georgi

*Prodigiosa fero martyris acta tibi.*
*Sed quam seruus amans, & fidus uiderat, & quam*
*Scripserat ut ueram largior historiam.*
*Quam relegens dices non murice comptus, & auro*
*Curru, & equo uectus tendit ad astra potens.*
*Nanq; est incurui stellantia ad atria cœli*
*Ardua, difficilis, sanguinolenta uia.*
*Tristia das dices, uerum est, sed triste theatrum hoc*
*Gloriam, honorem, & opes, gaudia & intus habet.*

AD MVSAM.

*I musa plum ad dominum properanter, & illi*
*Caniciem ostenta, seruitiumq; meum.*
*Dicito ut insidias quidam mihi tendit, & instat*
*Vt tua sancta manus sit mihi causa necis.*
*Nam per decessum, & cessum, uerba impia quærit*
*Otia, & Aonides eiugulare meas.*
*Quod si concedis, scito mi iniusta parari*
*Bella, dolos, laqueos, arma, uenena, necem.*

AD VERONAM IN ADVENTV PONT. SVI.

*Quem dudum optasti Verona relicta, gemensq;*
*Pastorem, immo patrem suscipe læta tuum.*
*Lætus, & incolumis redit ad sua septa, gregemq;*
*Pascat, et ut curet quas cupiebat oues.*
*Plaude tibi, lætare illi, tibi reddita, & illi*
*Credita, nec tua eras, nec sua sola iacens.*
*Illius aduentu, & studio, & uirtute resurgens*
*Quod modo languebat tollis in astra caput.*

Nocturnos fures non amplius ipsa, luposq;
Tuta Argi excubijs ne uereare tui.
Ingenijs dotata altis Verona, situq;
Vere una es tanto Præsule digna regi.

IN LAVDEM GVGLIELMI SIRLETI.

Expectata diu, sperata diutius, immo
Extorta à Superis thure, prece, & gemitu.
Illuxit plus sole dies preciosa, nitensq;,
Tam mihi quàm cupidæ bibliotheca tibi.
Illustres animæ gaudete, & plaudite libri,
Quem suspirastis iam Gulielmus erit.
Dulce sodalitium, fida & custodia uestrum,
Delitiæ & uestræ, publica fama, & bonor.
Tanquam cum Tarpa, cum quo uersare potestis
Mosen, Virgilium, Meonidemq; senem.
Ludere, luctari, dubitare, & soluere nodos,
Deq; altis rebus disseruisse Deum,
Tu uero Sirlete ueni, proceresq; saluta,
Hic te te expectant, & reuerenter auent.
Quod si tardabis (timeo) ne hæc turba cathenas
Claustraq; confringat, & tua tecta petat.
In tua colla ruat, multo impete & atterat, & te
Amplexu illidat, oscula & exaniment.

AD PETRVM DANESIVM.

Ceruinus mihi plurimam salutem
Tuo nomine detulit Danesi,
Fortunamq; tuam auspicatiorem

Longe

Longo syrmate, & ordine explicauit,
Dicens, quod moderaris, atque formas
Delphinum puerum indolis serenæ,
Tibi gratulor, atque litteratis,
Necnon & mihi semilitterato:
Spera non nisi maxima ò Danesi
Cum sis maximus inter eruditos,
Facundissimus, integerrimusq;,
Tanti Principis ut decet magistrum.
O' sors candida, læta, liberalis,
Quæ te respicit, euehit, fauetq;,
Quod Regem moderaris atque formas
Sub cœlo genitum fauente & ortum
Inuicto & genitore glorioso,
Sub quo est gloria Cæsaris sepulta.

PAVLVS III. AD LECTOREM.

Quod tumulus titulo caruit mirabere lector,
Causa necis nostræ quippe silenda fuit.
Occubui ante diem, quanuis confectus ab æuo,
Nec potui hostiles edomuisse minas.
Si post fata datur ulcisci damna, necemq;,
Quum nequeam uiuens, nudus in arma ruam.

AD HOSPITEM QVVM DIV fuisset urna sine titulo.

Quod rudis, & muta est urna hæc, miraberis hospes,
Multorum lachrymis quam maduisse uides.
Non opus huic cultu est picto nec nomine, nam pax
Italiæ, & uirtus ornat, & hanc loquitur.

## AD EVNDEM.

*Mole sub hac Paulus requiescit lassus ab annis,*
*Virtutum atque graui pondere, & imperij:*
*Qui nisi curarum iugulatus ab ense fuisset,*
*Fregisset fusos, pensa, colum, Eumenides.*

## AD EVNDEM.

*Non ratione caret moles rudis ista, silensq́;*
*Aequari Paulo non ualet ullus honor.*
*Sumptu omni, & titulo est maior, quia maximus, illi*
*Orbis erit tumulus, uita decens titulus.*

## AD EVNDEM.

*Si nescis tumulus quid contegat iste uiator,*
*Luctus hic & tota dicat in Vrbe dolor.*
*Si nequeunt luctus luctu, dolor atque dolore.*
*Prae nimio in casu labra aperire truci,*
*Saltem pax Latij referat, uulgentq́; sepultum*
*Instauratae Vrbis moenia, templa, uiae.*

## E GRAECO.

*Quid tu te excrucias studio, cura, atque labore*
*Crastina perquirens quid ferat ipsa dies.*
*Quis uentura potest cognoscere, pocula, lusus,*
*Gaudia te oblectent, & Venus alma parens.*
*Vita hominum est aliquid, si sic deducitur omnis,*
*Sed si aliter non est uita, sed interitus.*

## AD IO. BELLEVM CARD. PARISINVM.

*Perlege quos trado Bellae poeta poetas,*
*Excidit hoc uerbum perlege de calamo,*

Nam uix permittunt te summa negotia rerum,
Et mensæ, & somni tempus habere tui.
Pauca tamen decurre, tibi dona ampla uidebis,
Quæ tribuere Dei, surripiuntq; homines.
Tuq; tibi ò quantum ingratus, cœlo, atque camœnis,
Quamq; tuo debes ingenio, & genio.
Concinite Antoni, Bembe & tu dulce, legentem,
Ne pigeat, tum me, qui dederim, pudeat.

AD IORDANVM B.

Cur promissa diu differs Iordane? & in horas
Causando crucias meq; tuamq; fidem?
Ecquid sperandum tenui de fonte, redundans
Si mihi promissam non dabit amnis aquam.

E GRAECO.

Omnes emorimur, nemo ex mortalibus ægris
Dicere qui possit, cras ego uiuus ero.
Qui legis, hæc manifesta uidens tibi consule, uitam
Viue hilarem, mortis uincula solue bibens.
Lætare, exulta, sors uerset cætera, si uis
Viuere, uiue inter gaudia, uina, iocos.

AD MANES FRANC. REGIS GALLIAE.

Tolle tuum caput è gelido Francisce sepulchro,
Et uideas nati prospera gesta tui.
Non superasti hostem, nec adisti classe Britannum,
Classe hostem Henricus ecce adit, & superat,
Expecta maiora modo, & requiesce, triumphi
Donec pompa, & Io te citat è tumulo.

E' GRAECO.

*Si cupis ulterius post canos uiuere crines*
*Dignus eris decades uiuere Nestoreas.*

AD AMICVM.

*Et nollem, ut uellem, quod uis implere, iubesq́;,*
*Vt pendeat pœnas furcifer hic meritas.*
*Iusta petis, sed non iustum est me autore, quod autor*
*Extiterit nostræ primus amicitiæ.*
*Debeo multa tibi, fateor, mihi plura, per illum*
*Te noui, admiror, diligoq́;, & ueneror.*
*Et per te spero Corneli maxime multum,*
*Re modo, si quondam nomine Faustus eram,*
*Parce mihi, si sum mitis, si tardior, ipsum*
*Odi, & amo, & nequeo parcere, parco tamen.*

AD IVLIVM III. PONT. MAX.

*Cogor dicere, pandere, & tonare*
*Iuli maxime Pontifex, paterq́;,*
*Quod palatia sacra sunt profana,*
*Nanq; hæc area dedicata Musis,*
*Vnde tu loqueris, cubas, quiescis,*
*In qua bibliotheca stat sacrata,*
*Facta est putida, fœda, spurca, fœtens*
*Latrina omnium, & omnium cloaca.*
*Hac Paulus ratione erat uiator*
*Vagus, discolus, erro nominatus,*
*Tu discurrere, & hinc & hinc uagari*
*Ne cogare, iube omnium hanc cloacam*
*Curari, his male olentibus popinis,*

Tuorum lotio atque concacato,
Verbum hoc excidit ore concacatum,
Parcas non potui tenere uerbum hoc.
Nam ſpiro, & loquor inter hos odores,
Et tu ferre potes, potes ne peſtem hanc
Iuli maxime maximam mephitim?

AD PETRVM ANTONIVM
Contuſium medicum.

Quod me curaſti laſſo languore iacentem
Antoni medicæ lumen, & artis honor.
Quid tibi pro meritis tribuam, cura, atque labore?
Nam ſuperat gemmas inſtaurata ſalus.
Fœdus amicitiæ, communis Apollo, fidesq;
Læſa eſſet, ſi quid contribuiſſe uelim.
Debebas, ſi curaſti, ſeruare Poetam,
Qui te decantet, te ueneretur, amet.
Sat mercedis erit uitæ, caræq; ſalutis,
Si ſeruatorem dixero te, & dominum.

AD MARCELLVM CER. CAR.

Legerat orbe omni uirtutum lumina Paulus,
Purpura ut ardentes tollat ad aſtra uiros.
Tunc ait Vranie noſtra eſt cur Paule relicta,
Et tua, tanq; urbis gloria, quàm patriæ.
Tertius huic ecquis? tunc te Dea uulgat, & inſtat,
Iamdudum hic redolet murice Paulus ait.
Et ſubito abſentem te munere donat, & oſtro,
Et qui noſter eras, charior addit, eris.
Inq; dies maiora tibi promittit, & optat,

*Non maiora tuis moribus, & studijs.*

AD MAGISTRVM DOMVS S. D. N.

*Mi niue candidior Ceres est, promissa recenti,*
*Et datus est panis nigrior elleboro.*
*Effice quod debes, debes tua iussa tueri,*
*Iura, charim, munus, pollicitamq; fidem.*

E' GRAECO.

*Quisque suos patitur manes, qui nupserit, istud*
*Omnibus est notum uxorem sed ducimus omnes.*

AD VRBEM ROMAM.
DE IVLIO III. PONT. MAX.

*Roma ubi sunt plausus, ubi iubila, gaudia, quum te*
*Per mediam incedit Iulius ore hilari?*
*Læta nec acclamas? nec tu te effundis ubiq;?*
*Sed neque spargis humum floribus atq; uiam.*
*Quid tibi uis faciat princeps in paupere regno,*
*In tempestate hac, pondere subq; graui?*
*Qui si pauperiem, & curas nouisset, onusq;,*
*Dixisset, longe Pontificatus abi.*
*Plaude tamen, sperans qui dat cœlestia Iulus,*
*Annonam, & pacem, iustitiamq; dabit.*

ROMVLVS CERVINVS AD
HOSPITEM.

*Hospes qui exultas opibus, uirtute, iuuenta;*
*Interitu discas cautior esse meo.*
*Diues eram, iuuenis, studiosus, nobilis, in me*
*Iniecit rapidas inuida parca manus.*
*Occubui non inuitus. mea debita Christi*

*Soluat, & emendet sanguis, & unda, pij.*

EPIT. ROMVLI CERVINI.

*Romulus hic parua dormit Ceruinus in urna,*
*Vltima donec erit, terribilisq́ dies.*
*Interea à lachrymis dulces absistite amici,*
*Illum ut respiciat, sollicitate* Deum.
*Quanuis uita illi studiosa, modesta, nitensq́;*
*Nemo potest meritis sydera adire suis.*

ROMVLVS CER. AD LECTOREM.

*Disce meo exemplo, qui transis candide lector,*
*Quàm fragilis uita est, spes quoq; uana hominum.*
*Sorte mea contentus eram, quæcunq; fuisset.*
*Nulli hostis, nullis inuidus ipse fui.*
*Virtutis cupidus, tum religionis amator,*
*Pacem dilexi, tum sine lite diem.*
*Vidit, & inuidit uitæ, nostræq́; quieti,*
*Et rupit uitæ stamina parca meæ.*
*Spero Redemptoris nostri pietate, parentis*
*Delebit maculas mors preciosa meas.*

EPIT. ROMVLI CER.

*Felix, parua licet, graueris urna*
*Tot singultibus hinc & hinc querelis*
*Tantarum & numero osculationum:*
*Et multis titulis uelut trophæis.*
*Nam doctum iuuenem, bonum, elegantem,*
*Plenum gratiæ, & eruditionis,*
*Et facundiæ, & omnium leporum*
*Celas proh dolor ò dolor sepultum.*

*Celas inuida Romulum, rapaxq;*
*Ceruinum, improba, auara, contumaxq;,*
*Quem desyderio uocant, gemuntq;,*
*Vrbs & patria, litterati & omnes*
*Et tu contigis urna, possidesq;,*
*Vrna amplecteris, urna & oscularis.*
*Et nos plangimus, atque lachrymamur,*
*Nec tantum lachrymamur, & dolemus,*
*Nobiscum at grauitas uetusta legum,*
*Et Phœbi chorus, & nouem sororum.*
*O quantum Ausonis ora perdidisti.*

AD MARCELLVM CER. CAR.

*In casu atroci Marcelle, & funere fratris,*
*Qui tam carus erat, quam tibi sunt oculi.*
*Experior, quam sis prudens, solaris amicos,*
*Qui consolari te uoluere, tuos.*
*Quod uirtutis amans, scelerum purusq; fuisset,*
*Tam colui hunc, mores quam meruere sui.*
*Romuli ad inferias immitte aut scribe sepulchro*
*Ista, ut olor luxi carmina, non cecini.*

AD ALEX. FARNES. CAR.

*Quum canerem Pauli princeps te die nepotem,*
*Inter thermarum diruta saxa sedens.*
*Sæpe mei rediens ad me sermonis imago*
*Illusit uerbis per mea uerba meis.*
*Dicebam quis tu? dixit* TV *forsitan alter*
*Faustus, an alter ego, uox referebat* EGO.
*Dic ubi sis?* VBI SIS, *mihi respondebat imago,*

*Fac ut te inueniam, rettulit hæc,* VENIAM.
*Expecto, sed frustra, iterum loquor, illa loquuta est.*
*Quæq; ego dicebam, reddidit illa eadem.*
*Antra intro, nullum uidi, delusus ab Echo*
*Erubui, & risi, sed magis erubui.*
*Tunc magis accendor cantu te extollere, cernens*
*Quod te cognoscunt concaua saxa, & amant.*

E' GRAECO.

*Tam me pubertas cruciat, quam cana senectus,*
*Hæc cito quòd ueniat; hæc cito quòd fugiat.*

DIALOGVS POETAE ET CAL-
*liopes in redditu Georgij Card.*
*Arminiaci.*

*Scis ne Calliope meum, tuumq;*
*Constans præsidium, ducem patronum,*
*Votis omnibus undique expetitum*
*Venisse incolumem? scio, & uolebam*
*Vt notum tibi sit, uiam uorare,*
*Nanq; hunc sedula turba iam sophorum,*
*Rhetor quilibet, omnis & poeta,*
*Orator, medicus, scholasticusq;*
*Omnisq; astrologus, sophista & omnis,*
*Demum & denique litteratus omnis,*
*Lassarunt nimia osculatione,*
*Et tu Faustule iners, piger, supinus*
*Tuum præsidium, ducem patronum*
*Nullo munere, uoce nec salutas?*
*Pro quo sollicitus Deos rogasti,*

*Quare si sapis i celer, uolaq́;*
*Illum cernere, & alloqui, osculari,*
*Et quicquid tibi thuris est Sabæe,*
*Et quicquid salium in tuis libellis*
*Totum collige sarcinator illud,*
*Dijs cœlestibus offer, & patrono:*
*Thura Dijs Superis, sales patrono*
*Vt quem numina sancta sospitarunt,*
*Seruent numina sospitem, beentq́.*

AD AMICOS.

*Vos quibus est curæ tumulo me condere amici,*
*Me titulo, atque urna contumulate breui.*
*Carmina nulla mihi, nec marmora grandia curo,*
*Lectorem hæc cruciant, ista grauant cinerem.*

EPIT. FAVSTI SABAEI.

*Non titulum oblongum, nec grandia marmora curo,*
*Tantillo cineri sufficit iste lapis.*

ALITER.

*Ne mirere, breui titulo si condor, & urna,*
*Tantillo cineri sufficit iste lapis.*

AD IO. BELLEVM CARD.
PARISINVM.

*Corpore quum nequeam te uisere maxime Præsul,*
*Opto te incolumem uiuere, te & ualidum.*
*Teq́; mei memorem, Superi hæc si uota secundent,*
*Vlterius non est, quod cupiam, atq; uelim.*
*Dices, paruа petis, uerum est, sed magna roganti*
*Quum mihi non dentur, sat mihi parua dari.*

## AD REGINAL. POLVM CAR.

Si fortuna pijs hominum conatibus hostis,
  Orbis ad imperium quum petereris, erat.
Facta parens & nunc uigilat, studet anxia, & instat
  Sis uice Pontificis maximi ut in patria.
Et patria acclamat uenienti plausibus, ac si
  Ipse triumphali deueherêris equo.
Pole illi debes, tibi sed magis illa, rebellis
  Quæ fuerat fidei conciliata redit
Ad solitos per te cultus, & sacra Deorum
  Iamdudum, patres quæ tenuere sui.
Quod si nil aliud facies, quàm feceris, impar
  Longe erit à factis gloria quæq; tuis.

## EPIT.

## BARTHOLOMEI STELLAE.

Mentitur nostrum Stellam qui dicit obisse
  Vir bonus, & prudens non obijsse potest.
Sed proprias sedes, & regna uocatus adiuit.
  Nam cœlum stellis est locus, & patria.

## EIVSDEM.

Dic Romæ, & patriæ sic me uidisse sepultum
  Hospes, si Romam ueneris, & patriam.
Extra cognatos perij, uerum inter amicos,
  Inter & amplexus, & domini lachrymas.
Non doleo mortem, sed non potuisse reuersum,
  Pole triumphantem cernere te in patria.
Vt cuius dolui exilium sortemq; malignam
  Gauderem tantis plausibus & reditu.

AD IVLIVM III. PONT. MAX.

Qui sunt hi plausus, quæ gaudia, iubila, clamor,
Quid uult Roma ardens, lampadibusq; micans?
Exultant omnes, saliunt, plauduntq;, canuntq;,
Læta etiam ex altis turribus æra sonant.
Templa frequentantur, celebrant solemnia mystæ,
Summus & antistes thura Sabæa cremat.
Qui fuerat nostro diuisus ab orbe Britannus
Noster, & est nostræ credulitatis amans.
Nanq; tuum ad gremiũ supplex te, & pronus adorans
Optime Iule tua sedulitate redit.
Viue diu, & uiues felix ter maxime Princeps
Restat enim maior palma, triumphus, honor.

AD HIERONY. SAVLIVM.

Tandem Felsina Saule te remisit,
Sed non sponte remisit ad Quirites,
Ad dulces socios, tuosq; amicos,
Qui te tempore longiore quærunt,
Suspirant, repetunt diu cupitum.
Quare gaudeo nomine amicorum
Sospes quod uenias uolens, lubensq;
Inter Pontifices, sacrosq; patres
Vitam ducere Pontifex, paterq;,
Si sic gratulor Vrbs tibi, & camœnis,
Quod qui te petiere litterati,
Exultent habuisse litteratum,
Immo maximum, & optimum patronum.

AD ALEX. FARNES. CAR.

*V t quandoq; memor nostri sis maxime Princeps*
*Optime Alexander, mittimus Arnobium.*
*Non uenit ut munus, sed ut explicet, afferat in te*
*Quid spero, & quantum diligo te, & ueneror*
*Quod si sors uotis. & tu mi arriseris, ara es*
*Vna mea, & templum, tunc mihi numen eris:*

AD FEDERICVM RAYNALDIVM.

*Quòd pro me tuleris multos Federice labores,*
*Dum scribis lusus impiger ipse meos.*
*Immo meas nugas, quarum oblectamine dulci*
*Traduxi uitam lusus, inanis, inops.*
*Ipse meum in corium posthac si lusero uel si*
*Nostra nouercari sors inimica uelit.*
*Quod nequeam ut uellem tibi reddere debita, saltem*
*Vos Musæ, & numeri dicite quod nequeam.*

DE EODEM.

*Vos ò iam dulces iuuenem uidistis amici*
*Arcta cathenatis uincla leuare uiris.*
*Et consolari afflictos, ægrisq; mederi,*
*Vestire & laceros, & dare pacis opem.*
*Quam meruere pij ij patres, sine crimine uincti,*
*Damnati insontes carcere perpetuo.*
*Hoc uirtutis opus studiosi extollite, uel tu*
*Virtutum memora bibliotheca parens.*

AD ALEX. FARNES. CAR.

*Cui dederis cidarim sacram dignissime Præsul*
*Et dilexisti Pontificem ex animo.*

*Mutuo amore & te coluit Marcellus & arsit*
*Tantum humilis dominus quam fuit ante cliens.*
*Hunc cecini, & luxi, quod erat uitæ integer actæ*
*Sic Philomela, & olor, quod cecinere, gemunt.*

AD PAVLVM IIII. PONT. MAX.

*Quem uiuum toto Marcellum pectore amasti,*
*Illius ossa & amas optime Paule pater.*
*Virtutem cecini, & mores, luxiq; sepultum,*
*Et raptum iniusto funere tam celeri.*
*Gentibus, & populis gratum, tum Regibus, & Dis,*
*Orbem quod dignus qui moderetur erat.*
*Ni successisses sancto sanctissimus illi,*
*Doctior & docto peruigil & uigili.*
*Et mage magnificus splendens generosior illo*
*Ense, uel igne uolens pro pietate mori.*
*Turbidus iret adhuc lachrymis Tiberinus amaris,*
*Rura, & ouile & adhuc lachrymarentur oues.*

IN MORTEM MARCEL. PONT. MAX.

*Nondum finierant plausus, & iubila, & ignes*
*Extincti, accensæ cum micuere faces*
*Funereæ, ferit & plantus terram, aera, & æquor,*
*Quod cito Marcellus raptus ab orbe fuit.*
*Quo sperabamus ægrum curarier orbem,*
*Orbem, insuetum, posse habitare Deos.*
*Iustitiam, & sanctos mores descendere cœlo,*
*Aurea & ad purum sæcla redire solum.*
*Et studia in melius uerti, scelus omne fugari,*
*In terram è cœlo depluere & charites.*

Omnia subuertit mors morte iniustior omni
  Vna dies & tu digna habitare chaos.
Tantum ostendistis, non ultra hunc fata dedistis,
  Furari est potius, quàm dare, sic rapere.

IN EANDEM.

Inter florentes prostrata iacebat aristas,
  Nondum spicarat luxuriosa seges.
Cerua ibi captabat dulcem, cerua illa, soporem
  Ob speciem cunctis nota, & amata uiris.
Cum subito lætis clamoribus assonat æther,
  Saxosisq; Echo montibus & resonat.
Nam Marcellus erat, ueluti Pan maximus ille,
  Vel tanquam Ianus clauiger, & geminus.
Formosi pecoris pastor, formosior ipse,
  Quem uoluere homines, & rapuere Dei.
Excita de somno, nec adhuc bene libera somni
  Hinnula surgit humo, & tollit ad astra caput,
Læta nimis, sed cauta parum, præcepsq;, uagansq;
  Currit, & excurrit dum salit, & resilit.
Aegra labore graui, somno quoq; uicta profundo,
  Concidit in uallem, nec mage uisa, abijt.
At nos mirati casum, ac obliuia secum
  Non somno, uerum concidimus gemitu.

EPIT. EIVSDEM.

Quid mage sperandum est nobis ecclesia? postquam
  Mortuus ille tui tam cito pastor amans?
Optimus immo pater, sub quo sperare salutem
  Morbosæ poterant quæq; uagantur oues.

Lactis enim, & mellis, tum currere flumina oliui,
Mortales cum Dis atque habitare simul.
Sustulit una dies illum, & secum omnia, quod plus,
Spes, pax, & uirtus hac tumulantur humo.

EIVSDEM.

Ereptum manibus nostris stupor occupat, & mors
Marcellum æterno uiuat ut in gemitu:
Relligio, & uirtus: sub quo pastore, magistro,
Et patre uernasset nam glacialis hiems.
Tantum hominem tegit hoc saxũ, quod questibus orbis
Clamitat assiduis, irrigat & lachrymis.

AD MARCEL. PONT. MAX.

Angulo & in turpi dormis Marcelle sepulchro,
Dignus eras templi nobiliore loco.
Parce, tui cineres, & nominis aura beati,
Sat decorant tumulum, nobilitantq; situm.

AD EVMDEM.

Non ut Pontificem summum, sanctumq; decebat,
Marcelle indigno conderis hoc tumulo.
Parce, ubicunq; iaces semper celebrabere, honorat
Non tumulus cinerem, sed cinis ipse locum.

PRO ROBERTO NOBILI CAR.

Nobile ad ingenium propera mea Musa Robertum,
Conscripti patres quem reuerenter amant.
Summus & antistes Paulus miratur, & omnis
Qui suo ab aspectu pendet, & ore graui.
Vade hilaris, cernes puerum specie, indole, uultu
Tam suaui, ut dicas aureus esse puer.

Dona

Dona hæc quũ dederis, placidæ, et chara oscula dextræ
Virgo caue à philtris ne capiare suis.
Quum spes purpurei soluit sua labra senatus,
Tunc charites loquitur, cinnama, mella, rosas.

AD RODVL. PIVM CAR.

Mutuo amore illum, quem tam dilexeris, & nunc
Ingemis, illius ossáq; sancta colis,
Marcellum titulis celebratum, & carmine nostro,
Laudibus, atque nouis mittimus inferÿs.
Vt consoleris casum infelicis amici,
Laudibus immensis, dotibus & numeris.
Ne forte accusas quòd dem tibi tristia, uerum
Si bene narrantur tristia, dulce sonant.

PRO HENRICO REGE GAL.

Iustitiam, & pacem cœli duo numina, & orbis
Lumina, quæ ad Superos edocuere uiam.
Ense cruentato Mars, & Bellona fugarunt,
Virtutesq; metu deseruere solum.
Hinc arma, & bella insurgunt, bacchantur & hostes,
Qui nos, & nostras depopulantur opes.
Hinc prædæ, & raptus, incendia, sanguinis amnes,
Et tot conflati, qui periere Dei.
At belli Henricus fulmen (uictoria cuius
Præpetibus pennis, quò cupit esse uolat)
Hæc miseratus, opem fert, & mortalibus ægris
Tranquillam pacem, quam ualet ipse parat.
Aspirate omnes, petitis qui commoda pacis
Regis & inuicti tollite ad astra animum.

*Sub quo sperandus grex unicus, unicus & dux,*
*Vnus & e gemino Cæsare Cæsar erit.*

## AD MVSAS PRO BERNARDINO SCOTTO CAR.

*Musæ inopes laceræ, & tristes attollite uultum,*
*Sit uos pauperies conficit, atque iugum.*
*Illuxit mihi stella fauens, noua, clara, futuræ*
*Promittens uitæ tempora leta meæ.*
*Si uenient eritis dites, sin fata negabunt,*
*Parca breui expellet pauperiem, atque sitim.*

## AD GVLIEL. SIRLETVM.

*Etsi diligis (ut decet) nepotem*
*Quum possit mage diligi, & iuuari*
*Commendo hunc tibi maximè, intimeq;*
*Thomam: dignus enim tuo est fauore*
*Tuo & nomine, lumine, & tuarum*
*Virtutum, est iuuenis probus, quietus,*
*Prudens, & studiosus, ac disertus.*
*Qui si nunc tacet, & latet, iacetq;,*
*Breui hunc tempore iura publicabunt,*
*Ipsum respice, da manum iacenti,*
*Thomam subleua, & adiuua adiuuandum*
*Non tantum ut patruus solet nepotem*
*Sed natum ut pater unicum, optimumq;*

## AD MARIVM PODIANVM PERVSINVM.

*Quos pro me tuleris Mari labores*
*Amplector, celebro, osculor, quòd illos*
*Tam grate patiare, tam libenter,*

*A nato solet ut parens amari,*
*Et fascem patris ut subire proles;*
*Quare debeo plurimum merenti,*
*Pari munere munus & rependam;*
*Tuis nam quoq; debeo Camœnis*
*Argutis, lepidis, eisq; multis,*
*Et multi salis, & facetiarum*
*Ac puræ simul eruditionis*
*Harum iam tereti meæ Camenæ*
*Cerussa, & studio exeant fideli.*
*Incultæ minus & magis pudicæ.*

AD CAROLVM LOTH. CAR.

*Viuo & adhuc, ut restituas quæ Carole debes;*
*Redde quod ipse diu reddere debueras.*
*Redde precor, q; si spernis me, & debita, uiuus*
*Clamabo ante homines, mortuus ante Deum.*

AD DEVM DE EODEM.

*Iuste hominum iudex Deus aspice; deniq; uindex*
*Respice quàm frustra pulso, peto, & repeto*
*Quos Carolus debet nummos, sum pauper, egensq;*
*Aes nequeo à magno Principe habere meum.*
*Nescio quid faciam, fac tu, potes ipse potentem*
*Flectere, ne dicam cogere, coge tamen*
*Postquam quem numeris cecini, & super astra locaui,*
*Deturbare astris cogor, & à numeris.*

AD PAVLVM IIII. PONT. MAX.

*Sit tuus aduentus pater optime maxime felix,*
*Plaudat & aspectu bibliotheca tuo.*

*Quid non sperandum sancto sub principe, sub quo*
*Iustitia, & uirtus militat, & pietas?*

INSIGNE PONTIFICIVM.

*Pontificis Pauli sunt haec insignia Quarti,*
*Qui si nos fallit, cui mage habenda fides?*

ELOGIVM GVIDIVBALDI
Ducis Vrbini ad Romam.

*Ecquid in arma ruis, uario trepidasq; tumultu,*
*Et reseras Iani Martia Roma fores?*
*Et munis portas, turres, & moenia, & arcem,*
*Atque lacertosos cogis ad arma uiros.*
*Quisque latus cingit ferro, caput armat & auro*
*Aereq; & igne tonans territat astra minax.*
*Non opus est tanto bellorum Roma paratu.*
*Sub Ducis inuicti robore uana times.*
*Totq; senatores, qui maiestate uerenda*
*Terrerent Superos, subq; acheronte Duce.*

AD BERNARDINVM SCRINCIVM
& Brigidam consortem.

*Si quem Scrincie plus te amare uellem,*
*Si qua ò Brigida uirgo plus te amata,*
*A' me aut altera foemina ex medullis,*
*Non me Cypria, non me amet Cupido,*
*Nec sint mi faciles meae camoenae,*
*Sed nec sit mihi Apollo amicus unquam,*
*Vos estis duo coniuges modesti,*
*Vos estis duo turtures pudici,*
*Vos estis duo simplices columbi*

Cunctis officiosi, & innocentes,
Fœlix copula, mutuiq; amores,
Vos Di perpetuent, ament, beentq;
Dantes pignora pignorum & nepotes:
Vt sitis penitus beatiores,
Vnum hoc defuit ad beatitatem.

AD GVLIELMVM SIRLETVM,
& Bernardinum Scrincium.

Ne graue sit cari, & dulces hoc pondus amici,
Quod tibi commendo Scrincie amate mihi.
Et tibi curarum, & studij Gulielme mearum
Maxima pars, & dux cui bene uelle uelim:
Si prius emoriar, quam sint sub luce labores,
Quos peperi, extremis eripite è tenebris,
Censura Sirlete potes meus ipse Palæmon
, Bernardine, humeris tu generosus Athlas,
Vos rogo, & imploro hoc munus charitesq; lib
Ne penitus pereant, si periere diu.

## AD ALEXAN. FARNESIVM CARD.

*Dignus Alexander triplici diademate librum*
*Claudat amicorum numen, & ara, meum,*
*Et tolus, & templum, sua si promissa manebunt*
*Quod pingo rosonis zœlo & imaginibus;*
*Suspendamq; illi, licet infelicia dona*
*Organa pieridum, plectra, liram, calamum.*

# EPIGRAMMATVM FAVSTI SABAEI BRIXIANI CVSTODIS BIBLIOTHECÆ VATICANÆ

## Liber Quartus de Amoribus.

### AD HENRICVM REGEM GALLIAE.

*Pone sacros paulum cultus, rigidumq́; Catonem*
*Præsidium ò Phœbi, Pieridumq́; decus:*
*Ecce tibi occurrunt, teneriq́; iocantur Amores,*
*Nuda Cytheriacis mater & orta uadis.*
*Ad sua Rex Regum te inuitant orgya læti*
*Iamdudum quæ non displicuere tibi.*
*Solue graues curas, dulces succendimus ignes*
*Hos, quibus arserunt secla hominum, atque Deum.*
*Et Mars depositis felicior extitit armis,*
*Nudus, & in uinclis inuidiosus erat.*

### AD EVNDEM.

*Quum grauia incumbunt tibi, & alta negotia, quæ te*
*Afflictent, lusus hos lege ut antbidotum.*
*Et Menelao uxor medicare recepta solebat,*
*Quum tantos casus uolueret ille animo.*
*Lusu olim pastor Cererem exhilarauit & ægram,*
*Sæpe iocis Niobe deposuit lachrymas.*
*Nam curæ, & studia exquirunt solatia, quum sunt*
*Lassa nimis, fiunt uberiora minus.*

AD CVPIDINEM.

Sancte Puer, qui nos monitis, specieq; uolantes
Allicis, inuitas, templáq; ad alta rapis.
Vnde admiramur pendentia sidera, & imbres,
Terrificos'q; ignes, harmoniamq; poli.
Cur ue adamanteis solidantur fata cathenis,
Qui ue animorum ortus, qui status & numeri.
Copula tu, & fomes rerum, pax candida, & una,
Ante Deos ortus, iunior atque Deis.
Vre, feri mentes nostras, & corda Cupido,
Vulnere sanamur, tollimur igne tuo.

AD EVNDEM.

Viribus, arte, dolo, quantum puer auree damno es,
Atque idem lucro, uiribus, arte, dolo.
Nitar ut enarrem exemplis, pars maxima quorum
Dum mihi sanguis erat integer ipse fui.
Si quis ad hos lusus accedet lector, habebit,
Quid caueat, capiat, negligat, atque legat.
Olli Amor esto pius, nostros qui dum ingemit ignes,
Ferre, alere ut discat mitius ille suos.

E GRAECO.

Arcus ubi incuruus? medium & penetrantia pectus
Tela? & ubi lampas causa, & origo mali?
Cur tres dextra tenet florentes ipsa corollas?
Quarta coronatam cæsariemq; premit?
Scito hospes, quod non uulgari e Cypride, humoq;
Nec de syluestri lætitia exorior.
Ast hominum mentem puram ipse Cupidine honesti

Succendo impellens sydera ad alta traho.
Serta hæc uirtutes, prima est sapientia, per quam
Inter mortales sum Deus, atque Deos.

## AD CHARITEM.

Tu, quæ habitas mecum latitantis conscia flammæ
Sola meæ, ficto nomine dicta Charis.
Te facio certam, Superis dum debeo, semper
Diua tuis iussis obsequiosus ero.
Vre, feri patiar, longa assuetudine factum est,
Vt flammæ, & plagæ sint mi alimenta tuæ.

## E' GRAECO.

Eliodora melos ridenti ut prosilit ore
Diua tuo, & resonat pectine dulce melos.
Nescio quo fugiam, circunstant undique Amores,
Nec respirandi tunc datur hora mihi.
Me tua forma ferit, capiunt me Musæ, Charisq́,
Quid loquor? igne omnem me tua cuncta cremant.

## AD CHARITEM.

Dum te admiraris speculo, te & fingis ad unum
Vsque pilum, longas & trahis inde moras.
Quod non uraris miror, nam solis ad ictus
Inflexos speculo gignitur ignis edax.
Sed quid flamma potest in tanta incẽdia? tota es
Flamma, & quæ tangis, prospicis, & loqueris.

## E' GRAECO.

Alata alatus cernens iam fulmina fregit,
Monstrans ignis Amor, quam magis igne potest.

ANATHEMA CAPILLORVM.

*Dedicat hos crines, immo aurum, & uincula amorum*
*O Cytherea tibi Dis adamata charis.*
*Inuidiosi inerant, ex illis retia amantum,*
*Atque dolos faciles, conficiebat Amor.*
*Postquam conualuit, chari cecidere capilli,*
*Et secum nati gloria, & arma tui.*

E GRAECO.

*Naiades hic certant, quarum hic sit fertilis hortus,*
*Nymphæ & Nereides, Dendriadesq́; Deæ.*
*Et Charis est iudex, sed non diiudicat anceps,*
*Communes locus hic continet illecebras.*

QVESTVS AMATORII.

*Saxosæ ualles, nemora ac incerta, & opaca,*
*Aridi, ait, montes, prataq́; picta, lycon.*
*Vos & Amadryades nostras audite querelas,*
*Cædite & hirsutis quercubus ista, precor,*
*Phyllida amaui, et amo, nec me unquam Phyllis amauit,*
*Sed nec amat, pro qua maceror & pereo.*
*Nil aliud restat, quam spiritus, accipe Philli,*
*Dixit, & infelix perforat ense latus.*
*Spiritus effluxit, subito plangore resultant*
*Cuncta, uale æternum mi miserande Lycon.*

AD DAPHNEM.

*Sunt qui te damnant Daphne ô castissima uirgo.*
*Quod tam formosum spreueris ipsa Deum.*
*Arguo non ego te, quia facta es gloria uatum,*
*Atque triumphantium, uirginitatis amans.*

Nec miror Phœbum si spreueris, atque Cytherem,
Demonas expellens, nec Iouis arma timens.

E' GRAECO.

Audit, fert, reticet omnia uerus amor.

AD CVPIDINEM.

Tecta salutantem dominæ felicia nostræ
In me coniecit læta charis uiolas.
Quæ fuerant flores, uisæ succendere flammas,
Et torrere animam, saucia & ossa, meam.
Sæue, & magne Puer, uiolas qui uertis in ignem,
De placida immitem qui facis atque Charim.

E' GRAECO.

Molle sub hoc duro nostrum stat marmore corpus,
Nomine non falso deliciosa fui.
Dulcia mi Paphiæ mostrauerat orgya mater
Blanda, & eram cunctis obsequiosa uiris.
Redde uices tumulo terra ò gratissima Baccho,
Quas tibi iam fudi, nunc mihi redde rosas.

AD IVLIAM.

Et læti, & dulces oculi mea Iulia, qui me
Exanimant, grati nam mihi semper erunt.
Et tua uerba, meam infatuant quæ suauia, mentem,
Semper honorabo, magnificeq; colam.
Quippe tuis factum est oculis, ut Iulia tecum
Simq; tuis uerbis uiuus ab exanimi.
Hæc igitur nostra est prudens insania, morsq;
Vita beata, & tu Diua beata magis.

Ignem, undas, ferrum, denique mille neces.
Tantum me oblectant, torquent, rapiuntq; feruntq;,
Viuæ, & lucentes, purpureæq; niues.

CAVSA CVR DIANA INNVPTA.

Naiada iam pueri formosam ardenter amabant
Pulcher Amor pharetra, tempora uinctus Hymen.
Verba diu dederat Diuis lasciua puella,
Annectens causas fraudibus, atque dolos.
Luce una solam inueniunt, potiantur ut illa,
Aggressi, auxilium uirgo petita uocat.
Affuit oppressæ nemorum Dea, amator uterque
Effugit, hic sertum liquit, & iste faces.
Ex illo infensi rigidæ uetuere Dianæ,
Neminem amare ut Amor, sic hymenea & Hymen.

IN INVIDVM.

Quid tentas frustra nostras extinguere flammas?
Inq; meam, & dulcem soluere uincla Charim?
Oppugnare potes, non expugnabis amorem,
Corde Charis nostro facta anima est animæ.

E GRAECO.

Tres Orchomeni hoc Charites struxere lauacrum,
Quattuor hac causa non ualet esse capax.

DE CHARITE.

Languenti lecto mea iam Charis ægra iacebat,
Stabat Amor mœstus, tristis & ipsa Venus,
Germinam indoluit, fratremq;, & Phœbus alumnam,
Tacta & ait Pean, uirgine, surge Chari,

*Nec surgebat adhuc Parcis obstantibus arcum*
*Cœpit Apollo, faces & violentus Amor.*
*Stamina proyciunt subito, & fugere sorores*
*Pœne quidem exanimes, insolitoq; metu.*
*Viuat, & exclamant, uiuat, Chari sana resurge,*
*Parcit, quæ nescit parcere, parca tibi.*

E GRAECO.

*Sunt & Agathyrsi imbelles, niteant licet auro,*
*Communi utuntur concubituq; nurum.*
*Vt consanguinei inter se iungantur amore,*
*Et careant odio, litibus, inuidia.*

E GRAECO.

*Effinxit pinguem pictor bene, sit male at illi,*
*Nam pro uno inuiso prospiciam ipse duos.*

DE SE IPSO.

*Mitte notos Ithace inclusos ex utribus, & tu*
*Tantale fallaci ne crucieris aqua.*
*Ignea ne ob flammam conscendas astra Prometheu,*
*Non deerunt flammæ, flamina nec fluuij.*
*Quæritis unde habeam? nostris confidite, abundant*
*Vndæ oculis, ignes pectore, & ore noti.*

E GRAECO.

*Eunica mi arrisit tentanti basia & inquit,*
*Illudens, oculis ipse recede meis.*
*Osculor urbanas, miser oscula rustice tentas.*
*Quid mea? non didici diligere agricolas.*

DE CVP. ET CHARITE.

*Dum Charitis blandos Amor admiratur ocellos,*

*Extinctæ*

Extinctæ è manibus tunc cecidere faces.
Dum legit euersa funduntur tela pharetra,
Arcus, & è collo concidit ipse Dei.
Tunc trepidus subito telis fugit indeq; relictis,
Ne pennas etiam perdat inermis Amor.

E GRAECO.

Elata ceruice tumens contraxit in unum
Quiq; supercilium uirgine ab exigua
Luditur, ante illam imminuit, spreuitq; puellam,
Nunc sine spe captus uincula dura gerit.
Fœmineo iste cadens supplex de more precatur,
Illa uirilem iram, concita fert oculis.
Desine inesse Lea ò uirgo, iusta ira quiescat,
Pone animos, Nemesim non procul esse uide.

DE CVP. ET CHARITE.

Sumpserat arma, faces, arcum, Charitemq; petebat
Sæuus Amor, nouit quum Charis insidias,
Attollensq; oculos quid me improbe dixit, & arcu,
Et face persequeris? te mea tela manent.
Ostentatq; libros, & acus, & stamina, uisis
Stamine, acu, & libris, fugit inermis Amor.

E GRAECO.

Omnium eram iaculum Lais, nunc non mage Lais,
Annorum at cunctis nota ego sum Nemesis:
Nam per te Venerem, nec mi iuranda Cythere est,
Laidi en m Lais non mage nota mihi.

IN GRAECIAM.

Conflata ex auro, non est quam cernitis icon,

E numero cuiquam cœlicolum posita.
Pro meritis non heroi, ne'ue heroinæ,
Quantuis in celebri sic nitet alta loco.
Sacra meretrici est, quam Græcia tota dicasti
Thaidis in nomen, dedecus inq; tuum.

E GRAECO.

Soli unus medio nuruum iam forte duarum
Hanc cupiens, & amans, huic quoque gratificans.
Oscula mi dedit hæc retrahens, ego rursus uti fur
Alterius suxi labra cupita magis.
Vicinæ zelum cælans hanc arguo, & insto,
Alterius metuens, ne soluatur amor.
Indignor dicens, gemina heu me pœna retorquet,
Hac & amari inquam est, hanc & amare dolor.

AD CHARITEM.

Qua te non uideo Chari dulcis luce, tenebras
Nocturnas totum crediderim esse diem.
Quaq; die uideo, & suaues depascor ocellos,
Effugit hinc Zephyris ocyor illa dies.
O utinam possem te semper uirgo tueri,
Hoc etiam ad satiem, non foret hora breuis.

E GRAECO.

A niue candenti madidas patefecerat alas,
Implumes pullos fœta auis ut tegeret.
Donec eam absumpsit frigus, contraria cæli
Frigoribus mansit nubibus in gelidis.
Vos ora ô Colchi, & Progne suffundite matres,
Sub styge ab exemplo doctæ auium simili.

DE SE IPSO.

Vltrices curæ, & suspiria anhela, calentes
Et lachrymæ, & clamor, spes mea, corq; meum.
Fornacem struxere meo sub pectore amoris
Vnde mihi durus tela parauit Amor.
Spes est ignis edax, imi & suspiria folles,
Curæ ictus, clamor artis enim, & strepitus.
Corq; meum est incus, lachrymæ, quæ temperat unda,
Vulnifici chalybis spicula sæuus Amor.
Magnũ est quod sit amans fornax, maius tamẽ est, quod
Qui tonat è cœlo, mugiat in pelago.

IN GRAECO.

Gratia quæ præsto est, charis est charissima, at omnis
Gratia quæ tardat, nulla, uel est uacua.

DE CVPIDINE ET SE IPSO.

Quum petijsset Amor læto mea corda uolatu,
Exussit pennas igne, quod ignis eram.
Indolet implumis, lachrymat male cautus, & illas
Quod quas succendit, sentiat ipse faces.
Remigium alarum excreuit: tunc euolat, in me
Et mala quæq; tulit, mi geminata dedit.
Noster enim illius, nostræ illius ecce redundant,
De lachrymis lachrymæ, deq; dolore dolor.

VICTORIA COLVMNA AD uirum suum.

Non opus est illo tibi Dux memorande sepulchro,
Mortales possunt quod reparare manus.

Quod demoliri fortuna nec ulla, nec hostes
  Auale, nec ualeat rodere tempus edax.
Rex uinctus posuit, tibi Gallia strata perennem,
  Victori tumulum, magnanimo & titulum.

EADEM AD EVNDEM.

Auale amore omni si tecum iuncta remansi
  In medio horrendæ post tua fata uiæ:
Non, quod ego horruerim tam formidabile nomen
  Funeris, aut diras, aut acheronta, fuit:
Sed Ducis, atque uiri, assiduis testarer ut ipsa,
  Virtutem numeris, fletibus atque torum.

IN GALATEAM ET VENEREM.

Aedibus è liquidis Galatea egressa profundi
  Legit Acidalias sepibus ungue rosas.
Et dixit subolens, pingunt te hæc Cypria uere,
  Stella nitens cœlo, flos redolensq; solo.

DE SE IPSO.

Igne uror, fletu diffundor, fletus ab igne
  Vt tenuis, sic fit luctibus ignis edax.
Immo ignis maior fit fletu, & fletus ab igne
  Sæuior, & semper sic cremor, & lachrymo.
Hei mihi iunguntur discordes ignis, & unda,
  Vt cinis arescens igne, liquescat aquis.

E GRAECO.

Si Venerem cernes Gnidia sub imagine dices
  Hæc lapidem exussit commodo? siue Deus,
Thespiadis Paphiæ & natum, qui non modo saxum
  Egelidum faculis, ast adamanta cremat.

Numina Praxiteles diuerso hæc fecit in orbe,
Ne duplici flamma cuncta cremata forent.

AD AMICVM.

Si tibi uis animam luci debere Sabæum,
Atque anima siquid dulcius, & melius.
Mi Lalagen dimitte, anima quæ est dulcior ipsa,
Et si anima est aliquid dulcius, & melius.

DE CVPIDINE.

Defunctam plorabat Amor tristissimus Eglen,
Quæ fuerat regni gloria prima sui.
Muniit & sese, Parcis, mortiq; minatur,
Arripiens arcum, tela, faces, pharetram.
Quum uirgo effertur, luctu sola, & astra resultant,
Tunc sese iniecit in sua colla Puer.
Et dolet abiectis telis miserabile, nam sunt
Tempora non armis congrua, sed lachrymis.

EPIT.

Factus Amor placidus clausit iam lumina amantis,
Corporis exusti, legit & ossa Charis.
Inferias duxit Cypris mœstissima, & urnæ
Inscripsit titulum Calliopea breuem.
Hæc lege, quisquis amas, si te non læserit ignis,
Nanq; etiam è tumulo torrida flamma micat.

E GRAECO.

Quæ terram totam, & pontum Philomela uolasti
Suspendis nidum Colchides ad statuam?
Sperasti, seruare tuos num Colchida pullos?
Quæ proprijs natis parcere non uoluit.

MVNVS LAPIDIS DE lachrymis.

Qua ratione petis, durescant mollia, durum
Mollescat, potius qua ratione petas.
Durum in amore fui, silicemq; in corde gerebam,
At silicem in lachrymas uertis, & in cinerem.
Pace tua hoc dicam, nam Gorgone sæuior ipsa es,
Mollia saxificas, saxaq; luctificas.

E GRAECO.

Flammarum è medio eripiens per tela, per hostes
Dum gerit Aeneas inualidum ipse patrem.
Parcite, clamabat Grai, nam sarcina parui est
Ista senex lucri, gloria summa mihi.

E GRAECO.

Parua inquam, aut nulla est, quæ tardat gratia, & oïs
Gratia quæ uelox, gratior esse solet.

DE CVPIDINE.

Arbori Amor uinctus telis spoliatus, & arcu
Plorabat Triuiæ Dendriadumq; dolos.
Quasq; bibebat humus lachrymas, mutabat olentes
In uiolas subito, purpureasq; rosas.
Dum luctatur Amor, perfregit uincula, abitq;,
Quum captum ut ludat, una reuersa Dryas.
Nec puerum inueniens, flores ex luctibus ortos
Colligit, halantes collocat inq; sinu.
Me miseram & subito exclamat, lacerantur et ardent,
Corda, manusq;, gemens atque uocabat opem.
Quis te impune unquam lædat puer improbe? pro te

Nanq; rosæ exurunt, & feriunt uiolæ.

IN ANVM.

Quum deformis anus cunctis despecta fuisset,
Et se formosam crederet, & iuuenem.
Consuluit speculum, speculo & sub iudice turpis
Visa sibi, fregit continuò speculum.
Vlta nefas credens frustris insultat, & illa
Quotquot erant, turpes multiplicant tot anus.

E GRAECO.

Cuncta cito florem amittunt, tu flore fruare,
Vna æstate hædus pessime olens caper est.

E GRAECO.

Nulla magis grauis est, quam filia, sarcina si uis
Scire, audi Euctimon quod tibi in aure loquar.
Hernia magna tibi, mihi nata est, suscipe natam,
Herniam & ipse tuam, tum mihi mille dabis.

CHARIS HABENS SCORPIVM aurenm in fronte.

Quid me formidas placidam, quid lumine toruo
Auricomumq; caput despicis ipse meum?
Et si conspicuum ridenti in fronte uenenum
Ipsa geram charitum sum tamen una charis.
Ne timeas, nec enim lædit charis ulla, benignos,
Et dominæ mores scorpius iste sapit.

E GRAECO.

Quæ terram, atque salum Pandione nata secasti,
Eligis Aeeæ nidificare sinu.
Stulta quidem credis seruari à Colchide natos,

Por

Ecc

Ad

Sol

Et

Qu

Et

Luf

S

Kan

L

# EPIGRAMMATVM FAVSTI SABAEI BRIXIANI CVSTODIS BIBLIOTHECÆ VATICANÆ

## Liber Quartus de Amoribus.

### AD HENRICVM REGEM GALLIAE.

*Pone sacros paulum cultus, rigidumq; Catonem*
*Præsidium ò Phœbi, Pieridumq; decus:*
*Ecce tibi occurrunt, teneriq; iocantur Amores,*
*Nuda Cytheriacis mater & orta uadis.*
*Ad sua Rex Regum te inuitant orgya læti*
*Iamdudum quæ non displicuere tibi.*
*Solue graues curas, dulces succendimus ignes*
*Hos, quibus arserunt secla hominum, atque Deum.*
*Et Mars depositis felicior extitit armis,*
*Nudus, & in uinclis inuidiosus erat.*

### AD EVNDEM.

*Quum grauia incumbunt tibi, & alta negotia, quæ te*
*Afflictent, lusus hos lege ut antidotum.*
*Et Menelao uxor medicare recepta solebat,*
*Quum tantos casus uolueret ille animo.*
*Lusu olim pastor Cererem exhilarauit & ægram,*
*Sæpe iocis Niobe deposuit lachrymas.*
*Nam curæ, & studia exquirunt solatia, quum sunt*
*Lassa nimis, fiunt uberiora minus.*

AD CVPIDINEM.

Sancte Puer, qui nos monitis, specie'q; uolantes
Allicis, inuitas, templa'q; ad alta rapis.
Vnde admiramur pendentia sidera, & imbres,
Terrificos'q; ignes, harmoniam'q; poli.
Cur ue adamanteis solidantur fata cathenis,
Qui ue animorum ortus, qui status & numeri.
Copula tu, & fomes rerum, pax candida; & una,
Ante Deos ortus, iunior atque Deis.
Vre, feri mentes nostras, & corda Cupido,
Vulnere sanamur, tollimur igne tuo.

AD EVNDEM.

Viribus, arte, dolo, quantum puer aureę damno es,
Atque idem lucro, uiribus, arte, dolo.
Nitar ut enarrem exemplis, pars maxima quorum
Dum mihi sanguis erat integer ipse fui.
Si quis ad hos lusus accedet lector, habebit,
Quid caueat, capiat, negligat, atque legat.
Olli Amor esto pius, nostros qui dum ingemit ignes,
Ferre, alere ut discat mitius ille suos.

E GRAECO.

Arcus ubi incuruus? medium & penetrantia pectus
Tela? & ubi lampas causa, & origo mali?
Cur tres dextra tenet florentes ipsa corollas?
Quarta coronatam cæsariem'q; premit?
Scito hospes, quod non uulgari e Cypride, humo'q;
Nec de syluestri lætitia exorior.
Ast hominum mentem puram ipse Cupidine honesti,

Succendo impellens sydera ad alta traho.
Serta haec uirtutes, prima est sapientia, per quam
Inter mortales sum Deus, atque Deos.

AD CHARITEM.

Tu, quae habitas mecum latitantis conscia flammae,
Sola meae, ficto nomine dicta Charis.
Te facio certam, Superis dum debeo, semper
Diua tuis iussis obsequiosus ero.
Vre, feri patiar, longa assuetudine factum est,
Vt flammae, & plagae sint mi alimenta tuae.

E' GRAECO.

Eliodora melos ridenti ut prosilit ore
Diua tuo, & resonat pectine dulce melos.
Nescio quo fugiam, circunstant undique Amores,
Nec respirandi tunc datur hora mihi.
Me tua forma ferit, capiunt me Musa, Charisq;
Quid loquor? igne omnem me tua cuncta cremant.

AD CHARITEM.

Dum te admiraris speculo, te & fingis ad unum
Vsque pilum, longas & trahis inde moras.
Quod non uraris miror, nam solis ad ictus
Inflexos speculo gignitur ignis edax.
Sed quid flamma potest in tanta incedia? tota es
Flamma, & quae tangis, prospicis, & loqueris.

E' GRAECO.

Alata alatus cernens iam fulmina fregit,
Monstrans ignis Amor, quam magis igne potest.

## ANATHEMA CAPILLORVM.

Dedicat hos crines, immo aurum, & uincula amorum
O Cytherea tibi Dis adamata charis.
Inuidiosi inerant, ex illis retia amantum,
Atque dolos faciles, conficiebat Amor.
Postquam conualuit, chari cecidere capilli,
Et secum nati gloria, & arma tui.

## E GRAECO.

Naiades hic certant, quarum hic sit fertilis hortus,
Nymphae & Nereides, Dendriadesq; Deae.
Et Charis est iudex, sed non dijudicat anceps,
Communes locus hic continet illecebras.

## QVESTVS AMATORII.

Saxosae ualles, nemora ac incerta, & opaca,
Aridi, ait, montes, prataq; picta, lycon.
Vos & Amadryades nostras audite querelas,
Caedite & hirsutis quercubus ista, precor,
Phyllida amaui, et amo, nec me unquam Phyllis amauit,
Sed nec amat, pro qua maceror & pereo.
Nil aliud restat, quam spiritus, accipe Philli,
Dixit, & infelix perforat ense latus.
Spiritus effluxit, subito plangore resultant
Cuncta, uale aeternum mi miserande Lycon.

## AD DAPHNEM.

Sunt qui te damnant Daphne ô castissima uirgo.
Quod tam formosúm spreueris ipsa Deum.
Arguó non ego te, quia facta es gloria uatum,
Atque triumphantum, uirginitatis amans.

Nec miror Phœbum si spreueris, atque Cytherem,
Demonas expellens, nec Iouis arma timens.

È GRAECO.

Audit, fert, reticet omnia uerus amor.

AD CVPIDINEM.

Tecta salutantem dominæ felicia nostræ
In me coniecit læta charis uiolas.
Quæ fuerant flores, uisæ succendere flammas,
Et torrere animam, saucia & ossa, meam.
Sæue, & magne Puer, uiolas qui uertis in ignem,
De placida immitem qui facis atque Charim.

È GRAECO.

Molle sub hoc duro nostrum stat marmore corpus,
Nomine non falso deliciosa fui.
Dulcia mi Paphiæ mostrauerat orgya mater:
Blanda, & eram cunctis obsequiosa uiris.
Redde uices tumulo terra ò gratissima Baccho,
Quas tibi iam fudi, nunc mihi redde rosas.

AD IVLIAM.

Et læti, & dulces oculi mea Iulia, qui me
Exanimant, grati nam mihi semper erunt.
Et tua uerba, meam infatuant quæ suauia, mentem,
Semper honorabo, magnificeq; colam.
Quippe tuis factum est oculis, ut Iulia tecum
Simq; tuis uerbis uiuus ab exanimi.
Hæc igitur nostra est prudens insania, mors'q;
Vita beata, & tu Diua beata magis.

Ignem, undas, ferrum, denique mille neces.
Tantum me oblectant, torquent, rapiuntq́; feruntq́;,
Viuæ, & lucentes, purpureæq́; niues.

CAVSA CVR DIANA INNVPTA.

Naiada iam pueri formosam ardenter amabant
Pulcher Amor pharetra, tempora uinctus Hymen.
Verba diu dederat Diuis lasciua puella,
Annectens causas fraudibus, atque dolos.
Luce una solam inueniunt, potiantur ut illa
Aggressi, auxilium uirgo petita uocat.
Affuit oppressæ nemorum Dea, amator uterque
Effugit, hic sertum liquit, & iste faces.
Ex illo infensi rigidæ uetuere Dianæ,
Neminem amare ut Amor, sic hymenea & Hymen.

IN INVIDVM.

Quid tentas frustra nostras extinguere flammas?
Inq́; meam, & dulcem soluere uincla Charim?
Oppugnare potes, non expugnabis amorem,
Corde Charis nostro facta anima est animæ.

E GRAECO.

Tres Orchomeni hoc Charites struxere lauacrum,
Quattuor hac causa non ualet esse capax.

DE CHARITE.

Languenti lecto mea iam Charis ægra iacebat,
Stabat Amor mœstus, tristis & ipsa Venus,
Germinam indoluit, fratremq́;, & Phœbus alumnam,
Tacta & ait Pean, uirgine, surge Chari.

*Extinctæ è manibus tunc cecidere faces.*
*Dum legit euersa funduntur tela pharetra,*
*Arcus, & è collo concidit ipse Dei.*
*Tunc trepidus subito telis fugit inde relictis,*
*Ne pennas etiam perdat inermis Amor.*

E GRAECO.

*Elata ceruice tumens contraxit in unum*
*Quiq; supercilium uirgine ab exigua*
*Luditur, ante illam imminuit, spreuitq; puellam,*
*Nunc sine spe captus uincula dura gerit.*
*Fœmineo iste cadens supplex de more precatur,*
*Illa uirilem iram, concita fert oculis.*
*Desine inesse Lea ò uirgo, iusta ira quiescat,*
*Pone animos, Nemesim non procul esse uide.*

DE CVP. ET CHARITE.

*Sumpserat arma, faces, arcum, Charitemq; petebat*
*Sæuus Amor, nouit quum Charis insidias,*
*Attollensq; oculos quid me improbe dixit, & arcu,*
*Et face persequeris? te mea tela manent.*
*Ostentatq; libros, & acus, & stamina, uisis*
*Stamine, acu, & libris, fugit inermis Amor.*

E GRAECO.

*Omnium eram iaculum Lais, nunc non mage Lais,*
*Annorum at cunctis nota ego sum Nemesis:*
*Nam per te Venerem, nec mi iuranda Cythere est,*
*Laidi en m Lais non mage nota mihi.*

IN GRAECIAM.

*Conflata ex auro, non est quam cernitis icon,*

E' numero cuiquam cœlicolum posita.
Pro meritis non heroi, ne'ue heroinæ,
Quamuis in celebri sic nitet alta loco.
Sacra meretrici est, quam Græcia tota dicasti
Thaidis in nomen, dedecus inq; tuum.

E' GRAECO.

Sedi unus medio nuruum iam forte duarum.
Hanc cupiens, & amans, huic quoque gratificans.
Oscula mi dedit hæc retrahens, ego rursus uti fur.
Alterius suxi labra cupita magis.
Vicinæ zelum cælans hanc arguo, & insto,
Alterius metuens, ne soluatur amor.
Indignor dicens, gemina heu me pœna retorquet,
Hac & amari inquam est, hanc & amare dolor.

AD CHARITEM.

Qua te non uideo Chari dulcis luce, tenebras
Nocturnas totum crediderim esse diem.
Quaq; die uideo, & suaues depascor ocellos,
Effugit hinc Zephyris ocyor illa dies.
O' utinam possem te semper uirgo tueri,
Hoc etiam ad satiem, non foret hora breuis.

E' GRAECO.

A' niue canlenti madidas patefecerat alas,
Implumes pullos fœta auis ut tegeret.
Donec eam absumpsit frigus, contraria cœli
Frigoribus mansit nubibus in gelidis.
Vos ora ò Colchi, & Progne suffundite matres,
Sub styge ab exemplo doctæ auium simili.

DE SE IPSO.

Vltrices curæ, & suspiria anhela, calentes
Et lacbrymæ, & clamor, spes mea; corq; meum.
Fornacem struxere meo sub pectore amoris
Vnde mihi durus tela parauit Amor.
Spes est ignis edax, imò & suspiria folles,
Curæ ictus, clamor artis enim, & strepitus.
Corq; meum est incus; lacbrymæ, quæ temperat unda,
Vulnifici chalybis spicula sæuus Amor.
Magnū est quod sit amans fornax maius tamē est, quod,
Qui tonat è cælo, mugiat in pelago.

E GRAECO.

Gratia quæ præsto est, charis est charissima, at omnis
Gratia quæ tardat, nulla, uel est uacua.

DE CVPIDINE ET SE IPSO.

Quum petijsset Amor læto mea corda uolatu,
Exussit pennas igne, quòd ignis eram.
Indolet implumis, lacbrymat male cautus, & illas
Quod quas succendit, sentiat ipse faces.
Remigium alarum excreuit: tunc euolat, in me
Et mala quæq; tulit, mi geminata dedit.
Noster enim illius, nostræ illius ecce redundant,
De lacbrymis lacbrymæ, deq; dolore dolor.

VICTORIA COLVMNA AD uirum suum.

Non opus est illo tibi, Dux memorande sepulchro;
Mortales possunt quod reparare manus.

Quod demoliri fortuna nec ulla, nec hostes
Auale, nec ualeat rodere tempus edax.
Rex unctus posuit, tibi Gallia strata perennem,
Victori tumulum, magnanimo & titulum.

EADEM AD EVNDEM.

Auale amore omni si tecum iuncta remansi
In medio horrendæ post tua fata uiæ.
Non, quod ego horruerim tam formidabile nomen
Funeris, aut diras, aut acheronta, fuit:
Sed Ducis, atque uiri, assiduis testarer ut ipsa,
Virtutem numeris, fletibus atque torum.

IN GALATEAM ET VENEREM.

Aedibus è liquidis Galatea egressa profundi
Legit Acidalias sepibus ungue rosas.
Et dixit subolens, pingunt te hæc Cypria uere,
Stella nitens cœlo, flos redolensq; solo.

DE SE IPSO.

Igne uror, fletu diffundor, fletus ab igne
Vt tenuis, sic fit luctibus ignis edax.
Immo ignis maior fit fletu, & fletus ab igne
Sæuior, & semper sic cremor, & lachrymo.
Hei mihi iunguntur discordes ignis, & unda,
Vt cinis arescens igne, liquescat aquis.

E GRAECO.

Si Venerem cernes Gnidia sub imagine dices
Hæc lapidem exussit commodo? siue Deus,
Thespiadis Paphiæ & natum, qui non modo saxum
Egelidum faculis, ast adamanta cremat.

Numina Praxiteles diuerso hæc fecit in orbe,
Ne duplici flamma cuncta cremata forent.

AD AMICVM.

Si tibi uis animam luci debere Sabæum,
Atque anima siquid dulcius, & melius.
Mi Lalagen dimitte, anima quæ est dulcior ipsa,
Et si anima est aliquid dulcius, & melius.

DE CVPIDINE.

Defunctam plorabat Amor tristissimus Eglen,
Quæ fuerat regni gloria prima sui.
Muniit & sese, Parcis, mortiq; minatur,
Arripiens arcum, tela, faces, pharetram.
Quum uirgo effertur, luctu sola, & astra resultant,
Tunc sese iniecit in sua colla Puer.
Et dolet abiectis telis miserabile, nam sunt
Tempora non armis congrua, sed lachrymis.

EPIT.

Factus Amor placidus clausit iam lumina amantis,
Corporis exusti, legit & ossa Charis.
Inferias duxit Cypris mœstissima, & urnæ
Inscripsit titulum Calliopea breuem.
Hæc lege, quisquis amas, si te non læserit ignis,
Nanq; etiam è tumulo torrida flamma micat.

E GRAECO.

Quæ terram totam, & pontum Philomela uolasti
Suspendis nidum Colchidos ad statuam?
Sperasti, seruare tuos num Colchida pullos?
Quæ proprijs natis parcere non uoluit.

MVNVS LAPIDIS DE
lacbrymis.

*Qua ratione petis, durescant mollia, durum*
*Mollescat, potius qua ratione petas.*
*Durum in amore fui, silicemq; in corde gerebam,*
*At silicem in lacbrymas uertis, & in cinerem.*
*Pace tua hoc dicam, nam Gorgone sæuior ipsa es,*
*Mollia saxificas, saxaq; luctificas.*

E GRAECO.

*Flammarum è medio eripiens per tela, per hostes*
*Dum gerit Aeneas inualidum ipse patrem.*
*Parcite, clamabat Grai, nam sarcina parui est*
*Ista senex lucri, gloria summa mihi.*

E GRAECO.

*Parua inquam, aut nulla est, quæ tardat gratia, & oĩs*
*Gratia quæ uelox, gratior esse solet.*

DE CVPIDINE.

*Arbori Amor uinctus telis spoliatus, & arcu*
*Plorabat Triuiæ Dendriadumq; dolos.*
*Quasq; bibebat humus lacbrymas, mutabat olentes*
*In uiolas subito, purpureasq; rosas.*
*Dum luctatur Amor, perfregit uincula, abitq;,*
*Quum captum ut ludat, una reuersa Dryas.*
*Nec puerum inueniens, flores ex luctibus ortos*
*Colligit, balantes collocat inq; sinu.*
*Me miseram & subito exclamat, lacerantur et ardent,*
*Corda, manusq;, gemens atque uocabat opem.*
*Quis te impune unquam lædat puer improbe? pro te*

Nanq; rosæ exurunt, & feriunt uiolæ.

IN ANVM.

Quum deformis anus cunctis despecta fuisset,
Et se formosam crederet, & iuuenem.
Consuluit speculum, speculo & sub iudice turpis
Visa sibi, fregit continuò speculum.
Vlta nefas credens frustris insultat, & illa
Quotquot erant, turpes multiplicant tot anus.

E' GRAECO.

Cuncta cito florem amittunt, tu flore fruare,
Vna æstate hædus pessime olens caper est.

E GRAECO.

Nulla magis grauis est, quam filia, sarcina si uis
Scire, audi Euctimon quod tibi in aure loquar.
Hernia magna tibi, mihi nata est, suscipe natam,
Herniam & ipse tuam, tum mihi mille dabis.

CHARIS HABENS SCORPIVM aureum in fronte.

Quid me formidas placidam, quid lumine toruo
Auricomumq; caput despicis ipse meum?
Et si conspicuum ridenti in fronte uenenum
Ipsa geram charitum sum tamen una charis.
Ne timeas, nec enim lædit charis ulla, benignos,
Et dominæ mores scorpius iste sapit.

E GRAECO.

Quæ terram, atque salum Pandione nata secasti,
Eligis Aeeæ nidificare sinu.
Stulta quidem credis seruari à Colchide natos,

*Seruabit ne tuos, perdere sueta suos?*

SEMIRAMIS.

*Ornabam crines, pars una incompta fluebat,*
*Arma arma ingeminant quum mei, in arma ruo,*
*Sic resoluta comis pendentibus assequor hostes,*
*Forti acie aggredior, uinco, fugo, & capio.*
*Qualem me stupuit* Babilon, *Gradiuus*, Enyo,
*Talem etiam referunt marmora, & æra, & ebur.*

È GRAECO.

*Errantem puerum per summa cacumina tecti,*
*(Funeris intrepidus nam solet esse puer)*
*Pectore nudato à tergo retraxit, & ipsum*
*Seruauit natum bis pia lacte parens.*

AD CHARITEM.

*Ne Chari, ne uultus fletu corrumpe serenos,*
*Ne ue pluant rori lumina Acidalio.*
*Indignum, lacbrymare Deam, Charitemq; dolere,*
*Mortales fletus arguit, atque dolor.*

È GRAECO.

*Nulla potest mulier semper Charideme marito*
*Ex animo oblectans grata placere suo.*
*Fraudibus ac pretio natura libidinis ardens*
*Vesicam alterius quærit, auet, reperit.*

AD AMICVM.

*Per Superos iuras, longum depellere amorem*
*Velle tuum subito, si facis hoc, peream.*
*Et si animam excruciat, charum & denigrat honorem,*
*Hauriat & si etiam remq; domumq; tuam.*

Non potis extemplo uulnus curare profundum,
 Vix furca, atqu: fame pellitur acer amor.

E GRAECO.

Non ita Meonides fœdum spirasse chimeram
 Finxerat, ut dicunt, flammiuomosq; boues.
Non arpiarum sic stercora, Lemnon & ipsam,
 Ne'ue Philoctete uulnera lenta ped s.
Vt male oles, nam tu superas Telesilla chimeras,
 Lemnon & arpias, igniuomosq; boues.

DE CHARITE.

Si quis uidisset lachrymas, & flentis ocellos
 Iam Charitis, gemmas diceret esse maris.
Si quis sensisset deductos pectore questus,
 Cœlestem uere crederet harmoniam.
Quid mea quarta Charis ualeat, suspiria dicant,
 Dulcia dum queritur, quum pretiosa gemit.

E GRAECO.

Si quis apud Parthos uidisset corpore nudam
 Antipatram, herculeam fugeret ultra Abilen.

IN VETVLAM.

Vis iuuenis credi ipsa comis, & dentibus emptis,
 Et cerusatis, purpureisq; genis.
Putida anus quum sis moribundo in corpore uiuens,
 Immo sepulturæ iam data, & inferijs.
Non quam tu reris, sed quam nos cernimus, ipsa es,
 Proditur indicio tecta senecta suo.

E GRAECO.

Non solum male olet Demostratis ore, sed illos

Quos subolet, fœdum fecit olere caprum.

AD CHARITEM.

Te quoties uideo, & miror pulcherrima uirgo,
Membra mihi toties saxificata rigent.
Et licet ipse sciam, fore te, Chari chara, Medusam
Fronte meam cogor te tamen inspicere.
Nam faciunt istud mores, atq; enthea uirtus,
Et tua, quæ faceret forma natare Iouem.

E GRAECO.

Proximus accedens Paphiæ uenerare uetustam
Effigiem, atque libens da pia sacra Deæ.
Et Glyceram lauda, posuit me hac, littoris unda
Vnda ubi purpurei molliter ipsa fluit.

DE IVLIA.

Infanti, & puero placuit mihi Iulia semper
Me torsit iuuenem, me coquit igne senem.
Et nisi amassem illam, toto & nunc pectore amarem,
Nollem oculos charos, ipsam & amare animam.

E GRAECO.

Igne graui & gemino iuuenis quæ exussit amantes,
Quam uetulam nec adhuc deserit acer Amor.
Archianassa tua ò Colophon hoc clausa sepulchro,
Fœmina, non meretrix obsequiosa iacet.

AD MYRTVM.

Chara mihi atque meæ semper memoranda puellæ
Myrte uoluptatis conscia sola meæ.
Quando reluctanti furtim bina oscula Amillæ
Ipse dedi, uisa es læta mouere comas.

Scilicet ut dulci arridens furtiua duello
  Visáq; certanti dicere, stulta mane.
Grata arbor Veneri, & merito, quæ cōmoda amanti
  Largiris ridens, fidáq; fronde tegis.

E GRAECO.

Immensos fluctus dum sulcaremus Iacchi,
  Illius & pariter carmina concinimus.
Iam tumor inde ingens manabat, qualia lyntres
  Enabant gratos pocula per latices.
Hausimus unde nouos potus, & gaudia prompti,
  Amplius haud tepidæ sollicitantur aquæ.
Quum musti ipsa lacus petijt formosa Rhodante,
  Cuius ab aspectu turbida musta nitent.
Tunc celeres nostræ mentes agitantur, & omnis
  Victus erat Baccho, uictus erat Venere.
Et miser, & iuxta plausus crescebat abundans,
  Sub fragili tantum spe iocus omnis erat.

DE SICHEO ET DIDONE.

Viderat Aeneam dulci cum uxore Sicheus
  Miscentem lachrymis sub styge uerba pijs.
Expertusq; fidem dubiam, & mutabile pectus
  Coniugis extimuit, concitus atque gradu
Astitit ante illam, subito confusa rubore
  Tristis amatorem liquit Elisa Phrygem.
Postquam progressi secreta in ualle maritam
  Corripiens placida uoce maritus ait.
Laomedonteas fraudes tentato secundum,
  Si tibi non uisum est sat perijsse semel.

E' GRAECO.

*Lætius & Paulus fratres utroque parente*
*Concordes uita rite fuere simul.*
*Sortitiq; simul fortunæ stamina circum*
*Bosphoron una ambo contumulantur humo.*
*Et quum non possent diuisi uiuere, ad ipsa*
*Contenduntq; simul limina Persephones.*
*Gaudete ò fratres, concordia, & illius ara,*
*Concordes, uestro est constituenda rogo.*

AD AMICAM.

*Palleo quod uultu me despicis, aspice amantes*
*Pallere, atque aurum nobile pallor habet.*
*Et Plutus regnator opum pallescit ubiq;,*
*Attamen in terra est maximus ille Deum.*
*Nulla superficies hominem dijudicet intro*
*Tende, audi, & uideas, hic hominem inuenies.*

E' GRAECO.

*Quinque pedum terræ tibi sat mensura sepulto,*
*Nec iubar est solis cernere, nec genium.*
*Quare sume merum. gaudens bibe coniugis aureæ*
*Amplexu infusus, molliter atque sinu.*
*Si tibi diuinæ est sophiæ mens, scito, Cleanthes,*
*Zenoq; lethæos transiliere lacus.*

AD AMICVM QVENDAM.

*Quæ rem, teq; una absorbet, laceratq; charibdis,*
*Et quæ te uiuum contumulauit humo.*
*Ipse piam dicis Cyrcen, Helenamq; pudicam,*
*Et niueam Andromeden, atque Hecalem iuuenem.*

*Sit Pytho, ac Hersilia, sit Cornelia tandem,*
*Sit formosa decens, attamen est meretrix.*
*Etsi omnem excellit specie, nam uicerit omnes*
*Etsi forma alias simia, turpis erit.*

E' GRAECO.

*Non mage cum capris mens est mihi uiuere, & ô Pan*
*Corniger aut montes uelle habitare magis.*
*Collibus in summis quid mi optem? mortua Daphne est,*
*Daphne, quæ nostri pectoris ignis erat.*
*Hanc habitabo urbem, nec enim sunt grata priora,*
*Pani alius quis apros, conficietq; feras?*

CASVS.

*Infantem lupus apprehensa ceruice ferebat,*
*Quum subito accurrit flens animosa parens.*
*Et pueri arripuit pendentia crura, trahitq;,*
*Pignus ut ex auido uindicet ore suum.*
*Dumq; amor, & rabies, certant hinc inde, reuulsum*
*Prædo caput, mater cætera membra tulit.*

SEMIRAMIS.

*Coniuge defuncto nutabant regna, uirilem*
*Sumpsi habitum, & nati sceptra gerenda mei,*
*Imperij nec enim fuerat tunc aptus habenis,*
*Tum quia inexpertus, tum puer ille fuit.*
*Arrisere dolo fortuna, & inuida uirtus,*
*Donec detectum est me retegente nefas.*
*Quanta domi fuerim, Babilonis mœnia mostrant,*
*Quanta foris, dicant, India, & Aethiopes.*

AD AMICAM.

*Iurabas Lalage quod toto pectore amabas,*
*Præter me nullum nequitiosa uirum.*
*Attamen ille tuus fuerat mage amatus ocellis,*
*Quem tua me fecit uana timere fides.*
*Quippe fui dubius propter periuria tanta:*
*Semper acu tetigi rem, pila facta mea est.*

E' GRAECO.

*Et cum auro, tum purpurea, cum ueste, & amore*
*Delitians Diua mollior Idalia:*
*Lais humo hac tegitur, ciuis quæ exorta Corynthi,*
*Pirenes lymphis lucidior liquidis.*
*Mortalis Cytherea proci quam mille secuti,*
*Non tot olorino de Ioue nata habuit.*

AD AMICAM.

*Dulcibus impressi quæ basia rapta labellis*
*Illa tuis, partem surripuere mei.*
*Et nisi rupisset uir gaudia pace, & in illo*
*Nectare mansisset portio tota animæ.*
*Quod uoluissem inquam, quid enim Di pace perenni*
*Quamq; frui optato nectare maius habent?*

E' GRAECO.

*Ad Veneris lusus suaues, & florida Amoris*
*Dulcia clausisti lumina Patrophila.*
*Philtra, & blanditiæ extinctæ, cantusq; lyræq;,*
*Ad numerum exhausti dulciter & calices.*
*Mobilis orce parum, meretrix quid amabilis à te*
*Rapta? an te insanum fecit amore Venus.*

## AD CHARITEM.

*Plorabar, luctusq; tuo qui ex ore pluebant,*
*Ac ueluti gemmas legerat ipsa Charis.*
*Questa & eras, lamenta & Amor portauit ad astra,*
*Quæ mouere pios in tua uota Deos.*
*Parce mihi (hoc dicam) sensi grata aure dolores,*
*Exhausi lachrymas dulciculasq; libens.*
*Quis nollet Veneris sensisse in Adonide luctum?*
*Malecntem & Manes Orphea in Euridice?*
*Mœsta mouens Superos oculis stillantibus imbres*
*Læta serenatis quid facies oculis?*

## E GRAECO.

*Quæ circum Cybelen, circum pia sacra, facesq;,*
*Sub crotulo explicitas docta mouere comas.*
*E cornu ad latam lotum ter deinde labellis*
*Docta suos calices euacuare mero.*
*Hic subfrondifera requiescit Aristion ulmo,*
*Non mage nocturnis euigilata iocis.*
*Comi, & stultitiæ gaudete, est tecta tenebris,*
*Quam prius obtegerant serta, rosæ, & uiolæ.*

## IN VETVLAM.

*Dum tibi uernarent anni, secumq; lepores,*
*Vendebas noctes uilius ipsa tuas.*
*At postquam hybernant tua tempora, & omnia secum*
*Cur uendis noctes charius Alda tuas?*
*Non tua me uitis tantum allicit, aut sitis urget,*
*Ebibam ego ut feces charius Alda mero.*

È GRAECO.

Dulce etiam in senio spirans, & amabile in urna
O Colophon pellex Archianassa tua est.
Quiq. suos nuper primum gustauit amores,
Non uno, at duplici saucius igne fuit.

AD AMICAM.

Quod tua non uiso dulcissima tecta meum mel,
Arguis, ingratum meq. puella uocas.
Succenses, lachrymas, quereris, testaris olympum,
Non mage uelle loqui, nec bene uelle mihi.
Contra ego, mecum habitas, & pectora nudo, et in istis,
Dum ingemino, læsus conciliatur amor.
Tunc mage blanda, & amans sis, ipse procacior, et sic
Mixtus amaritie fit mage dulcis amor.

È GRAECO.

Thessaliam si tu patriam mihi uideris hospes,
Fac, dicas grato, te precor ista uiro.
Occubuit tua iam coniux, externa sepultam
Eheu bosphorio littore arena tenet.
Quare ibi te iuxta tumulum mihi construe inanem,
Ante oculos ut stem iam data uirgo tuos.

DE DVOBVS RIVALIBVS

Quintilianus amat, tum Sextilianus amicam
Thaida, auarus hic est, prodigus ille fuit.
Ille auro expugnat, uerbis hic pugnat, amicam
Quintilianus habet, Sextilianus auet.

È GRAECO.

Me domine altorem urna tuum Timanthe recepit
Libera,

Libera, nanque tuus certe ego seruus eram
Viue diu ualidus, sed si perueneris ad me
Ob senium, tuus ac sub Stygе seruus ero.

CASVS DVORVM AMANTVM.

Eglen Pyrrhus amat, Pyrrhum dilexit & Egle,
Connubio impariles, uerum in amore pares.
Conueniunt templo in Triuiæ, & potiuntur amore
Dum turpe hoc iterant irreuerenter opus.
Oppressi saxo occumbunt, quia sæpe nefandum est,
Concubuisse scelus, uirginem & ante Deam.

E' GRAECO.

Luctibus humectans saxum Marathonus in urnam
Condidit ex pario marmore Nicopolim.
At plus nil habuit, quid enim plus cura superstes
Coniugis erepta coniuge sola potest?

AD STELLAM.

Quam tua larga in me manus est, q̃ blandi & ocelli,
Tam mage me perdis, discruciasq; magis.
Obruis ingratum, & cupidum plus esse facis me,
Esto & auara magis Stellaq; blanda minus.
Non peto blanditias has, nec tot dona, sed unum,
Da mihi quod cupio, scis bene quid cupiam.

AD CHARITEM.

Floribus ex uarijs textas tibi mitto corollas,
Collegi, propria pinxi et utraque manu.
Pallentes uiolas, candentia lilia, Adonim
Idalium, Idalias purpureasq; rosas.
Arrident annexa simul, redolentq;, nitentq;.

*Serta tuis & amant irradiare comis.*
*His redemita caput, memor esto superba, coronas,*
*Atque tuos uultus conditione pari.*

E' GRAECO.

*Dilexi Demo Paphiam, res magna nec ista est,*
*Et Demo Samiam, denuo nec noua res,*
*Tertiam & ex Asii Demo, ludibria non hæc.*
*Et Demo Argolicam, quæ mihi quarta fuit.*
*Ipsæ igitur Parcæ compellant me Philodemum,*
*Quod semper Demus me calefecit Amor.*

E' GRAECO.

*Cyprin aqua aut talis peperit, uel Cypria talem*
*Aurea ab abluto corpore fecit aquam.*

DE IPHI ET ANAXARETE.

*Iphis, Anexereten quum non flexisset amando,*
*Postibus illius triste pependit onus.*
*Mota nec, exanimũ hunc cernens, ubi cõditur urna hic,*
*Quid ualet experta est, spretus & acer Amor.*
*Nam quæ duritia uincebat robora, mansit*
*Dura silex duro pectore Anaxerete.*

E' GRAECO.

*Si tua forma fugit, prius utere, dum manet, at si*
*Non fugit, illa uti cur remanente times?*

E' GRAECO.

*Quis te sic nudam detracta & pelle fugauit?*
*Nec te conspexit saxeam habens animam.*
*Moecum importunus ueniens fors repperit ille,*
*Factum est ò nata, hoc, fœmina quæq; facit.*

Intus ubi es, foris ille manet, tu ne mage tenta,
  Denuo ne hoc fiat, perstrue uecte fores.

## AD ALEXIM.

Ac ueluti pennis ad te studuere rosarum
  Serta puer folijs approperare suis.
Accipe ueris opes, monimenta, & Adonidis ignem,
  Tincturam & Veneris, lumina, & astra soli.
Certatorem apium, Rgemq; tiara coronant,
  Purpureum puerum, purpureæq; rosæ.

## E GRAECO.

Heu & dulce loqui, ac aspectum liuor ademit,
  Occultæ cilijs sunt sua uerba notæ.
Iuxta assistentes uetulæ admiramur ocellos,
  Ac si esset custos pellicis inachidos.
Asta, ac obserua, in uanum tua corda laborant,
  Nanq; tui usque animam non penetrant oculi.

## E GRAECO.

Concinuit iam lege noua quidam Hectora, chlenam
  Induta ad numeros saltat at Helladia.
Saltu oblectata est Bellona, & territa, nam uis
  Fœmineæ chariti iuncta uirilis erat.

## IN QVENDAM RVSTICVM.

Impie quid stricto moliris in arbore ferro?
  Et nece tam dira conscelerare manus?
Hæc est illa Deis dilecta, & amantibus arbor
  Myrtus odoratis, perpetuisq; comis.
Aurea quam Venus elegit, tum diligit unam,
  Sub qua lasciuus sæpe quiescit Amor.

*In'q; sinu infusum sub qua miratur Adonim,*
*Imbibit & pulchrum pulchrior ipsa Venus.*
*Ne saeui in fruticem sacrum, sed pone securim,*
*Ne laedas, quam non laedere nouit hyems.*
*Parce Aginon Veneri, & nato ferit iste, cremat'q;*
*Omnia, delectans omnia & illa iuuat.*

E GRAECO.

*Non rosae opus serto est florenti, nec tibi peplo,*
*Casta'q; gemmato nec tibi reticulo.*
*Nanq; colore tuo deperditur unio, & aurum*
*Non nitet ad fluxas, cyaneas'q; comas.*
*Gratiam enim lentam flammans hyacinthus ob ipsum*
*Splendorem'q; tui luminis Indus habet,*
*Pestanis infecta rosis, & melle labella,*
*Harmonia illa, sacer cestus Acidaliae est.*
*Edomor his cunctis, tantum demulceor ipse,*
*In solis'q; oculis spes'q; quies'q; iacet.*

E GRAECO.

*Tempore quo fuerat mecum conuiua Cariclo,*
*Poneret & capiti clam sua serta meo.*
*Ignis me totum absumpsit; nam uisus habere*
*Id quod exussit igne Creontiadem.*

CASVS DVORVM AMANTVM.

*Dum calamo, & cantu trahere in sua uota pararet*
*Damonis Lalagen uictus ab igne Lycon.*
*Flexanimis illam, duram licet usque querelis*
*Traxerat, ò felix, in sua uota puer.*
*Annexerat furto, quum pulchra superuenit Egle,*

*Flamma Lyconis erat, ſpreta ſed ob Lalagen.*

*Hi fugiunt, Egle inſequitur, timor hanc, rubor illum*

*Vrget, & ira Eglen, omnibus inſtat Amor.*

*Sed furor euicit, quid enim pernicius ira?*

*Heu Lalage infelix, heu miſerande Lycon.*

E' GRAECO.

*Ore uenenato ſi uir cane læſus abibit,*

*Illius in uitrea cernet aqua effigiem.*

*Fixit ſæuus Amor rabidum in mea pectora dentem,*

*Et mens quam primum capta furore fuit.*

*Miq; tuam pontus monſtrat, gratamq; figuram*

*Currentes fluuij, pocula tum Bromij.*

E' GRAECO.

*Pectoris in calido noſtri Deus aliger audax*

*Effigiem uultus preſſerat ante tui.*

*Eheu nunc inopina uolaſti; uerum ego formam*

*Mente mea impreſſam contineo uſque tuam.*

*Hanc etiam oſtendam Phaetonti, & manibus imis,*

*Creſſam in te impellens barbara iuſtitiam.*

E GRAECO.

*Nectar olent, tangas, leni ora rubent ia crater*

*Si non inuidia eſt, tangere & ipſe uelim.*

DE SE IPSO AD AMICVM.

*Naufragio eiectum quum me iam littore egentem*

*Vidiſſes, mouit te pietatis amor.*

*Pallentem eſurie, pelago totumq; fluentem*

*Tollis, & auxilio, ſubſidioq; iuuas.*

*Nauſicaa ac ueluti nudum quæ excepit Vlyſſem,*

Muneribus multis Alcinousq; pater.
Gratus homo Deus est homini, quem proximus, et quē
Commouet alterius sors, memor ille sui est.
E GRAECO.
Quæ splendore prius fueras, formaq; decenti,
Et studio pexis ante superba comis.
Elata ceruice, meis contraria uotis.
Ecce tibi palmas ruga senilis arat.
Sunt uietæ mammæ, cilia & cecidere, minores
Sunt oculi; uetulam labraq; balba sonant.
Caniciem ueluti Nemesim uoco, iudicet æquum,
Illa quidem elatis approperare solet.
E GRAECO.
Vsque sui ad limen senij deforme iuuentæ
Seruauit Melite delitiosa charin.
Immo genis resplendet adhuc, & mulcet ocellis,
Annorum haud paucas quum teneat decadas.
Stat'q; puellaris iactantia feruida, clarum est,
Naturam quod non deprimit ulla dies.
E GRAECO.
Tange, inuenisti, mulce labra mellea crater,
Liuor abest, uellem sortem habuisse tuam.
AD LALAGEM.
Quid mihi quid dices Lalage tam dura, rigens'q;?
Quid facies Lalage dura, rigens'q; mihi.
Surripui tacitus, dum te sopor altus haberet,
Sub platano hac densa clam tibi suauiolum.
Quid fletū mea uita tuos corrumpis ocellos?

Ne lachryma, ipse equidem nil tibi surripui.
Verũ ego dum hoc uellem labrũ hoc apis una momordit
Atque interrupit mi dolor ambrosiam.
Si petis unde animal tantillum hoc exyt ore,
Ore tuo, unde etiam dulcia mella fluunt.

E GRAECO.

Tu ne etiam languens in amore Philena laboras?
Aut certe aridulis es liquefacta oculis.
Dulcius an dormis, curæ nostriq; doloris
Nulla quidem ratio, nec pietatis amor?
Digna odio simili inuenies, madidasq; uidebo
Imbre genas tristi, continuoq; tuas.
Vnum nanque alia est inter sortita, superbas
Quod Venus insequitur facta inimica nurus.

E GRAECO.

Se Marie extollit dilecta, ulciscere fastus
Ast Astrea uolans & ueneranda suos.
Non Regina nece, immo cano crine senectæ,
Aridulum & rugis corpus arato suum.
Puniat hos fletus capitis nix, crimina mentis,
Et uitij causam nescia forma ferat.

AD AMICAM.

Etsi odio tibi sum nullam te præter amabo,
Etsi me fugias, te tamen usque sequar.
Etsi clausa domi latitabis, nocte, dieq;
Astabo ipse tuas peruigil ante fores.
Si mihi, quod plus est, dextram truncaueris ipsam,
De te etiam scribet læua libensq; manus.

E' GRAECO.

*Discere conatus si me redamaret Ereutho,*
*Tentabam ficto nescia corda dolo.*
*Tendo peregrinam ad terram, quosdamq; recessus,*
*Virgo mane dixi, sis memor ipsa mei.*
*Illa autem magnum exclamans exurgit, & ora*
*Percutit, ornatas dilaceratq; comas.*
*Meq; rogat maneam, uix exorabilis ipse*
*Assensi, infracto uelle manere oculo.*
*Sum felix desyderio, dubiumq; recessit*
*Prorsus, id ad magnam contribuo ipse charim.*

E' GRAECO.

*Suspiras, loqueris miseranda, superflua cernis,*
*Zelotypa es, tangis, quam sapienter amas.*
*Nam facit istud amans, sed quum tibi inhaereo, inepte,*
*Simpliciterq; manes, non facit istud amans.*

AD AMICAM.

*Aucupij partem, & praedae mihi Laura dedisti,*
*Non mihi opus praeda, non opus aucupio.*
*Pascor enim Musis, stomachus non esurit unquam,*
*Si mihi uis gratum mittere, mitte famem.*

E GRAECO LAIS.

*Iam turbam elusi iuuenum lasciua procorum*
*Staret ubi ante meas Graecia tota fores.*
*Nunc speculum Veneri sacro, nanq; illa tueri*
*Non patior quae sum, nec queo, quae fueram.*

AD LECTOREM.

*Ebibe, sed magno cratere potenter, & esto*

Lætus, nemo tenet, quod ferat ora sequens.
Et Como, & Genio indulge, mors omnia uersat,
Nanq; parum distat uiuere ab interitu.
Est aliquid uita hæc, uix quum discedis ab orbe,
Tantulam humum, et tegmen, qua tumuleris, habes.

AD AMICVM.

Dura puella tuis precibus quod clauserit aures
Dona nec admittat tam pretiosa dolos.
Ne cures, fletus iris medicantur amantum,
Dulce magis lachymis nil bibit acer Amor.

E GRAECO.

Quam diu in accenso aspectum cælabimus igne?
Et furtiuus erit lumine noster amor.
Prodeat in lucem, si quis probibebit amoris,
Aut facto, aut dictis, inuidus hostis iter,
Pharmacum erit predulce ensis districtus utriq;,
Communis uita, aut mors subeunda uia hac.

AD AMICAM DEFVNCTAM.

Dum tu debebas Superis, te ardenter amaui,
Postquam nil debes, te reuerenter amo
Et meus hic ardor, simul ac reuerentia tanta est,
Vt cupiam tecum uiuere ubi fueris.
Quid mage uis? corpusq; meum, censumq; regebas
Viua animam, & corpus mortua habeto simul.

E GRAECO.

Si citharam plectro quandoq; tetigeris aureo,
Altera Tersicore es uirgo chely, & fidibus.
Si tragico uocem resonas Ariadna boatu.

Melpomones bumbum fingere docta soles.
Iudicium si de forma quæratur, abibit
A te uicta Venus iudice uel Paride.
Sed reticere iuuat nos ut ne sentiat Euan,
Zelum Ariadnei ne capiat thalami.

DE IVLIA.

Exculptam gemma sese, quam circulus ambit
Aureus, in uiridi Iulia perdiderat.
Tunc ego, quisquis habes, redde illam, exclamo, tot inq;
Dispergit gemmas, quot Dea lacbrymulas.
Redde illam, exclamo, nisi uis te perdere totum,
Vincula enim, & flammas & simulata facit.

E' GRAECO.

Quæ turbam irrisi iuuenilem Lais amantum
Græcorum ante meas nequitiosa fores.
Suspendo speculum Paphiæ, quia cernere nolo,
Quæ modo sum, & nequeo, quæ prius ipsa fui.

AD AMICAM.

Obuius hesterna si non tibi luce salutem
Reddiderim, uidi non ego te Lalage.
Irradians sol causa fuit, tuq; ipsa relucens
Sole magis, solem quis patitur geminum?

E' GRAECO.

Ne uiolente meum cogas o Phosphore amorem,
Proxima nec Marti pectora sæua geras.
Vt nec eras uelox plantis pernicibus olim,
Sub Clymenes tecto iam Phaetonta uidens.
Sit mihi sub clara cupienti nocte retardans,

Tanquam à Cimmeriis egrediare, ueni.

AD AMICAM.

Non ego te liqui, quanuis discesseris urbe,
Manserim in urbe licet tristis, iners sine te.
Miraris dubitans, mirari desine, nam sum
Certe ubi plectra moues aurea, & ore canis.
Exeo inane meum linquens è corpore corpus,
Quomodo? si quæris nescio, dicat Amor.

E' GRAECO.

Vulnus amorem habeo, fluit & de uulnere sanguis
Luctus enim, & nunquam deficiunt lachrymæ.
Nec medicina malum potis est sanare, Machaon
Mitia ne'ue etiam pharmaca ferre mihi.
Telephus ò uirgo sum, tu mihi fidus Achilles,
Saucius ut forma est, sic medicatur amor.

E' GRAECO.

O' patera, unde fluit nectar, da basia labris,
Extra liuorem talia dona precor.

DE CHARITE.

Quæ Charitis sit forma, potes cognoscere, uel quas
Torqueat è sacro luminis orbe faces.
Pinxerat hanc Zeusis clausis animosus ocellis,
Gorgonei uisus monstra uerenda timens.
Demum ubi monstrificos oculos mira arte reclusit,
Extemplo incaluit Zeusis, & obriguit.

E' GRAECO.

Cui Calamistrato te exornas crine, polisq;
Palmas, excisis unguibus arte tuis?

Murice quid uestes tingis florente sub æquor?
Pulchra prope est Rhodope non adeunda magis.
Non cernam his oculis Rhodopen? lumenq; diei,
Nec clari auratum prospicere ipse uelim.

DE DRYADE ET FAVNO.

Legerat una Dryas per humum serpentia fragra,
Primitias Zephyro quæ dare Cloris amat.
Dumq; in fasciculos annectit sedula molles,
Floribus & uariat, candidulisq; rosis.
Improuisus adest Faunus, timidam, atque uolentem
Effugere oppressit impatienter amans.
Apparat & mediam exerto mucrone puellam
Scindere, & arcanum perterebrare femur.
Virgo ubi terribile, atque ingens, telumq, trabale
Conspicit, extimuit fulminis instar erat.
Territa clamat opem, quis opem præberet in altis
Montibus? & motu uulnera adacta cauet.
Et manibus cornu couellere nixa sinistrum
Euulsit, telo tunc cecidere minæ.
Vulnere semianimis iacuit pugnator acerbo,
Nympha rapit celerem non uiolata fugam.
Secum & fert spolium, ostenso terretq; procaces,
Et nemus, & tutam se facit, & Dryades.

AD AMICAM.

Sæpe mihi blanda es rigida & mihi sæpius ipsa es,
Te mihi sæpe offers, sæpius atque fugis.
Promittis, promissa negas, gemmasq;, rosasq;
Sæpe mihi loqueris, sæpius & lapides.

*Qui legis, aduertas laqueos dulcedinis huius,*
*Melle uenenato fercula condit amor.*

E' GRAECO.

*Plorantem inspiciens Nioben quandoq; bubulcus*
*Obstupuit, lapidem collachrymare sciens.*
*At me lugentem tota caligine noctis*
*Euippes spirans non miserata silex.*
*Causa amor irrigui est fluxus utriusq; peremptos*
*Flet Niobe natos, perniciem ipse meam.*

DE SE IPSO ET AMICA:

*Viuo, & amo efflictim, nec possum dicere, si me*
*Tantillum hæc redamet, uel bene uelle uelit.*
*Tantum cauta potest incautum fallere amantem,*
*Et trahere in longas insidiosa moras.*
*Credula spes nostra est, melius speramus in horas,*
*Hinc cæci erramus, perditi & usque sumus.*

E' GRAECO.

*Vesper erat, Galatea in me mala multa precata*
*Ante meos oculos clausit utrosq; fores.*
*Falsum equidem hoc uerbum est, iniuria soluit amores,*
*Quippe amor ille meus creuit ab obprobrio.*
*Nam qui iuraram à domina procul esse per annum,*
*Eheu festinans hanc adeo ante diem.*

E' GRAECO.

*Clarisoni ò culices ullo absque rubore pudendi*
*Alatæq; feræ, sanguinis atque tubi.*
*Xenophilam sinite, ipse precor, requiescere somno*
*Perplacido, uobis offero membra mea.*

Quid loquor hæc frustra, non exorantur, at illi
Tam tenero læti concaluere sinu:
Nunc prædico malæ ò pecudes aut parcite ab ausu,
Aut uis zelòtypæ est experienda manus.

E' GRAECO.

Texo albam uiolam, & myrtis bene olentibus una
Narcissum, & texo lilia cana simul.
Texo crocum dulcem, super his & texo, hyacinthum
Purpureum, & Veneri munera grata rosas.
Floreat ut sertum fragrantibus Heliodoræ
Iniectum nitidis, impositumq; comis.

E' GRAECO.

Vrbis Athenarum populus tibicinis instar,
Si linguam abscindis, quod reliquum est, nihil est.

E' GRAECO.

Agrestem, & rigidum natum decanto Diones,
Qui matutinus nunc uolat è thalamo.
Dulce gemens, pernixq; puer, tum garrulus, audax,
Risu alis gaudens fert humeris pharetram.
De patre adhuc nihil est quod dicã, haud æthere natus
Non tellure ortus, progenitusq; mari.
Omnium enim est hostis prorsus, uos cernite, tendit
Passim læna animis insidiosa Deus.
Ecce fugit lucem, non me tamen effugit, iste
Arcitenens oculis Zenophilæ latuit.

E' GRAECO.

Hic scyphus exultat dulcis, nam tangit amator
Ora ut ait, pulchræ garrula Zenophilæ.

*Felicem, nostris apponens labra labellis*
*Spiritum ab ore mihi si hauserit unò animam.*

AD IVLIAM.

*Iulia furaces in me si flectis ocellos,*
*Mi eripis hanc animam, mi eripis hos oculos.*
*At quoties oculos à me deflectis auaros,*
*Restituis'q; animam, restituis'q; oculos.*
*Sed non restituis mihi me, immo me eripis, immo*
*Ræstituens perdis hanc animam, hos oculos.*

E' GRAECO.

*Imbre madens hyemis longa sub nocte redibam*
*Insidiosæ Helenæs limine corda ferens*
*Icta cupidinibus nec enim mi iniecit amorem,*
*Sed iacula è flammis perniciosa Venus.*

DE SE IPSO.

*Deficio lachrymis non deficientibus unquàm,*
*Intima nec cessat quin bibat ossa calor.*
*Ecquis erit sapiens causam qui intelligat? ignem*
*Ardere inter aquas, crescere in igne, & aquas.*

E' GRAECO.

*Furtim surripuit fructum me parca iuuentæ,*
*In'q; patrum tumulo condidit iste lapis.*
*Aetherio genitore satus, genitrice bona'q;*
*Nomine Ruphini, frustra ego sum genitus,*
*Atingens florem ætatis, summum'q; Thaliæ.*
*Heu, sophos ad Manes, ad styga tam iuuenis.*
*Tu quoq; conspiciens titulum hunc plorato uiator,*
*Non dubium quin sis filius, aut genitor.*

AD CHARITEM DE RETICVLO quo papillas tegebat.

*Structa quod ex auro subtili retia tendis,*
*Magnificos tactas non nisi Diua dolos.*
*Sed quia mortales tu dedignaris, & ipsi*
*Nota reformidant Gorgonis ora Dei.*
*In te ipsam uertis laqueos, redolentia captans*
*Hesperidum auratis aurea poma plagis.*

E' GRAECO.

*Eheu magnarum charitum uer suaue relanguet,*
*Cruda uorantis hyems te stygis atra tenet.*
*Te quoq; surripuit solari à luce sepulchrum*
*Currentem tristi iam tria lustra gradu.*
*Excæcauit enim patrem dolor, atque maritum,*
*His mage eras quam sol splendida Anastasia.*

AD CHARITEM.

*Quam rosa suaue nitet, tam dum libatur amara,*
*Et durum solita est soluere uentris onus.*
*Sic silicem cordis mollit frons blandula Amoris,*
*Oreq; sub suaui cælat amaritiem.*
*Hinc mihi blanda rosas mittens das dulce uenenum,*
*Hoc uideo, & cogor sumere, & ebibere.*

E' GRAECO.

*Inuiolatam Helenen nuper cum fratre perempto,*
*Dupliciter luxit quam miseranda parens.*
*Quam pariter luxere proci, nam quisque uolebat*
*Illam, quum nec adbuc ullius illa foret.*

AD

ADAMICAM.

*Quæris amem cur te, cur sim tibi deditus uni,*
*Certus, quod nec amas me, mihi nec bene uis.*
*Cogit Amor cæcus, puer est uiolentus, ab illo,*
*Cur uiolentum agitet, cur puerile, petas.*

E GRAECO.

*Multarum uirgo comitum suprema suarum*
*Septennis uitæ clausit acerba diem.*
*Dum cupit infelix fratrem reuocare sepulchro*
*Infantem, inflecti nescia fata tulit.*

E P I T.

*Crescere odorato luctu, quam & morte uidetis*
*Surgere, Leucothoe pulchra puella fui.*
*Solis amans Clitiæ soror at me prodidit, & me*
*Orchamus, heu, uiuam contumulauit humo.*
*Et quæ non potui pro me placare parentem,*
*Nunc pro alijs rogito, concilioq; Deos.*

E GRAECO.

*Sic Gorgo est charam postremum affata parentem,*
*Quum collum manibus stringeret illachrymans.*
*Rursus apud patrem maneas, natamq; senectæ*
*Ede tuæ fato prosperiore aliam.*

AD CHARITEM.

*Etsi me fugias, nostrum tamen accipe munus*
*Virgo dioneas purpureasq; rosas.*
*Nunc tibi sunt lectæ, & rutilant proprio igne coruscũ*
*Fulgur uti, auratas his tibi cinge comas.*
*Atque cubent tecum, superant plumasq;, torumq;,*

Mollicie atque crocum murice cum tyrio.

Hæc formosa licet niteant, non undique fragrant

Ista, dioneæ ut purpureæq; rosæ.

Ipse ego quum nequeam, iussi dent oscula collo,

Inq; sinus faustos impete se iniiciant.

Parebunt monitis, si tu patiere beata

Dona, suo domino dona beata magis.

Inuideo uobis, sed si tam dura negabit,

Vrite eam toto pectore, tota anima.

EGRAECO.

Eheu morbe atrox animis illaberis ecquid?

Quum cupiunt iuuenes uiuere secla senum.

Qui Timarchum etiam ab dulci rapis ipse iuuenta

Vt nequeat sponsæ uirginitate frui.

E GRAECO.

Grata, uel ingrata est omnis nam gratia, uelox

Grata, ingrata uenit gratia lenta nimis.

E GRAECO.

Virginis urna Helenæ sum luctu in fratris adempti,

Matris enim duplices contineo lachrymas.

Luctifluos liqui ipsa procos, nam tradita nulli

Causa spei, & luctus omnibus una fui.

QVESTVS IN GALATEAM

Post querulos cantus dulces Polyphemus amores

Assidua æquoreis uoce uocabat aquis.

Exurens Galatea meas dilecta medullas

Flamma ueni, si te non tenet alter amor.

Sed quis amans erit ille audax, & tutus in undis,

Qui intercepisset gaudia nostra Deus?
Nemo inquam, sed tu miserum me spernis amantem,
Nec tibi cura mei sic pereuntis inest.
Hæc rudis insano uictus repetebat amore,
Dum uersat surdas inuidus auster aquas.

E' GRAECO.

Ex Colophone iacet scortum Archianassa, senili
Cuius & in uultu blande Cupido sedes.
Hæc cui uernanti se corpore miscuit, illum
Oscula post duplici torruit igne rogi.

E' GRAECO.

Flebilibus palmis lectum strauere parentes
Funereum in tedis uirgo puella tibi.
Et tu uitasti errores, uitæq; laborem
Libera, caligo hos luctibus atra dedit.
Bis sex annorum occultat Macedonica tellus
Te iuuenem forma, moribus at uetulam.

AD AMICAM.

Læti oculi stellas æquant qui lumine, me mi
Dulce ueneficijs eripuere suis.
Nam Cyrce, lotos, siren, pellacis Vlyssi
Mutauit, tenuit, perdidit, ut socios.
Sic mecum egisti, postquam uelut alma Calypso
Visa mihi, demum dira Charibdis eras.
Factus amor tuus hic est uera tragedia, blando
Cœpit enim à risu, & desinit in lachrymas.

E' GRAECO.

Thionoes hymenæa meæ lachrymabar, at ipsa

Lenibat lachrymas spes tua nate mihi.
Hunc autem te alium mors abstulit inuida, & in te
Decipior fili, qui mihi solus eras.
Persephone patri in luctu quod dixerat, audi,
Da matri æneclæ pignus habere suum.

E' GRAECO.

Durum est quũ sponsa, aut sponsus ploratur ademptus,
Durius ut tristis luget utrunq; domus.
Eupolin ut Iustum, atque Glycerion, horũ hymenæos
Extinxit prima nocte cadens thalamus.
Non tamen æqualis dolor est, nam Nicia natum,
Et natam Euridice est illachrymata parens.

E' GRAECO.

Terra habet Italiæ Melibissam proxima Romæ,
Nam prope arenam ipsam uirgo puella tegor.
Quæ me pro nata eduxit, Pompeia sepulchro
Sed non seruili post lachrymas posuit.
Dum parat ignem aliũ, hoc præuenit, præter enim spem
Succendit nostram lampada Persephone.

AD AMICVM.

Extollis Philacæ mores, formam, atque leporem,
Corporis egregij membraq; tecta sui.
Candaulis casu sileas, tacitusq; fruare,
Inuidiosa Venus non solet esse diu.

E' GRAECO.

Pro thalamo illustri, atque thoro, tedisq; uenustis
Marmoris effigiem dedicat ipsa parens.
Quæ tibi mensura, te & pulchritudine reddit,

*Therſipote garris mortua, & in tumulo.*

E GRAECO.

*Nos ignominiam iniuſtos Galatasq; timentes*
*Milete ò dulcis concidimus patria.*
*Parthenice ciues tres quas uiolentus in iſtud*
*Celtarum Mauors compulit exitium.*
*Fugimus hoſtiles plagas, ſponſumq; hymenæi*
*Curabit nobis ad ſtygis orcus aquas.*

AD AMICAS.

*Vltimo Amatrices dono uos alloquor umbræ,*
*Si quis adhuc uobis ſub ſtyge ſenſus adeſt.*
*Cernite amatorem ueſtrum poſt funera ueſtra*
*Iamdudum in lachrymas elicuiſſe graues.*
*Spargo ipſis cineres ueſtros, uos ſi qua perurit*
*Flamma mei, illa meis ut foueatur aquis.*

E GRAECO.

*Bis duo habent unum fratres poſt fata ſepulchrum,*
*Vna duos peperit, perdidit atque dies.*

E GRAECO.

*Ante ego paſtores mulcebam carmine, & illos*
*Qui fallunt piſces falce ſecantq; nemus.*
*Sæpe etiam reboans ueluti reſonabilis Echo*
*Mordacem effinxi gutture pica thonum.*
*Nunc me terra tegit, nec ſum magis æmula uocis,*
*Lingua etenim me, & uox, uitaq; deſeruit.*

DE ANTIOCO ET SELEVCO REGIBVS.

*Credibile eſt ne uirum charam ceſſiſſe maritam*

*Nato etiam, atque ægro, tum morienti etiam?*
*Si uerum eſt, munus magnũ eſt, pulchram, atq; puellã*
*Largiri, quam ardes, cuius & igne peris.*
*Nil mirum, dedit hanc genitor natus cupit hæres,*
*Rex genitor fuerat, ſolus erat genitus.*
*Vicinusq; neci uulnus mortale tegebat.*
*Lædere quam patrem, duxerat igne mori.*
*Sed miſerata Venus ſignis prodebat amantem,*
*Poſt dabat occulti ſigna & amoris Amor,*
*Ingemit, & pallet, reticet, rubet, æſtuat, alget*
*Tantum Stratonices ille ſub intuitu.*
*Quem non fregiſſent peritura ſilentia amoris?*
*Et pudor, & nati ſic pereuntis amor?*

E GRAECO.

*Dulce melos per Pana canis, ſuauiſſima cantas*
*O quam dulce melos Heliodora chely*
*Quo te difugiam? circunſtant undique Amores.*
*Nec tantilla datur paxq;, quiesq; mihi.*
*Aut me forma ferit, uel Pytho, aut Muſa, uel ipſa*
*Gratia, quid dico? me tua cuncta cremant.*

E GRAECO.

*Splendentem ob thalami lectum, caſtosq; hymenæos*
*Conſtituit mater marmoream effigiem.*
*Virginem adequantem menſura, te quoq; forma,*
*Therſipote in tumulo garrula adhuc loqueris.*

AD AMICAM.

*Deperiere tibi fratres, geminiq; parentes,*
*Et ſoror, eſtq; omnis contumulata domus.*

*Ast tibi dum uiuo, frater, geminiq; parentes,*
*Certe ero, ne tua sit contumulata domus.*
*Vsque tibi iunctus, mea spes, mea uita, meum cor,*
*Sospite sospes ero, teq; cadente cadam.*
*Firmus ero, licet astra cadant, & terra dehiscat,*
*Verus enim nullo tempore desit amor.*

E GRAECO.

*Non morbo Rhodope, non ipsa Boissa creatrix,*
*Nec nos hostili cuspide concidimus.*
*Arx ubi terribili consumpta est marte Corinthi,*
*Tunc, patriæ, tenebras uenimus ad stygias.*
*Nam mea me genetrix ferro iugulauit acuto,*
*Nec super infelix uiuere sustinuit.*
*Fregit enim laqueo subito sua guttura, nam mors*
*Libera seruitio est anteferenda graui.*

AD AMICAM.

*Quid me uris? iam sum cinis aridus, ecquid ocellis*
*Me petis? una uno in corpore plaga mihi.*
*Sat, quia mortalis, quid enim cupis amplius? unum*
*Quam duplici nece me, uulnere, & igne, mori.*

E GRAECO.

*Nunc domine & sub humo fidus tibi dicar in omni,*
*Perpetuæ mentis signa, & amoris erunt.*
*Ter mihi donasti manifesta è morte salutem,*
*In tua postremo me monumenta locas.*
*Inscribens Menen persam tot commoda dando,*
*Serui prompti aderunt in tua uota magis.*

AD ARANEAM.

*Dic mihi cur Charitis proserpis aranea fronti,*
*Intexens tenues sedulitate plagas?*
*Pallade uicta fui, postquam est Charis altera Pallas,*
*Victam uictrici me modo fronte gerit.*

E GRAECO.

*Est dolor euersus mortis, tuus ipse repleui*
*Seruus sacrophagum pro te here funereum.*
*Nam tibi lugubri fodiens tellure sepulchrum*
*Hac tegerem corpus dum morientis humo.*
*Contegor elapso communi puluere, auernus*
*Non grauis, ad solem uiuere spero tuum.*

DE ARANEA AVREA QVAM
*gerebat in fronte Charis.*

*Tu quid inauratos temeraria aranea crines*
*Sacratum & Charitis serpere es ausa caput?*
*Dum'q; comis texis casses, & retia amantum,*
*Inspicit, arrisit perniciosus Amor.*
*Atq; ait, alba manus, roseus sinus, aurea uerba,*
*Blandi oculi, auratis frons quoque picta dolis.*
*Vtile quam nobis, alijs quam dulce uenenum est,*
*Nam Chari blanditiæ es, tota quoq; insidiæ.*

E GRAECO.

*Et coma stillat adhuc salsum miseranda puellæ,*
*In pelago occubuit naufraga lysidice.*
*Quãdoquidem in lignum ipsa cauum prolapsa fremẽti*
*Aequore dum metuis territa tela maris.*
*Vrna tuum nomen forsan, terram'q; profatur,*

Oſſa autem gelido littore ſparſa iacent.
Luctus Ariſtomacho, patri quæ nupta marito
Sed non ducta fuit uiua, nec emoriens.

AD AMICAM.

Vis quod amem, an peream? quis tã patienter amaret?
Semper enim rigida es, dura, & acerba mihi.
Non emo ſeruitium tanti, nec iurgia, lites,
Diſſidium, rixas, ſæuitiamq́; tuam.
Blanditias uult lætus Amor, luſusq́;, iocosq́;.
Non potes eſſe ſimul Thais, & Hippolyte.

E GRAECO.

Quot tibi ob inferias lachrymæ cecidere uirorum
Ex oculis, triſti mente tenende diu.
Nam communis eras puer, & comes omnibus æque,
Et dilectus eras omnibus igne pari.
Eheu pernicies, atque implacabilis orcus.
Tam iuueni ô infelix, nec tibi dat ueniam.

E GRAECO.

Molliculam & lepidam inſpiciunt Erotium Amores
Egreſſi auratis Cypridos è thalamis.
Vertice ad uſque pedes ſacros leuiſſima tanquam
Lygdus erat, charitum tum cumulata bonis.
Et manibus tunc torſerunt iuuenilibus arcus
Purpureo è neruo ſpicula plura ſuis.

DE QVADAM ELISA.

Pendentem Aeneæ ex uultu narrantis Eliſam
Cælatam in patera dixit Eliſa bibens,
Hinc plagæ, hinc flammæ, credens haurire Lyæum,

*Ignem alienum hausi, uulnus & ipsa meum.*

E GRAECO.

*Per crines pulchros Temus, per uincula Amorum*
*Cincinnos Demus, membra & odora, leuem*
*Quæ somnum expellunt, iuro, & per ludrica amatæ*
*Grata mihi Iliadis, multiplicemq; sonum.*
*Nequitijsq; meis plenam, uigilemq; lucernam,*
*Per Comi effusos, continuosq; iocos.*
*Tu leue liquisti labris mihi uulnus biulcis,*
*Annue, uel iubeas, expuam & illud Amor.*

E GRAECO.

*Supplico Amor, facias cupiam minus Heliodoram,*
*Pieris & supplex sit mea chara magis.*
*Per celeres arcus, qui me feriuntq;, necantq;,*
*Non alium, unde in me tot tua tela uolant.*
*Me licet occidas, elementa loquentia dicent,*
*Hospes quem cernis iugulauit Amor.*

DE ELISA.

*Poculo Elisa sitim extinguit, quo insculpta Medusa est*
*Monstrificis instant sibila & ora comis.*
*Nil mirum, si in saxa rigens immutat amantes,*
*Non solum fingit Gorgona Elisa, bibit.*

E GRAECO.

*Hei mihi, me eripuit Didyme mihi flore iuuentæ,*
*Hanc ueluti ad flammas cæra liquesco uidens.*
*Quid si nigra? & carbones, si accendimus illos,*
*Non secus irradiant, quam rosei calices.*

E GRAECO.

Fax Colophonis obit scortum Archianassa, cupido
Cuius & in rudis nequitiosus erat.
Fixerat hæc iuuenis gemina modo lampade amantes,
Colloquio alliciens, lumine pelliciens.

AD IVLIAM.

Esto saltem oculis, si non uis grata loquelis
Esse mihi, ne eadem Iulia semper eris?
Dura, & auara illi, qui se, & sua tradidit, immo
Quæ sua non fuerant, ut sua & astra tibi.
Nam te inter Diuas forma, qua es Diua, locaui
Sed quæ forma Deam te facit, & rigidam.

E GRÆCO.

Candida iam uiola erumpit, iam fontis amator
Narcissus, montes crinibus atque nitent.
In medio florum iam flos maturus amoris
Xenophila, & suadæ iam rosa dulce uiget.
Quid potior superat redolentes uirgo corollas,
Frustra ridetis prata superba comis?

E GRÆCO.

Heliodora meas tua uox sic allicit aures,
Per Venerem, ut Clarij plectra superba Dei.

AD AMICVM.

Ossibus albentes scopulos, pendentia & ora
Tetra hominum, ante fores & spolia ampla Deum,
Fluctibus inuolui & miseranda cadauera ponti.
Sirenum & cantu bella agitare simul.
Vidit, & ut sensit iam dulcia funera Vlyssis,
Cera aures implet, brachia fune ligat.

*Sic face Parthenope blando dum te allicit ore,*
*Nam dulcem imprudens ebibis aure necem.*

E GRAECO.

*Vocales o uos culices sine fronte cruoris.*
*Fistulae & humani, penniferaeq; ferae.*
*Xenophilam dormire parum sinite, atque quietem*
*Ferre, precor, corpus dilacerate meum.*
*Et quid uana loquor? tepefacti corpore molli*
*Exultant, diri despiciuntq; preces.*
*Praedico, at prauae pecudes audacia cesset,*
*Vel dabitur palmas noscere zelotypas.*

E GRAECO.

*Heliodora sua ut uisum est quandoque loquela*
*Exuperat charites multiplici charite.*

AD M. ANTONIVM.

*Desipis Antoni, Cleopatram in iura uocando,*
*Suppetias hosti quod dedit illa tuo.*
*Venit Acidaliis Venus aurea, respice ab hortis,*
*Et secum charites, & pharetratus amor.*
*Quo thorace tuum defendes pectus ab ipsa*
*Cuspide? & ardenti caetera membra face?*
*Per placidas cycni lymphas iam puppe uehuntur*
*Aurata ex tyrio murice uela nitent.*
*Transtra ex argento splendent, argenteus ordo*
*Remorum ad cytharam nam uada laeta ferit.*
*Formosae assistunt Nymphaeq; rudentibus aureis;*
*Et cantu Superos in sua uota trahunt.*
*Vtraq; ripa Arabum, Assyriosq; accendit odores,*

Suaue puellarum quippe ministerium.
In medio residet tanti regina triumphi
Pulchra nitens gemmis cincta cupidinibus.
Ad cœnam hac pompa dominum excipit illa, tot illi
Insidias tendit, retia philtra, dolos.
Quod captiuus amat, cupit, ardet, deperit amens,
Coniugis oblitus, tum patriæ, atque sui.
Et quam credebat mulctatam reddere regno,
Huic populos multos, oppida, regna dedit.
Et quam crediderat concludere carcere cæco.
Illius est cæco carcere uinctus amans.
Inq; illo imperium patriam, tum denique honorem
Perdidit, & propria uitam, animamq; manu.

E GRAECO.

Marcescit sertum circa caput Heliodoræ
Sed sertum serti est Heliodora sui.

E GRAECO.

Prædantem sua regna, & opes apis una momordit
Aligerum extremis in digitis puerum
Ad matrem accurrit lugens, queriturq; uolucrem
Paruam Amor, inflatam dum uidet esse manum.
Cui Venus, et tu apibus similis quum spicula torques,
Grandia non ne facis uulnera tam minimus?

DE SE IPSO.

Sæuus Amor iaculis mea corda repleuerat, & dum
Fixa ibi stant, multis tela uirent lacbrymis.
Et face qua exuror, fructum calefacta tulerunt,
Scilicet exilium, perniciemq; meam.

Ecquis enim hoc credet? duro qui seruit Amori,
Qui nutu alterius uiuit, & emoritur.

E GRAECO.

Iuppiter intactæ perfregit uincla puellæ,
Aureus æratos & Danaes thalamos.
Fabula non ista est, fundamina diruit aurum
Aenea, tum nexus, & domat omne quod est.
Rhetoras & celebres, & cunctos arguit aurum,
Deprimit elatum quodq; supercilium.
Hoc danaes mentem inflexit, non uota, precesq;,
Sed Veneri argentum tradito, quisquis amas.

E GRAECO.

Prompta charis charitum sola est gratissima, at omnis
Tarda charis charitum non erit è numero.

E GRAECO.

Sum malum, tu pulchra tuus me mittit amator
Xantippe, ambobus annue forma perit.

DE SE IPSO.

Vincor, & exultat de me imperiosa libido,
Quæ insanire etiam sæpe Platona facit.
Socratem enim dubito inuictum, nec credere possum,
Quos Apathes celebrant laudibus Aethiopes.
Quem dolor haud sternit, nec suscitat ipsa uoluptas,
Non hominem, aut brutum, sed reor hunc silicem.

E GRAECO.

Aebria palladio quum rore lucerna Phileni est,
Non uulgandorum testis amica silens.
Exi claude fores firmas, spirantibus ullis

Certe non gaudet testibus unus Amor.

E GRAECO.

Mittit amans malum tibi me, marcescimus ambo,
Annue Xantippe, dum tua forma uiget.

DE CEPHALO ET PROCRI.

Quum super extinctam miserando uulnere Procrin
Argueret Cephalus seq; suamq; manum,
Exhalasse animam dulcem cum sanguine cernens,
Parce, ait errori Procri perempta meo.
Te duplici fato feriens, tentansq; peremi,
Pectora nunc iaculo, munere & ante fidem.

E GRAECO.

Vos tantum nobis testes ambobus eratis,
Nox sacra non alij, tuq; lucerna uigil.
Illi ego, & illa mihi, quum nos iurauimus, usq;
Diligere, & nunquam deseruisse fidem.
Nunc autem dixit, ferri periuria ab undis,
Hancq; sinu alterius stare lucerna uides.

E GRAECO.

Certe Amor æquales arcus si tendis utriq;
Est Deus, in partem si premis, haud Deus est.

AD AMICVM.

Cur lenta insistat testudine Cypria, quæris,
Quam Phidia effinxit marmore de pario.
Quæ garrire solet, tota & solet urbe uagari,
Vt taceat maneat fœmina clausa domi.
Nanque proba est uere mulier dignissima laude,
Mortua quæ ueluti, uiuit in urbe latens.

*Certabant una Rhodope, Melite, Rhodoclia,*
*Quæ nam pulchra magis de tribus illa foret.*
*Eligor his iudex, ueluti Dea quælibet inquam,*
*Nectare cœlesti ni caruisset, erat.*
*Iudicio at monitus Paridis mala plurima passi,*
*Serta ego donaui florea terna tribus.*

E GRAECO.

*Imbre, fame, & flamma, me et percute fulmine ab alto*
*Me licet eijcias culmine præcipitem.*
*Defessum uotis, domitumq; Cupidinis arcu,*
*Prostratum nec enim conficit ira Iouis.*

E GRAECO.

*Ecce aliena leæ, Dorcas dicebat, amasti;*
*Capta es, detegitur tempore fictus amor.*

E GRAECO.

*Gratia, quæ pigra est, uacua est, aut nulla putanda,*
*Quæ uenit at uelox, dulcior esse solet.*

AMICA AD AMATOREM.

*Si desyderij tua palma superba uirebam,*
*Templum, ara, idolum, si tibi numen eram.*
*Cur pateris solui in lacbrymas mea membra, medullas,*
*Ossa mea, & uisus, lumen & usque meum?*
*Quin sub corporeo hoc potius uelamine tristi*
*Quod modo flumen erat flebile, nunc cinis est.*
*Ista ab amore amens deploro, cupidine et uror,*
*Quo magis exuror, eliqueo ipsa magis.*

E GRAECO.

*Pergamus Paphiæ ad fanum, uideamus & auro*

*Quam sit imago Deæ condecorata graui.*
*Sacrauit Poliarchis eam, multasq; profudit*
*Corpore formoso quas cumulauit opes.*

E' GRAECO.

*Malum ego, me misit, qui te cupit, annue, utrunq;*
*Xantippe, insequitur marcida, & atra dies.*

DE SCYLLA ET MINOE.

*Siccine me miseram fugis ingratiss. me amantem?*
*Postquam uicisti proditione mea.*
*Omnia propter te confudi, atq; omnia liqui,*
*Inq; homines, inq; ipsos impia facta Deos.*
*De tauro uere es genitus, non de Ioue summo,*
*Nil mirum tantum si feritatis habes.*
*Obq; feros mores, quis enim mirabitur unquam*
*Pasiphaen taurum præposuisse tibi?*

E' GRAECO.

*Cordis Amor nostri in medio, dum grata profaris*
*Quippe animam effinxit te Heliodora animæ*

E' GRAECO.

*Ne submitte animum infractum, fac prorsus amori*
*Suppliciter plenum quisquis amas precibus.*
*Nec graue quid tacitum sapius, quum cernis amicam,*
*Demissis oculis pone supercilium.*
*Despicit elatos mulier, reprobatq; tumentes,*
*Et misere placidos excipit ipsa ioco.*
*Cui pia constanti & forti miseratio iuncta est*
*Optimus ille inquam miles amoris erit.*

AD CHARITEM.

*Gratia tanta tui est uultus, & copia fandi,*
*Tantaq; nobilitas corporis, atque animi.*
*Virtutum, & morum summa admiratio laudis,*
*Quod dignum est, nam Di contribuere tibi.*
*Cernere, teq; loqui, magna est res, maxima amari,*
*Tecum esse, atque frui, supra hominem, atq; Deos.*

E GRAECO.

*Praeterit autumnos iam sexaginta chariclo,*
*Caeruleisq; nitet, cyaneisq; comis.*
*Corpore adhuc leui, ambrosio, rugisq; carente,*
*Mille quidem stillant, quum loquitur, Charites.*

E GRAECO.

*Cydillis quoties sub sole nitente uel umbris*
*Audax nocturnis in gremium uenio.*
*Praecipitem tunc tendo uiam, plenamq; pericli*
*Nam tota in nostrum est alea facta caput.*
*Quid plus est audax, nam quum trahit ipse, timoris*
*Principium nec per somnia uidit Amor.*

DE MARSIA ET PATRE.

*Nati amnem ex luctu cernens, pellemq; cruentam,*
*Tibia non tanti, dixit magn s, erat.*
*Filius ipse tamen uiues sine pelle decorus,*
*Marsia nam nitido Marsia in amne nitet.*

E GRAECO.

*Exarsi Comum, quis non amat, ac sacer illi est,*
*Immo insaniui percitus igne Dei.*
*Mitto haec, iam canis nigri cessere capilli,*

*Prudentes ætas nuntiat ipsa dies.*
*Donec erat tempus ludendi, lusimus, at nunc*
*Nil mage, nos melior cura tenenda mouet.*

E' GRAECO.

*Qualem habet esuries medicinam, diues amasti*
*Sosicrates, nullam diligis esuriens.*
*Iam quæ te unguentum, gratumq́ uocabat Adonim,*
*Nunc tibi quod nomen Menophila ipsa petit.*
*Et genus & patriam nescis uerbum illud, habenti*
*Diuitias nullas nullus amicus erit.*

DE CLITIE.

*Planta hæc uirgo fuit Clitie quæ se, atque sororem*
*Perdidit, & solem prodidit ore suo.*
*Pectore quem toto exarsit, sed liuor adegit*
*Perdere se, & Soli prodere Leucothoen.*
*Ardet adhuc, miratur adhuc, sequiturq́ fugacem,*
*Solis & aspectu mortua uiuit adhuc.*

E' GRAECO.

*Annue Xantippe, marcescimus ambo colori*
*Ne credas, pomi nam decor ipse monet.*

E' GRAECO.

*Nondum folliculis æstas tibi nuda, racemus*
*Nec niger immittit parthenices charitas.*
*Tela noui ast acuunt, iam iam uelocia amantes,*
*Lysidice & cœpit flamma nitere latens.*
*Donec abest iaculum neruo, fugiamus amantes,*
*Magni ego sum uates ignis, & exitij.*

DE PHEDRA ET NVTRICE.

*Claude fores blando dulcissimá alumna ueneno.*
*Quum semel intrauit corda, perennat Amor.*
*Sat domus infamis; thalamos conscendere natam*
*Patris enim monstrum est, uincit & omne nefas.*
*Et nisi ab Hippolyti desistas Phedra furore,*
*Tu uitam pendens, finiet ille cadens.*

E GRAECO.

*Eraclia ad me iurata redire lucerna*
*Per te presentem, non tamen hæc rediјt.*
*Si te tangit honos, ulciscere, subtrahe lumen,*
*Quum suus acer amans ponit ad arma manum.*

ALLVSIO.

*Dulcia quæ spectas, & rides furta, tacesq;*
*Fida lucerna meis, blandaq; nequitijs.*
*Pollicita est per te mihi Laura hac nocte reuerti,*
*Et nos, atq; datam decipit illa fidem.*
*Riualem admisit, fallacem ulciscere, amantum*
*Deфice blanditijs, atq; libidinibus.*

DE EVRIDICE ET ORPHEO.

*Auferor, affer opem, fer opem, nocte auferor Orpheu,*
*Sic misera ingeminans bis perit Euridice.*
*Quid facies Orpheu? Manes clausere baratrum,*
*Atque aures frustra concinis, atq; rogas.*
*Quàm felix habita, tam infelix coniuge adempta es,*
*Plus se ipsum, inuictam, est quàm superare necem.*

E GRAECO.

*Siste superba gradum, quod enim tibi nomen? ubi ue*

*Te cernam? dabimus quod decet, ipsa siles.*
*Fare domum, mittam ne aliquem tecũ? ne tenet te*
*Vllus amicus, aue, nec mihi dicis aue.*
*A'q; iterum, atq; iterum accedam, mollescere feci,*
*Si qua, tui est similis fœmina dura, uale.*

E GRAECO.

*Vix pictura tuam potuit prætendere formam,*
*O utinam dulcem *fugeret harmoniam.* *fingeret
*Nempe uoluptatem ex sonitu caperemus, & ipso*
*Vultu hilari, & blandis auribus, atque oculis.*

DE SEMIRAMIDE.

*Nudatum ut uidit Regina Semiramis ensem,*
*Nate creatricem tu ne necabis? ait.*
*Viscera recludes; quæ te genuere, parentis?*
*Quæ te pauerunt ubera ne feries?*
*Et moriar, quod te fili immoderatius arsi?*
*Sed nil uerba illum tam miseranda mouent.*
*Impius immo mag s pia uiscera, & ubera ferro,*
*Vndę hausit lucem, lac quoq; dulce, ferit.*

E GRAECO.

*In cyatho puerum ueneris cur? corda calescunt*
*Sat uino, ignem igni est addere uelle grauem.*

E GRAECO.

*Si desyderij uis detinet ulla puellæ*
*Vos hic plena charis accelerate, manet.*
*Nam quæ iuncta toro potis oblectare maritum,*
*Acquirit uirgo tum sine dote uirum.*
*Formosa inueniet meretrix examen amantum,*

Quæ prius hic nitidis lota redibit aquis.

DE CHARITE.

Ignibus undicremis, pharetra & spoliatus, & arcu,
Quærebat latebras pernitiosus Amor.
Diua potens nemorum, tum uirginitatis, inermem
Fecerat ob fastus, insidiasq; suas.
Insignem, & puerũ, & rogitantem, & dulce gementẽ,
Hunc q; uagum excœpit tunc miserata Charis.
Dumq; illi extergit lachrymas, solatur & ægrum,
Tradit & ignoto basia blanda Deo.
Ignem hausit, quo nunc suspirat, & ardet, Amoris
Nam lachrymæ, & secum basia uulnus habent.

E' GRAECO.

Spirantes zeli insomnes, & amarus Amoris
Fluxus comorum tum pelagus tumidum,
Quo feror? aufertur rationis temo, uidenda est
Illa oculis iterum maxime amata meis.

E' GRAECO.

Nomen habes thuris, Paphiæ quoq; ad ilia cestum,
Et mores suadæ, membráq; sunt charitum.
Et leuis in saltu, & ludis uelut ipse Cupido,
Arte quidem cunctos allicis, & specie.

AD CHARITEM.

Inuida facta meis oculis quid contegis auro
Diua dionæos, palladiosq; sinus?
Hinc redolent Arabum segetes, gemmæq; coruscant,
Et latitant nostri diuitis orbis opes.
Pulchra patẽt, Phœbũ, et Phœben Chari suspice, et asta

*Quod cælas cælum est inuidiosa meum.*

E GRAECO.

*Vsque sonant strepitu pennæ atque Cupidinis arcus,*
*Mi desyderio dulce madentq́; genæ.*
*Nulla quiescendi dantur mihi tempora, quin me*
*Sollicitet Veneris cognita forma meæ.*
*Sæpe uolare ad me uolucres didicistis Amores,*
*Inde uolandi autem dedidicistis iter.*

E GRAECO.

*Helladia hic ego sum Bizantia fixa, choreas*
*Vere ubi deducit turba iocosa leues.*
*Qua terra à lato discreta est parte profundo,*
*Ars mea saltandi, & gloria nota fuit.*

E GRAECO.

*Postquam se hic lauit, Paridi est ostensa, cupitum*
*Munus & auratum rettulit hinc Paphia.*

EPIT.

*Hæc monumenta tui uenerare Perilla parentis,*
*Et uernent uiolis, idaliisq́; rosis.*
*Læta coronentur generosi pocula Bacchi,*
*Et spument pingui cymbia lacte nouo.*
*Sparge pios cineres, & uerba precantia dicas,*
*Nam qui dilexit, diligit & cineres.*

E CRAECO.

*Ipse & Amor uolucris captiuus ab æthere summo est,*
*Hunc uenata suo lumine Timarion.*

E GRAECO.

*Ex Colophone fui mulier uulgata, senexq́;*

Occubui, terra hac Archianassa tegor.
Arsit Amor uetulam, iuuenem charites'q;, Venus'q;
Igne & utranque isti me coluere uiri.

DE CHARITE.

Lassula uenando dulci requiescit in umbra
Dum Charis ad riuum diffugientis aquæ.
Vrgebant leporem; ecce, canes, iam'q; ore tenebant,
Quid faciet? Charitis confugit in gremium.
Nomine confisus miti, tum fronte serena,
Hunc tamen hic sæui desecuere canes.
Vt me, sic illum elusit blandissima siren,
Seruaret ne feras? perdere sueta uiros?

E GRAECO.

Iurarunt Charites habitare insigne lauacrum hoc
Magnificum'q;, Deam uel prope Acidaliam.

E GRAECO.

Ignem anima experta, & laqueos prius Heliodoræ,
Illius ut fugiam uincula dura, monet
Me monet effugere, & nequeo sine uiribus ipsa
Absq; rubore monet, uincula amat'q; monens.

AD LALAGEN.

Ostentas uultus una, retrahis'q;, fugis'q;,
Insidiosa putans displicuisse mihi.
Falleris usque oculos non possem ferre, faces'q;,
Totus ni fierem uulnus, & ipse cinis.
Nam mora dat requiem flammæ, atq; alimenta, perustũ
Sic uiuum in plagis, saucium & igne tenes.

E GRAECO.

*Suada sedens labijs, curruq; Cupido, canentes*
*Dulce repercussa Pierides'q; lyra.*
*Sceptra tuis uotis cesserunt, nanq; dedere*
*Tres charites charitas tres tibi Xenophila.*

E. GRAECO.

*Certe ego succendam tua cuncta, arcum, atq; pharetrā*
*Per Venerem Veneris perniciose puer.*
*Succendam certe, quid rides? despicis & me,*
*Ridebis risu quàm cito sardonio.*
*Si desyderij usque duces incendero pennas,*
*Innectam & pedibus uincula ahena tuis.*
*Quid? cadmi & palmam referam, caprilia iuxta*
*Si te iungam animæ pestiferum, atque grauem.*
*Quare exi, pennas talaria, sume galerum,*
*Inuicte atque petas ætheris alta puer.*

AD AMICVM.

*Quo fugis? obstat Amor, qui lustrans omnia uictor*
*Occupat imperio solis utranq; uiam.*
*Te face, uel telo assequitur, si curris ad Indos,*
*Huius ad Antipodes tela, faces'q; uolant.*
*Aera si ascendes, pennis uolat, enecat æquor*
*Si petis, est nudus, promptus ut intret aquas.*
*Fuscina Neptuni, galea & Plutonis, & ensis*
*Subiacet huic Martis, fulmen, & ira Iouis.*

E. GR. IN BALNEATRICEM.

*Cur me blanda lauas uirgo feruentibus undis?*
*Nondum depositis uestibus igne cremor.*

E GRAECO.

*Si tu te extollis forma, florere rosamq;*
*Scito, breui eijcitur marcida facta rosa.*
*Flos, & forma pari nam splendent tempore, tempus*
*Inuidet utriq; & perdit utrunque simul.*

DE SE IPSO.

*Cur flammam occultam suspiria proditis? intus*
*Vrite me potius, malo cinis fieri.*
*Illa illa ut discat, per quam suspiro, pudorem*
*Inualuisse magis, quàm potuisse, necem.*

E GRAECO.

*Aut trahat uxoris te grata cupido tenellæ*
*Hisce uenustus eris nam mage lotus aquis.*
*Aut te sollicitet stimulus meretricis auaræ,*
*Non dabis his mundus, sed magis accipies.*

E GRAECO.

*Euincunt saltando mares, choreisq; puellæ,*
*Musa tulit legem hanc, cedite, & Helladia.*
*Vna modos motus quia prima inuenit, at artis*
*Altera quod tetigit culmen, & exuperat.*

DE CHARITE.

*Hactenus ardentem cælaui pectoris ignem,*
*At nunc contendit prosiliisse foras.*
*Ah potius peream, quam prodeat, ureret inquam*
*Omnia, & aquas, sed non ureret ille Charim.*

E GRAECO.

*Multa reposcentem, tum plura ab amantibus, oris*
*Et succendentem mœnia, templa, face.*

*Tota nocte dedit somnus requiescere mecum,*
*Nudam illam & gratis usque cubare diem.*
*Barbara suppliciter non ergo rogabitur ultra,*
*Nec querar, hoc munus debeo somne tibi.*

E GRAECO.

*Me niue, me tenebris, me grandine, me obrue flamma*
*Fulminis, inculta nubibus omne solum.*
*Perdis enim si me, cessabo, liqueris at si,*
*Feceris & peius, nequitiosus ero.*
*Me trahit ille Deus, per quem quandoque subisti*
*Iuppiter æratos aureus in thalamos.*

E GRAECO.

*Forma rosæ breuis est, nam si dimiseris illam,*
*Atque breui inquiras, esse rubum inuenies.*

DE CLEONICE ET PAVSANIA

*Ne graue sit nostros casus audire uiator,*
*Vix puto te lachrymis posse carere pijs.*
*Fœmina pulchra, et amans, et eram obsequiosa, placebãt*
*Nanque mihi œstriferæ dulcia furta Deæ.*
*Vnde insons perij, nam quem sub nocte petebam,*
*Lumine succenso uicerat alta quies.*
*Territus ad strepitum miseram me credidit hostem*
*Surgit, & arrepto me ferit ense procus.*
*Occubui infelix, & quæ placidissim i amoris*
*Gaudia sperabam, fata cruenta tuli.*

E GRAECO.

*Predixi, quum parua forent iam philtra Terones,*
*Igne cremabit, ubi creuerit ista, uiros.*

*Vatem irridebant, quod dixi tempore cernunt,*
*Sensi equidem uulnus dudum ego, quid faciam?*
*Inspiciam hanc? ignis tota est, non inspiciam autem?*
*Cura, petam? uirgo est, restat, ut emoriar.*

E GRAECO.

*Pallas ut inspexit Charitem, & Saturnia Iuno,*
*Verba haec dixerunt utraque cum gemitu.*
*Iudice sub phrygio satis est, nos corpore nudas*
*Esse semel uictas, non decet esse iterum.*

AD AMOREM.

*E tribus unum Amor efficias, aut mutuus ignis,*
*Aut nullus, uel sit, quem ualeam ipse pati.*
*Non amat illa, tamen toto uult pectore amari,*
*Quid dico? immo ut amem, cogit, & ut peream.*

E GRAECO.

*Armaui ratione animos aduersus Amorem,*
*Vnum me solus non superabit Amor.*
*Bella geram diuo mortalis, habebit Iacchum*
*Sin socium, in geminos quid potero ipse Deos?*

E GRAECO.

*Se Rhodope extollit forma, si dixero salue,*
*Contrahit elatum quippe supercilium.*
*Si quandoq; suis foribus suspendo coronas,*
*Detrahit, iratis conterit & pedibus.*
*O rugae, & saeui iam iam huc accedite cani,*
*Currite, saltem ipsam cogite uos Rhodopen.*

AD NYMPHAS.

*Vite sub umbrosa dormit formosus Amynthas,*

Gloria in adriacis inuidiosa iugis.
Heu timeo incursus, nemora hæc sunt plena ferarum,
Nuper & Alcippen desecuere lupi.
At uos Oreades uestrum defendite honorem,
Sat Venerem est syluas increpuisse semel.

E GRAECO.

Iuno oculis Melete es, manibus tuq; altera Pallas
Cypridis ore nites, & pedibus Thetidis.
Faustus erit, qui te cernit, te faustus, & audit,
Semideus te & amans, teq; fruens Deus est.

E GRAECO.

Suauia habes crater, continge labellula mulcens,
Hanc cuperem, sed abest liuor, habere charim.

DE LALAGE.

Illam ubi perquiram? quæ me decepta fefellit,
Dimidium uitæ sustulit illa meæ.
Allicio blandis, ea uisa quiescere uerbis,
Basiolum ultro unum tradere, multa dedi.
Spiritus esuriens has deuolat omnis ad escas,
Mersus eo & mansit nectaris in pelago.

E GRAECO.

Lota coronemur Prodice post membra, merumq;,
Potemus læti grandibus in pateris.
Est breue gaudentum tempus, nam cætera posthac
Curua senecta repens, denique Parca uetat.

E GRAECO.

Non ne tibi ô Prodice dixi? incuruamur ab annis,
Rugæ & arant uultus, dissoluetur amor.

*Et caput inficiunt cani, crispatur & omne*
*Corpus, & omnis abit, quae fuit ante, charis*
*Quis ne superba ad te uenit aut blanditur, & optat?*
*Nunc ueluti mortem te odimus, & fugimus.*

AD AMICVM.

*Quid mihi das uitio, pedibus si aduoluor amicae?*
*Nanque meis precibus surdior illa mari.*
*Phyllis enim in causa est, quã dũ rogo, flagito, et insto,*
*Aurem habet in plantis improba utranq; suis.*

E GRAECO.

*Quamdiu ego ò Prodice propter te flebo? dolensq;*
*Orabo & supplex, audiam & ipse nihil.*
*Iamq; tuo niuei funduntur uertice cani,*
*Mi dabis, & nunc nunc ut Priamo ipsa Hecuba.*

E GRAECO.

*Siue rosas, roseamq; charim, seu uendit utrunque,*
*Nanque rosas, roseam tum tenet illa charim.*
*Esse uelim uentus, suauem dum spirat odorem,*
*Aut rosa, quam manibus continet, atque sinu.*
*Tunc desyderio fruerer saciatus amoris,*
*Si desyderio terminus esse potest.*

AD AMICAM.

*Quum prope palma marem palmã stat foemina, ridet*
*Vtraque. & inclinat mas caput in sociam.*
*Oscula, & amplexus cupiens, si distat ab illa*
*Elanguet tristi dissidio, & macie.*
*At quoties habeat semen consorte reuulsum,*
*Solatur tali pignore tristitiam.*

*Sic mea uita mihi pictam longinqua figuram*
*Mitte tuam, postquam uera remota procul.*
*Langueo, fac saltem pictura pascar inani,*
*Sic sibi fingentem somnia ludit Amor.*

E' GRAECO.

*Stultus abesse duas noctes à Phyllide chara*
*Iuraui, rides insidiosa Venus.*
*Perniciem haud nostram credis periuria prorsus*
*Aera per tenuem uentus, & aura ferant.*
*Parcite cœlestes, & uos nouistis Amorem,*
*Depereat potius, quàm peream, ipsa fides.*

AD AMICVM.

*Sponte libens digno dederis quum munus egenti*
*Tam bene præstare, est suscipere officium.*

E' GRAECO.

*Spernit Amorem ipsum, sed corde Melissa refracto*
*Messe sagittarum stridet, & intus amat.*
*Nanq; gradu instabili est, suspiria crebra trahitq;*
*Impetuosa, cauos deprimit atque oculos.*
*At uos per speciem redimitam matris Amores*
*Vrite eam, donec torrida dicat, amo.*

E' GRAECO.

*Non amor est, quum quis formosam cernit, & ardet,*
*Prudenti & captus lumine habere uelit.*
*Sed quum deformem inspiciens agitatus ab œstro*
*Diligit, & toto corde, animoq; furit.*
*Hic amor, hæc flamma est, nanq; omnia pulchra, decore,*
*Ornatumq; illos qui didicere, iuuant.*

DE VIRTVTE.

Quae nam haec? quae incessu, facieq; seuera uirili,
Fronte hirta, incultis & ueneranda comis?
Suspicit & caelum alta humeros in ueste niuali,
Praerupti montis culmina celsa colens.
Circum hanc assiduae comites, seruiq; ministrant
Commoda spernentes, otia, & illecebras.
Mascula enim atque ardens est uirtus, haeq; sodales,
Gloria, Pax, Requies, Palma, Triumphus, Honor,
Qui famulantur ei, nam sunt noctuq;, dieq;
Frigus, cura, labor, sudor, & excubiae.
Aethera semideis impletq; Heroibus astra,
Haec Dea sola Deas gignit, & una Deos,

E' GRAECO.

Plectron habet cytharae, tenet haec quoq; plectrō Amoris
Pectus enim cunctis percutit, & cytharam.
Hospes scire cupis nomen, patriamq; puellae,
Clara satis Marie dicitur haec Pharia
O miseri quibus est dura, at quibus annuit, alter
Troius Anchises, alter Adonis erit.

E' GRAECO.

Christallo in parua Arsiones mirabilis icon,
Vt color ostentat Zeusidis atque charis.
Iuppiter hanc finxit, Reginae sum inclyta imago,
Et multum à magna deficio Arsione.

AD GALATEAM.

Te Galatea mari ludentem uidit Iolas
Littore, & exarsit protinus igne graui.

Sed

Sed frustra exarsit, nec enim cognoscis Iolam,
Candida ut ipsa places, sic placida esse soles.
Ille quidem assiduas iactans per salsa querelas
Vritur e gelidis impatienter aquis.

E GRAECO.

Heus serui mensam mappa, & mantilibus albis
Et sale, & ornatu quolibet instruite.
Pocula inundentur sed grandia, sacra Lyeo
Cœna, & certandum cum Bromio ob Bromium.
Mœsta Ceres ualeat, pater adsit lætus & Euan,
Dentur aratori semina Persephones.
Vua quidem passa est nobis sat, si quid edendum
Vua Iouis cerebrum est, sanguis & ipse merum.

DE SE IPSO.

Vnde ignem, mortemq; hausi, do basia ocellis,
Inspice Diua, hostes quam reuerenter amem.
Cogor enim inuitus, qualis mustella rubetæ,
Inuitæ & subeunt ora draconis aues.
Nec tantum fatale tibi est me perdere uisu,
Aspidem & intuitu fœmina sola necat.

E GRAECO.

Quid mœres? incompta comas scindisq; Philene,
Confundisq; oculos luctibus humidulos.
Altera amatoris gremio est tibi uisa puella,
Dic mihi? tristaris, pharmaca scimus enim.
Ploras, nec dicis, frustraq; negare laboras,
Nanq; oculi produnt, quod tua lingua tacet.

IN SOLEM
PRO SE IPSO.

*Inter amatores Solem mediaq́ atque Sabæum*
*Constiterat uultus exhilarata Charis.*
*Ipse autem tristis tanto riuale timebam,*
*Ne me despiceret facta superba, Deo.*
*Confisus forma Titan quum lumina in ipsam*
*Torridus intorsit lucidiora Deam.*
*Læsa, pudensq́; oculos uirgo auersata petulcos,*
*Conuertit uultus in mea uota suos.*
*Tunc me præpositum Phœbo lætabar, amictu*
*Ille uerecundo lumina tectus abit.*

E GRAECO.

*Tange labella calix, reperis dulcissima, mulce,*
*Sorte frui hac uellem, non tamen inuideo.*

AD AMICAM.

*Si sequor ipsa fugis, si non sequor, obicis Eglen,*
*Si peto amari abs te mutuo & igne, taces.*
*Si doleo gaudes, si gaudeo despicis, ebeu*
*Nescio quid faciam, sed scio quid patior.*
*Dura nimis uita est, & uita miserrima amantum,*
*Fœmina & hinc multis facta odiosa uiris.*
*Quondam Stellus equam, atque asinam dilexit Aristo,*
*Et capram inscendis nequitiose Crathi.*
*Illis, quam mulier uirosa, superba, maligna,*
*Nam toleranda magis capra, & asella, & equa.*

E GRAECO.

*Crinibus auratis luna hæc uidet, aurea & astra,*

*Quæ gremio humenti suscipit oceanus.*
*Suaue ut olens abijt, solum me & liquit Aristo,*
*Lux sexta est, ualeo nec reperire magam hanc,*
*Attamen inquiram uestigia nare sagaci,*
*Mittam ex argento Cypridis ipse canes.*

AD AMICAM.

*Verba tua effugio, ne me tua uerba perurant,*
*Me tua ne perimant lumina, & effugio.*
*Quanq́; foris fugio, dominam te sentio at intus,*
*Et nisi me fugiam, non ego te fugiam.*

E GRAECO.

*Odi & Amorem ipsum, quoniã caput, atq; meum cor,*
*Non tygrem, atque feras insequitur iaculis.*
*Quid plus? si igne hominẽ incendit Deus, ecquid honesti*
*Præmij habet, si cor mi populatus erit?*

EPIT.

IVLIAE VRSINAE.

*Thesaurum ingentem & sacrum monumenta uiator*
*Inclamata altis questibus ista premunt.*
*Non aurum, aut gemmas, sed gẽma et charius auro,*
*Nanq; Vrsina iacet Iulia nata Deis.*
*Virtutum exemplar, morumq́; & gloria sexus*
*Fœminei, & Romæ Parthenopesq́; decus.*
*Lassula dum charitum premeretur pondere uasto,*
*Ne mirere uia si cadit in media.*

E GRAECO.

*Parua licet me condat humus sub marmore fracto,*
*Fare hospes, miseri sunt monumenta uiri.*

Occupet hunc tumulum quanuis rubus aspera non est
Quin fuerim uiuens strenuus Alcimenes.

DE DVOBVS AMANTIBVS

Ismeria Ismerio, quem spreta medullitus arsit,
Dum niuea porgit pocula læta manu.
Hausit, & igne uri Ismerius sua pectora sensit,
Virgine & intextos ore bibisse dolos.
Vicisti Ismeria exclamat, sum perditus, ecquis
Sub niue, & in potu crederet esse faces?

E GRAECO.

Nulla puella mihi, nec anus placet ulla marita,
Nam miseranda illa est, hæc ueneranda mihi.
Nam nec passa iuuat, nec acerbior uua, cubili
Matura Idaliæ forma placere solet.

E GRAECO.

Ori hære, & gusta es nactus cœlestia mella,
Poculum inesse uelim, sit procul inuidia.

DE ISMERIA ET ISMERIO.

Virgo nouum sponsum, & patriam, charosq; parētes
Per mare cum Ismerio dum fugis Ismeria.
Ecce furit pontus, nec spes est ulla salutis,
Victima ne in tumidas precipiteris aquas.
Formosum iuuenem quod spreueris ipsa maritum,
Annosum, & turpem nunc habitura mari.
Sic ab amantis amans gremio ut Cryseis Atridæ
Rapta es, ut iratæ concilientur aquæ.
Pronuba Persephone, thalamus mare, littora lectus,
Turbo hymeneus erit, sponsus & orcus erit.

E GRAECO.

Lugeo parthenicem Antiueam, quàm plurimi amarunt
Sponsi, tecta patris tum petiere sui.
Ob formam, & sophiam insignem, cædes tamen ante
Perfregit uitream spem omnium acerba nimis.

QVAESTVS ISMERIAE.

Virgo ait, exposci ut solam se ab numine uidit,
Placet, ut in tumidis Ennosigeon aquis.
Quid potui infelix tantum committere? quod sim
Præ cunctis rigido uictima danda Deo?
Sæpe istud Diui petiere, hoc sensit Atrida,
Hoc Marius Iephthæ filia plorat adhuc.
Ignis erunt undæ, fluctusq; erit ara, sacerdos
Nauta, preces populi murmura rauca maris.

E GRAECO.

Me formose foues Corneli, magnus at ignis
Ne fiat, timeo luxq, tuusq; calor.

AD CHARITEM.

Pendebam quandoq; tuis animosus ocellis,
Quamuis instarent tela, facesq; Chari.
At postquam occultum traxi male saucius ignem,
Non audent oculi sustinuisse tuos.
Facti estis sero post tot discrimina cauti,
Frustra est post mortem pertimuisse mori.

E GRAECO.

Formosæ Euphrantes unum mihi fudito tantum,
Lysidices cyathos porrige serua decem.
Me mage Lysidicem tu dicis amare capaci.

In calice hoc, dulcem non ego per Bromium.
Immo pro denis numero, & sine pluribus astris,
Vna mihi Eufrate Cynthia sola nitet.

QVAESTVS AMICAE.

Quid mecum egisti Cypris Dea sancta? perurit
Mordax cura meum pectus, & ossa mea.
Ad tua dum uenio celeberrima templa, Philemon
Mi dederat malum, quod mihi flamma fuit.
Cydippen pomum, pomum scheneida cœpit,
Virginibus semper mala fuere mala.

E' GRAECO.

Exarsi Alcippen, quæ quamuis uirgo fuisset,
Victa meis uotis obsequiosa fuit.
Mecum erat in lecto, formidine plenus uterque
Dulcia ne quisquam furta uideret, erat.
Non latuit matrem, clamosa accessit, & inquit,
Communis fiat filia Mercurius.

DE ISMERIA ET ISMERIO.

Nuda erat & supplex, lachrymarum flumine largo
Mersa prius, quam sit præcipitata mari.
Quum sene ab immani Ismeria exultantibus undis
In coniuratas præcipitatur aquas.
Accurrunt Nymphæ, delphines terga puellæ
Subijciunt, Nymphæ dant animum, atque manus.
Redditur atque suis sospes uelut alter Arion,
O mare, tu & delphin, Nereidesq; piæ.

E' GRAECO.

Emoriendum inquam, quid enim mihi cura, paludem

*Si podager, uel si cursor eo ad stygiam?*
*Me fieri claudum multi, permitte, loquuntur,*
*Nunquam autem thiasos hac ratione sinam.*

AD AMICAM.

*Vnica forma tua est, sed iuncta est unica secum*
*Duricies, illa me allicis, hacq; fugas.*
*Te ne sequar rigidam? an potius desistã; ab amore?*
*Nanq; te amare mori est, non te amare scelus.*

E' GRAECO.

*Te licet euoluas dextrum in latus, atque sinistrum,*
*Quanuis nocte toro Crynagora in uacuo.*
*Ni recubet tecum formosa Gemilla, laborem,*
*Non somnum in somno noueris esse tuum.*

AD CHARITEM.

*Quum te contemplor, quum te audio, frigeo, & uror,*
*Ecquis enim ista uidens credere uera potest?*
*Frigere in flammis, ardere in frigore, res est*
*Mira, magis mirum uiuere me exanimem.*
*Verba animam educunt, rigeo tunc, ardeo at in te*
*Spiritu, & ista potest prodigiosus Amor.*

E GRAECO.

*Si te cæruleis uideam Regina nitentem,*
*Si rursus flauis per tua colla comis.*
*Lucet utrisq; eadem tibi gratia, talibus inquam*
*Crinibus & canis imperat acer Amor.*

AD IVLIAM.

*Iulia blanda tuis me parce lacessere ocellis,*
*Lux nulla est oculis, uita nec ulla meis.*

Nam dum mirantur formoſum, & dulce uenenum,
Luminis exhauſti corripuere necem.
Sic uolucris capitur, ſic obcæcatur & urſus,
Illa ſono, hic dulci melle, & uterque dolo.

IN VETVLAM E GR.

Fœmina quid latrans, odis cane peius & angue,
Immiſcens aſtris & mare, & aſtra mari.
Si ſequor, & ſeruo ueſtigia uirginis huius,
Cui tam formoſæ tam mala anus ſocia es,
Quid tibi ſi inſpicio Ioue dignos inuida uultus?
Et Diuum ſacras cernimus effigies.

IN SOLATIA RVRIS.

Rura ueni mecum Patale dicebat Iolas,
Sylueſtres current in tua uota Dei.
Inflabit calamos Pan nebride cinctus agreſtes,
Saltabunt Satyri, Faunus & ipſe pater.
Et plenos Nymphæ calathos uiolisq́, roſisq́,
Et Pomona feret meſpila, poma, nuces.
Gemmantesq́ uuas ornati floribus amnes
Cornua, te excipiet plauſibus omne ſolum.
Libera ne ſpernas noſtri ſolatia ruris,
Illa amat alma Ceres, Delia, Flora, Pales.

E GRAECO.

Archianaſſa iacet, iacet Archianaſſa ſepulchro,
Fama, licet meretrix, quæ Colophonis erat.
Pulchra ſenex, iuuenis ſecli pulcherrima, amantum
Flamma duplex oculis ſcilicet, & labijs.

AD AMICVM.

Non est, non certe, nisi uiuo picta colore,
 Quasq; uides, proprijs lucet Amilla rosis.
Nix sua, qua candet fragranti pectore, & aurum,
 Quo rutilant flauæ retia amata comæ,
Quicquid habet natura dedit sine compare, ut inter
 Sit Dea mortales, & Venus orta mari.

E' GRAECO.

Mirrha ut te placem mirrha tibi prebeo mirrham
 Suauem, etenim ut libem, do Bromium Bromio.

QVERELAE IN AMICAM

Quam primum aspexi te, sum succensus Ianthi,
 Depereo ex illo, iam referebat Arunx.
Verum ingrata altum spreuisti uulnus, & ignem,
 Nec causa hac cineres intepuere mei.
Hæc nemora, & montes, & flumina, testis & Echo,
 Quæstibus & gemitu quæ doluere graui.
De me alij & de te, si non hoc, ista loquentur,
 O quam fidus Arunx, dura & Ianthis erat.

E GRAECO.

Archianassa iacet Pellex Colophonis in urna,
 Hancq; senescentem blandus amabat Amor.
Cuius qui primam deflorauere iuuentam,
 Hi geminas icti sustinuere faces.

IN AMORES ELPENICES.

Tam bene Troianas inter stipata puellas
 Non hæc Laodice picta, sed Elpenice.
Ista Polignotum, cymona & amauit, ob artem,
 Pinxerat ille acies, fuderat iste Duces.

Pictor amans fuit hic, sed Dux germanus, amansq;
Et plus quam decuit iunctior Elpenice.
Hinc mage Cymonem coluit, dilexit, & arsit,
Nam multo minus est pingere, quam facere.

E' GRAECO.

Iam scintillasti ter amata lucerna, uenire
Prædicis nunc nunc Antigonem ad thalamum.
Si uerum Regina refers, mihi qualis Apollo
Gentibus est uates, tu quoque apud tripodem.

AD NARCISSVM.

Ah formose puer ne dedignare puellam,
Quæ te te inclamans extenuata sono est.
Et iam abit in uocem, dum tu es deceptus in undis,
Dum te optas, te optat, te fugiente perit.
Tantum odit, tantumq; arsit, Narcissus, & Echo,
Quod si hæc clamat adhuc, effugit ille & adhuc.

AD SVOS AMORES.

Charæ plus oculis mihi puellæ,
Tam blandæ, & lepidæ, piæ, & iocosæ.
Quam Cupido, & Amor, parensq; Amorum,
Et quam sunt charites, mea & catella,
Ad uos ut ueniam meridiatum
Meæ deliciæ mei lepores
Iubete ò mea Chariella, & Aphra,
Tuq; Aurelia tres faces perusti
Nostri pectoris usque & ad medullas.
Nam quum uos uideo, alloquor manusq;
Sanctas suauio centies beatus.

Tunc non inuideo Ducum triumphis.
Sed si purpureis fauos labellis
Furtim surripiam atticos anhelans
Tunc non aurea sceptra, non medullas
Mellis, nec Superum inuidebo nectar.

AD AMICVM E GR.

Effuge Græcorum sympoſia læta tuorum,
Quæ longe superant Pympliades numero.
Nam madidi uino peruertunt omnia, uel sint
Rex, Dux, & Prætor, Typhis, & Authomedon.

IN AMOREM OMPHALES REGINAE.

Detinuit nostros oculos sub sole calenti,
Abstulit atque omnem nuda palestra diem.
Dum luctatores istos, demiror & illos,
Vnius ob speciem saucia amore fui.
Corpore præstanti, uultuq́, erat ille sereno,
Lumine uiuaci, robore & indomito.
Lati humeri fuerant, animosum pectus & illi
In nodum crines barbaq́; prima uirens.
Vtq́, uirum decuit color, ut perfusus oliuo est,
Splenduit ad radios solis arena nitens.
Quam formosus erat, tam fortunatus, arenæ
Cessit & hic uictor præmia solus habens,
Gaudete ò uicti istius certamine, nam me,
Quæ domui Alciden uicerat iste prius.

E GRAECO.

Oraui genua amplectens diuina, uiderem

Quum Prodicen solam, nec fuit ansa prius.
Serua hominem, dixi, periturum tempore paruo,
Et largire mihi diffugientem animam.
Hæc dixi, illa autem flens exsiccabat ocellos,
Me & teneris manibus reppulit è genibus.

DE IVLIA ET CHARITE AD AMICVM.

Iulia pulchra tibi est, mihi solũ est alba, rubensq;,
Longa est, & recta est, omnia ego ut fatear.
Quod sit pulchra nego, cui non gelasinus in ore est,
Vlláq; nec toto corpore uiua Venus.
Pulchra Charis tota est, quæ formosissima quum sit,
Omnibus una omnes surripuit charites.

E' GRAECO.

Tertia iam cœpit, sensim & tenuata lucerna
Immoritur, tardat & Cleophantis adhuc.
O utinam cordis cum lycno extincta fuisset
Flamma mei, ne me tam cruciaret Amor.
Per Venerem ah quoties iurauit nocte uenire,
Ast hæc mortales negligit, atque Deos.

AD AMICAM.

Odi, & amo mea Amilla tuos feruenter ocellos,
Vnde perire datum est, uiuere & unde mihi.
Fastum pone tuum, quo dicere cogor, ocellos
Odi, ut amem tantum, uiuere & inde putem.

E' GRAECO.

Post choreas læta & conuiuia postibus aulæ
Dum festiuus heri florida serta darem.

*In me fudit aquas calice Ermonossa, diebus*
*Rorantesq́; comas uix tribus explicui.*
*Me succendit adhuc magis illius unda, latentem*
*Dulcibus ex labijs ignem bebet ille calix.*

DE CHARITE.

*Nulla potest uirgo tantum se dicere amatam,*
*Quantum ex corde mea est Cypria amata mihi.*
*Nemo potest tantum se à uirgine dicere amari,*
*Quantum amor, ò dulci mutua in igne fides.*

E GRAECO.

*Thesidas Zeusis stratos iugulare Laconas*
*Vulnere magnanimo finxerat in tabula.*
*Fortia laudanti facta hæc Lacedemone natus,*
*Fortia sunt dixit, facta sed in tabula.*

DE LAIDE.

*Aurea quæ fueram, sum nunc argentea, paruo*
*Tempore, quod plus est, plumbea Lais ero.*
*Insidiosa dies mihi me furaris, & annos,*
*Quam celeri passu tempora ueris eunt.*
*Forma uelut flos est redolens, nitidissimus aut ros,*
*Mane micant ambo, uespere & ambo cadunt.*

E GRAECO.

*Quæ prius extiterat uentosa in amore potentum,*
*Nec Nemesi uellet basia ferre Deæ.*
*Vilibus in spatijs nunc mercenaria pulsat*
*Stamina, prædata est Pallada lenta Venus.*

AD OCVLOS SVOS.

*Dicebam, audaces oculi uos perditis, & me,*

Et neglexistis, quod timui, & monui.
Et merito assiduis damnati fletibus estis,
Exuribis flammis ast ego non merui.
Ab saltem hunc uestris extinguite luctibus ignem,
Quid peto? nam uestris sæuit, & urit aquis.

E GRAECO.

Non ignarus amo charitum plenissimam amicam,
Et rursus qui me dilacerat, lacero.
Desine inesse molesta mihi, atque lacessere amantem,
Pieridesq; grauis quippe supercilij.
Talia clamabam, prædixi & semper, at ipsa
Ionio audieras par mea uota mari.
Tu nunc inclamas, latratuq; aera pulsas,
Nos autem stamus Naiadis in gremio.

AD AMICAM.

Veni, sed cito chara Maximilla,
Donec commoditas datur, parensq;
Abest, da mihi basium repente,
Sed sicut cupido columba amanti,
Et uincant hederas tui lacerti.
Da mi & alterum, & alterum meum mel,
Et pingas mea colla purpurisso,
Vt qui uiderit, & meos amores,
Suamq; inuidiam, meamq; sortem,
Suspiret, legat, atque concupiscat.

AD RVRIS DELITIAS.

Ripæ hilares, casti fontes, collesq; comati,
Et picturatis floribus ora nitens.

*Inuideo uobis, sine me mea gaudia habetis.*
*Gaudia quæ Manes exhilarare ualent.*
*Quam fortunati, tam fidi estote, parata*
*Rura quidem furtis dulcibus esse solent.*

E' GRAECO.

*Floribus in cunctis quæ pulchrum, & amabile sola,*
*Candida decerpsit lilia quæ charitum,*
*Non mage lora tenens ex auro suspicit æthram,*
*Debito enim Lais uicta sopore cubat,*
*Nequitias iuuenum, studia, iram, lumina nec uult,*
*Ne'ue sodalitium Come beate tuum.*

E' GRAECO.

*Delitiæ hoc charitum ipsarum, ludusq; lauacrum est,*
*Quum tantum possint ludere in hoc charites.*

AD CHARITEM.

*Lusciniam & merito me Diua superba uocasti*
*Forte meo cantu, sed mage fraude tua.*
*Nam tuus est amor aucupium, mores'q;, genus'q;*
*Allicium & uirtus, & tua forma doli.*
*Illa ego sum uolucris simplex, tu callida at auceps,*
*Fistula uerba, tui retia sunt oculi.*

E' GRAECO.

*Est leuior nostris multo cruciatibus ipsis*
*Tantaleus stygio sub phlegetonte dolor.*
*Nam formam haud cernens cohiberet labra labellis*
*Admiscere tuis mollib. & roseis.*
*Tantalus illachrymans ruiturum rupe timebat*
*Saxum, sed rursum morte perire nequit.*

*Ast ego qui uiuens liquesio, & differor œstro,*
*Languidus ipse traho proximitate necem.*

DE AMICA.

*Usque mihi atque palàm Lalage conuicia dicit,*
*Dispeream, posset si male uelle mihi.*
*Cur facit? illam amor exurit, cogit'q; fateri,*
*Utq; retecta tegat, garrit, & obloquitur.*

E GRAECO.

*Ne fungum emittas, pluuiam'q; uocato lucerna,*
*Sponsum accedentem ne remorare meum.*
*Semper enim inuidula es Veneri, testabitur Ero*
*Leandrum expectans, cætera mens sileas.*
*Lemnij opus fabri, Cythercam & credo molestans*
*Tu dominam tristem decipis ipsa tuam.*

AD AMICAM.

*Tristor, & exulto mea Liuia tempore eodem,*
*Exulto quod ames, tristor amore tuo.*
*Impatienter amas, uellem sapienter amares*
*Nam cupienda magis, quam toleranda diu.*
*Quum tu zelotypa es, nec Dis, nec parcis honori,*
*Vultu es pulchra nimis, mente modesta parum.*

E' GRAECO.

*Omnia quam eximie, & sapienter dixit Homerus,*
*Auream ubi at Venerem quum uocat ille magis*
*Si dederis Paphiæ signata numismata, custos*
*Non erit ante pedes, nec canis ante fores.*
*Si nihil attuleris ueniens, custos'q; canis'q;,*
*Quin etiam stabit cerberus ante fores.*

DE

DE CLORIDE ET ALCONE.

Clorida, quæ lateri stabat formosa fauoni
Apportans gremio sydera lecta soli.
Sensit acidalijs fragrantem floribus Alcon,
Et demum uidit, sed male uidit amans.
Nam, qui alios, residens umbra, cantabat amores,
Tabuit infelix, luxit & ille suos.
Nympha graues questus misarata, & amoris ab œstro
Icta, Alcona rosis sparsit, & inde abijt.
Luget adhuc, & uiuit adhuc, floresq; uirescunt,
Pastor odoratis floribus, hi lacbrymis.

E GRAECO.

Fœmina heri mecum potando uerba locuta est
Non sana ò pueri frangite iam calices.

AD IVLIAM.

Forma tua est Veneris, prudentia Palladis, artus
Iunonis Triuiæ sobrietasq; tua.
Quattuor æquasti postquam tu Iulia Diuas
Hæc tibi cæstum, arcus, ægida, sceptra damus.

E GRAECO.

O Crysilla diu importuna Aurora reluxit,
Et cantu gallus iam Phaetonta uocat.
Inuida auis ualeas, pellis me inimica cubili
Colloquia ad nostri uana sodalitij.
Marcidus es semo, roseam Titone maritam
Sic matutinam reijcis è thalamo?

AD AMICVM.

Irata est Patale tecum, & tibi multa minatur,

Odit enim peius te cane, & angue magis.
Præparat insidias, & multos excitat hostes,
Nec possum bilem conciliare suam.
Miraris nam læsa furit patientia amantis,
Mella & amaritiem, mellaq; uirus habent.

E' GRAECO.

Salue uirgo, & tu quæ præit, quæ nam ista? quid ad te?
Non absurda peto, nostra quidem est domina.
Num sperare licet? quid? noctem, quid dabis? aurum,
Sperandum, & tantum tradimus, hoc nequeo.

AD LECTOREM.

Non modo durum inquam inscitiam est celare, sed illam
Durius in uino dissimulasse fuit.

E' GRAECO.

Ad Ganimedem aquila accessit iam Iuppiter, idem
Matrem Helenæ ad flauam deuolat albus olor.
Dissimile utrunque his placet hoc, iuuat istud & illos,
Aduersum utrunq; mi placet, atque iuuat.

DE CHARITE.

Florentem forma Charitem dum matris amatæ
Aurato egreditur limine uidit Amor.
Incessusq; graues, certum miratus & arcum,
Vnde rigent, ardent, depereuntq; uiri.
Parcite, ait, Diuæ Charis è mortalibus arcu est
Ipsa Diana, gradu Iuno, decore Venus.

E' GRAECO.

Hei mihi bis senis ò candida uirgo diebus
Iuraui aspectu uelle carere tuo.
Postera iuratis est uisa aurora diebus,

O infelix, multo longior esse mihi.
At tu ne ultrici scribant hæc fœdera libro,
Adiurata pios chara precare Deos,
Diua tuæ charites placent mea corda, flagellans
Ne me pœna cremet tum tua, tum Superum.

AD CHARITEM.

Quarta Charis quoties egressa è limine tollit
Lumen in æternas, igniuomasq; domos.
Nubila diffugiunt, & cœli sydera rident,
Tunc ego quot cœlum lumina habere uelim.
Binis nam si oculis te cernens gaudeo in igne,
Quid faciam cœli si te oculis uideam?

E' GRAECO.

Dic Cleophanti, charis quanta est? aspirat ut ingens,
Atque duos parili pectore iungit Amor.
Qualis Mars, timor atque altus, qualisq; ualebit
Retibus innexos explicuisse pudor?
Hæc mihi sint membris mihi lemnia fabricet incus
Vincula, Vulcanus nectat & arte dolos.
Solum ego in amplexu teneam tua membra uolensq;
Grata mihi & tactu perfruar ipse tuo.
Aduena, et incola, & hostis, et uxor, & ipse sacerdos,
Quid mihi si me inter dulcia furta uident?

DE AMICA.

Iuraram Lalagen, quanuis formosa fuisset,
Quod crudelis erat, destituisse meam.
Finierat iam flamma suas elanguida uires,
Laxaq; de collo uincula deciderant.

Ecce ad me supplex suspiria longa trahendo
  Venit, & ora pijs plena gerens lachrymis.
Vt uidi, cecidere animi, & periuria, & ignis
  Emicat in flammas, qui modo nullus erat.
Quid mage sæue puer tutum est? ubi tela, faces'qs
  Non possunt, lachrymæ sunt tua tela tuæ.

E GRAECO.

Os numero Charitum, faciem quoq; floribus ornas,
  Atque oculos Paphia, palmam & utranq; chely.
Lucem oculorum oculis prædaris cantibus aures;
  Omni infelices parte capis iuuenes.

AD AVRAM.

Aera quæ scindis tenerum plaudentibus alis.
  Sibila per saltus leniter aura sonans.
Læta ueni, & Lalage dulci blandire flabello,
  Illo abige æstiuum ab uirgine uirgo canem.
Torquetur nimio mea Diua tenella calore,
  Dum tua templa cupit uisere sancta Pales.
Parce canis latrare illi, memor esto, quod inter
  Astra puellari iam prece, & igne micas.

E GRAECO.

Tota nocte gemo, sperans dormire parumper,
  Aera ut ipsa dies pinxerit orta rosis;
Thraciæ aues quum me circunstant undiq; luctu
  Et somni irriguam depopulantur opem.
Inuidulæ, & querulæ lachrymis requiescite uestris,
  Muta meo non est crimine uestra soror.
Montibus ast Itylum plorate, ululate per alta

*Et loca, lassatus dormiam ut ipse parum.*
*Forsitan occurrent recubanti somnia, quæ iam*
*Vinctum armis teneant undique me roseis.*

AD CHARITEM.

*In me respicias nosces Chari, & intus, & extra*
*Quid ualeant mores, ingeniumq; tibi.*
*Lætor, si exultas, si mœsta es lugeo, blanda es,*
*Blandior, inclamas, clamo, taces, taceo.*
*Omnia sum per te, per me tu nulla, uel una es*
*Tam rigida, immo meum plurima ad interitum.*
*Vnda, unde illachrymo, flamma unde absumor, & aura*
*Qua succenduntur plus in amore faces.*

E' GRAECO.

*Ante fui inuictus primo sub flore iuuentæ*
*Ne Veneri æstriferæ colla premenda darem.*
*Pectora ne'ue etiam ferienda Cupidinis arcu*
*Inuiolata prius pestifero, alma Venus.*
*Suscipe me ridens, maius me est uincere, doctam*
*Quam malo Hesperidum iam superasse Deam.*

DE SE IPSO.

*Abstrabor à Domina, & uiuo, quum distrahar ipsa*
*A uita, & patriam martia ab urbe peto.*
*Vixq; recedo tamen uiuus, nam maxima restat,*
*Altera pars mecum est, diuiduusq; feror.*
*Magnus es ò puer arcitenens, qui tempore eodem*
*Cogis amatorem pluribus esse locis.*

E GRAECO.

*Ne timeat quisquam mage tela Cupidinis, in me*

Nam pharetram omnem audax euacuauit Amor.
Nec metuat ſtrepitum pennarum, ſtrauit enim me,
Et ſuper inſcendens pectora calce premit.
Semper & infeſtat, diſcedere nec cupit à me,
Subſecuitq; alas, ne uolet inde magis.

E GRAECO.

Vini auidus non ſum, quando at cupis ebrius ut ſim,
Tu libato prior, porrige deinde mihi.
Nam ſi labra tua attingam, tunc ſobrius ultra
Non ero, quum fundas tam mihi dulce merum,
Nanque calix à te mihi mutua baſia tradit,
Et quam ſuſcepit, reddit & ille charim.

AD IVLIAM.

Si quidquam tumulo ingrato, muto quoque gratum eſt,
Audi ab humo queſtus Iulia amata meos.
Imbibe & has lachrymas cinis aride donec habebo
Vitam ego pro te una conquerar, atque gemam.
Non tamen ipſe diu, quanuis tua fata merentur.
Aſſiduos luctus, perpetuos gemitus.
Nam tua flamma & adhuc uiuens ſub pectore rorem
Abſtulit, unde ſequar te, & tua fata breui.
Non doleo interitum, quo tecum iungar, at illud,
Flebilibus quod non oſſa liquantur aquis.

E GRAECO.

Vis flammæ extincta eſt, non amplius ipſe laboro,
Aſt intabeſco frigidus in Venerem.
Serpit enim circa carnem, & præcordia, & oſſa
Cuncta atque abſumens rodit amarus amor.

Et flamma in sacris postquã omnem absumpsit honorẽ,
Impetus ille ultra debilitatus obit.

## AD DOMINAM.

Immaduere mei Domina ò dulcissima ocelli,
Semianimem quum me liqueris, & patriam.
Quid faciam sine te? potero num uiuere? non non
Nam tecum est uitæ portio tota meæ.
Felix uade, obstet ni flamma, immutor in amnem,
Nam tibi quot passus, tot mihi sunt lachrymæ.

## E GRAECO.

Longe hinc pasce boues ò Tityre, prædo Pericles
Surripiat ne una teq́; tuosq́; boues.

## E GRAECO.

Dum dicturus eram, sis salua, reuersa resultat
Denuo uox, tibi me proximum & inuenio.
A te stare procul metuenda grauissima res est,
Immo umbra, & tenebræ, noxq́; acherontis inest
Nanq́; dies ueluti tua lux, discordat in uno,
Tu loqueris mecum, est sed sine uoce dies.
Vox tua sirenes superat dulcedine, ab illa
Tota animi pendet spes miseranda mei.

## DE ALPHEO ET ARETHVSA.

Ecce Alpheus amans, & amata Arethusa ab eodem
Hæc aqua fœminea est, mascula & alter aqua,
Inter se pugnant, uarijsq́; amplexibus hærent,
Et licet in gelidis incaluere uadis.

E GRAECO.

*Dilexi Hippomanem animum inclinata Leandro*
*Atq; Leandreis frigida facta toris.*
*Mente habeo Xantum memori, auersataq; Xantum*
*Cor rediens duco rursus ad Hippomanem.*
*Respuo quæ in manibus sunt omnia, & istud, & illud,*
*Vt sors quæq; offert mutua, suscipio.*
*Dedo repentinæ Veneri me si arguet ulla*
*Vno eodem maneat paupere læta toro.*

AD CHARITEM POMVM LOQVITVR.

*Pulchrum ego sum malum, tu formosissima uirgo,*
*Sed forma utrique est deperitura breui.*
*Vtere me, fructuq; tuo, maturus uterq; est,*
*Amborum autunnis insidiatur hyems.*

E GRAECO.

*Me tibi mancipium elatum domitumq; Boote*
*Dulcis amor iungens in tua uota dedit.*
*Corde uolens, totoq; libens tua uincla subiui,*
*Nec libertatem quærere cura fuit.*
*Vsque ad dilectos canos, oculusq; nec unquam*
*Spes nostras utinam fascinet inuidia.*

AD CHARITEM.

*Omnis ager syluæq; omnes, atque omnia rura*
*Assiduis lachrymis immaduere meis.*
*Quos igitur cernis flores, & gramina, & herbas,*
*Crede dolore meo luxuriare Chari.*
*Floribus ah ne uos his exornate Napeæ,*

Nam redolent nostris luctibus, atque malis.

E GRAECO.

Cur lachrymaris? amo efflictim, pulchram ne puellam?
Visa quidem est oculis pulchra puella meis.
Hanc ubi uidisti? lecto dum coenat eodem
Mecum, aliquid speras consequi amice? suam
Non ego amicitiam, quae sit manifesta, sed opto
Furtiuam, spernis legitimum ergo torum?
Vere equidem noui, quod nullos possidet agros,
Nec nummos, nec opes, ex humiliq; domo est.
Nouisti? nec amas, uerum at mentiris amorem,
Mens quae recta sapit, quomodo amore furit?

E GRAECO.

Formam, Amor, ipsa Venus tribuit communia philtra
Zenophilae, charites contribuere charim.

## AD CVPIDINEM PRO HENRICO REGE GAL.

*Exue inauratas pharetratae Cupido sagittas,*
*Non mage lasciuis tempora danda iocis*
*Mentem alibi Henricus Rex occupat, ecce triumphos*
*Armat ad æternos gloria uiua Ducem.*
*Delitias tua & alma parens quandoque sequestret,*
*Deposito & cestu Martia tela gerat.*

# EPIGRAMMATVM FAVSTI SABAEI BRIXIANI CVSTODIS BIBLIOTHECÆ VATICANÆ

## Liber Quintus de Miscellaneis.

## AD HENRICVM REGEM GALLIAE.

*Quatuor emissis, nunc quintus, & ultimus exit*
*Ad tua de tenebris ora serena liber.*
*Porge manus ambas, illis det ut oscula, nam te*
*Vnum ex principibus, quem ueneretur habet.*
*Et merito, tecum nam sunt Astrea, Themisq́,*
*Illa minax gladio, mitis & ista animo.*
*Et tecum Musæ, magna & meditatur Apollo*
*Hæ dulces cantu, dulcior hic cithara.*
*Te licet oblectent, nugas has sume, quòd inter*
*Vina, licet fatuæ, sæpe bibuntur aquæ.*

DE CEDE ORPHEI.

Demulsi tygres, firmaui flumina, & æquor
Placaui Eumenides, tergeminumq; canem.
Inter serpentes, inter fera tartara tutum
Me miserum Thraces desecuere nurus.
Crudeles; & plusquam tygres, flumina, & æquor.
Plusquam etiam Eumenides, tergeminusq; canis.

E' GRAECO.

Ludicra sunt placidis, infrenibus, atque proteruis
Hæc scelus, & rabies, spontaneusq; labor.
At si eris extremus tunc impia dicito uerba,
Ne ue uelis strepera ringere nare sonans.
Fac non sit ludus studium, nec cura, laborq;,
Conueniens potius temporis obsequium.

DE VINDICTA CAEDIS ORPHEI.

Demisere neci lapides uatem Orphea, & hydri
Mordebant sacrum post sua fata caput.
Calliopea parens subito mutauit in angues
Saxa in saxa hydros, pignus & ulta fuit.
Indignum est, rupes qui animauit, rupit & orcum
Quod saxa exaniment, quod lacerent colubri.

IN SVGESTVM CRATERI E GRAECO.

Felix arbor ego in syluis nutrita susurro
Ventorum in medijs dulciter euirui.
Clara auium sedes, at nunc excisa securi
Sicca licet, fato prosperiore fruor.

*Ante fui alituum concentibus inclyta gratis,*
*Nunc reuiresco magis fluxibus Aonidum.*

DE HYLA.

*Alcidæ dicebat Hilas ne crede poetis,*
*Quod sim sub uitreas Naide raptus aquas.*
*Immo ego dum rigidam male cautus Naida amarem,*
*Nec responderet fletibus illa meis.*
*Ob mores in Hylam ingratos, Nymphæq; rigorem*
*Exustus flammis delitui lachrymis.*

E GRAECO.

*Cæcus enim & claudus fortunam uincere tentant,*
*Nam cæcus claudum sustulit, & graditur.*
*Sed claudo clamante uiam, sic uicta mali sors,*
*Dum pietatis opus perficit artis amor.*

ALITER.

*Cui gressum natura negat, cui lumen ademit,*
*Et gressum, & lumen præbuit ingenium.*
*Nam dorsum ascendens cœci dat lumina claudus*
*Cœco, unum ut fiat qui uehit, & uehitur.*

ALITER.

*Lumen erat cœci claudus, claudi alter asellus*
*Plantæ oculos, plantas sic pariunt oculi.*

DE ATHYDE.

*Interdicta tibi Veneris ne gaudia tentes*
*Pollicitis maneas inuidiose puer.*
*Vndique te obseruat Cybele turrita, nec usquam est,*
*Qui putet annosam fallere posse Deam.*
*Dixeram, at ecce Athys per summa cacumina currens,*

Inguine defecto fœmina, uir nec erat.
Indignata illum in pinum Berecyntbia uertit.
Postquam arma abiecit, quæ placuere Deæ.

E GRAECO.

Luce carens fuit hic, pedibus fuit iste, superq;
Ceruicem cæci claudus ut insilijt,
Dux fuit iste uiæ, uector fuit ille, & uterque
Vnum, inerant ambo currus, & Automedon.

ALITER.

Pro gressu hic lumen, gressum hic pro lumine præstat,
Quam male iam abiuncti, tam bene nunc coeunt.
Colla subit cæci claudus, ducitq; ferentem,
Sic natura, & sors uincitur ingenio.

DE ATALANTA ET HIPPOMANE.

Quæ potui celeres uentos præuertere cursu,
Seruio turritæ facta leæna Deæ.
Aerios tractus sulcans euincta capistro,
Axe trabo Cybelen, compare cumq; uiro.
Nomina si quæras dicam, causamq; tacebo,
Hæc Atalanta leuis, pulcher hic Hippomenes.

E GRAECO.

Mater terra mibi phrygiorum & alumna leonum,
Mons Mystæ tantum quem tetigere sacri,
Obtulit insano hæc tibi fœmina Alexis ab œstro
Libera stultitiæ signa notanda suæ.
Cymbala acutisonæ uocis, dulcesq; cicutas
Tympana tum fatua percutienda manu.

*Sæpe cruentatos humano sanguine & enses,*
*Et quas plena Deo concutit ante comas.*
*O Dea, quæ uernis quondam insaniuit ab annis,*
*Compesce à prima hanc asperitate senem.*

DE IPHIDE.

*Iphis erat mulier, latitantem in ueste uirili*
*Vicini, immo pater credidit esse marem.*
*Deceptus genitor pulchram huic despondet Ianthem,*
*Cum sponsa sponsa, ut uirgine uirgo cubet.*
*Tædæ accenduntur, procedit nupta, Cythere,*
*Et Iuno præsens, erubuere, & Hymen.*
*Erubuisse iuuat, potitur nanque Iphis Ianthe,*
*Constat enim hunc geminis testibus esse marem.*

E GRAECO.

*Errabant ambo cæcus tum claudus egeni,*
*Alteri at alter opem contulit arte suam.*
*Nam cæcum inscendens claudus clamore regebat,*
*Et cæcus claudi luce uidebat iter.*
*Ex imperfectis perfectum ut uidit, & unum,*
*Tunc natura, & sors erubuere simul.*

DE BYBLIDE.

*Byblis spreta suo & stimulata libidine fratri*
*Ingeminat luctu dissoluenda graui.*
*Matre obuoluuntur Persæ, Pharisque sorore,*
*Atque Dei, cur tu Byblida Caune fugis?*
*Furta Amor hæc laudat, ueniet geminata uoluptas,*
*Vna sororis inest, altera amantis erit.*

E GRAECO.

*In semiaridum ad Adrianum Imp.*

*Vna fame elanguet pars; cætera mortua nostri est,*
*Harmonicum serua Rex mihi semitonum.*

E GR. RESPONDET.

*Lædis utrunque una solem, ditemq; quod illum*
*Cernis adhuc uiuens, hunc quia uiuis adhuc.*

DE PIGMALEONE.

*Pigmaleon genus elatum muliebre perosus,*
*Puppam confecit ex elephante faber.*
*Hanc amat, exornat, suspirat, tractat, & ardet*
*Consortem ueluti, deliciasq; tori.*
*Mens intenta potest deducere sydera cœlo,*
*Ad sua & infernos uota mouere Deos.*
*Nanque ebori incubuit tam firma cupido, quod illud*
*Viua puella fuit Pigmaleonis ebur.*

E GRAECO.

*Infelix Midon dum scindis ligna, sinistram,*
*Oua souens plantas plantam læsit anareolus.*
*Absumpsitq; tibi carnem atra tabe recentem,*
*Et talum, atque genu reddidit inualidum,*
*Hoc scindens, illum corrodens unde uirentis,*
*Nunc oleæ sceptrum te gerit unipedem.*

ALLVSIO.

*Nunquam infelicem Midon te dixero, quanuis*
*Perdideris talum, perdiderisq; genu.*
*Nanq; tibi uictum dederat lassata securis,*
*Ligna secans, at nunc otia lentus agis.*

Atq;

*Atq; geris sceptrum, & ramum felicis oliuæ,*
*Quid regno, & pace est fortius, & melius?*

E GRAECO.

*Signa relinquentem deuicto marte peremit*
*Natum, oblita parens quippe puerperij.*
*Robore bellantum, haud surgentis ab indole prolis*
*Spartanum Sparte iudicat ipsa genus.*

DE MYRRHA.

*Crimina ne desint obscœna pudenda, parentis*
*Ignari ascendit filia iniqua torum.*
*Nascitur inde liquor, puer & formosus* Adonis,
*Cypria quo exusta est, quo bene templa & olent.*
*Quid non audendum est, postquam de crimine turpi*
*Myrrha fluit, uenit & tam speciosus amor.*

IN LAPIDEM AIACIS
E GRAECO.

*Ne me, ne* Aiacis *saxum uexato uiator,*
*Quod iaculator eram pectus in* Hectoreum.
*Sum asperum enim, atq; atrū, diuinus dicat* Homerus
*Quo nam prostrarim robore* Priamidem.
*At nunc uix possunt homines ò dedecus ingens.*
*Viribus adnixi quippe mouere decem.*
*Quis me condat humo, erubeo lapis ille tremendus,*
*Quod nunc sim lusus uili hominum generi.*

DE GALANTIDE.

*Lucinam elusi sed nescia, cura dolentis*
*Impulit* Alcmenæ *dicere falsa, & amor,*
*Mutor in oriparam mustellam idcirco Galanthis,*

*Non quia falsa tuli, sed quia amica fui.*

E GRAECO.

*Dum petit alta hircus barba præstante tenellos*
*Detondens ramos uinea amœna tuos.*
*Vox terra erumpit resonans huic, rode labellis*
*Ipse meas frondes pessime nectareas.*
*Radix firma iterum perfundet nectare dulci*
*Te satis, ut stabis uictima sacra caper.*

IN CIMICES ET CVLICES. ET PVLICES.

*Vos quibus est nostri sitis improba sanguinis, ite,*
*Ite procul cimex, hinc pulices, culices.*
*Bestiolæ informes, fœdæq;, olidæq;, malæq;,*
*Noctiuagæ, infestæ, sanguiuoræ, bibulæ.*
*Quæritis humanum insidijs haurire cruorem,*
*Et requiem, & somnos rumpere dulciculos.*
*Atque puellarum latebras tentare repostas,*
*Quas nec adire uiris fas, nec adire Deis.*
*Candidulamq; cutem fœdare, atque aurea membra,*
*Vmbrarum uobis Di mala multa ferant.*
*Sed tibi præcipue ò cimex tam pessime olenti,*
*Cui nihil est salsi, cui nihil est lepidi.*
*Dira minus uobis et mitius imprecor illa,*
*Quod salitis pulices, quod canitis culices.*

E GRAECO.

*Extinxit lumen fatuus pulicum agmine læsus*
*Et dixit, non me uos magis inspicitis.*

## DE ALCYONE ET CEYCE.

*Vrgebat Superos pro charo coniuge coniux,*
*Sospes ut Ionijs ille rediret aquis.*
*Littus adit, pelago in medio miserumq́; cadauer*
*Ceycis mersi uidit ut alcione*
*Insilit in fluctus undarum oblita, suiq́;*
*Facta et auis rostro basia multa dabat.*
*Oscula sensit amans, & ad illa reuixit; amoris*
*Vis quanta est, ab aquis, & nece flamma micat.*

## E' GRAECO.

*Me platanum arentem inserpens tegit aduena uitis,*
*Externis uirui nam redimita comis.*
*Quae prius eduxit ramo frondente racemos,*
*Non minus hac crines luxuriosa fero.*
*Quare aliquis sociam talem post nutriat una,*
*Defunctam nouit reddere quae charitem.*

## DE CHIONE.

*Dilexere unam Chionem duo, Phœbus, & Hermes,*
*Et gemino fœtu hanc implet uterq; Deus.*
*Alipes Autholico, Arcitenensq́; Philemene, & ambo*
*Patris enim similes arte fuere sui.*
*Alter Apollo inerat cantu, fidibusq; canoris,*
*Fraudibus, & furtis alter Atlantiades.*
*His elata parens natis & amantibus ipsis,*
*Se praeferre ausa est ore Diana tibi.*
*Conficis hanc lingua, lingua peccarat, & inquis,*
*Displicui uultu, displiceamq́; manu.*

IN GALEAM E GR.

*Cassis utranque habuit charitem, iucunda & amicis,*
*Et timor, atque horror hostibus ista fuit.*
*Pisoni tantum & nulli unquam conuenit, illum*
*Non caput huic galeæ, nec capiti hæc galea.*

DE ACTEONE.

*An petat Acteon syluas sub imagine cerui,*
*An sua tecta, negant & metus, atque pudor.*
*Præda canum factus gemitu se Acteona monstrans,*
*Dicere tentabat, quid laceratis herum?*
*Tanti inerat uidisse nates? si experta fuisses,*
*Non sic tractasses impia uirgo uirum.*

E GRAECO.

*Quem uitæ incedes callem? fora plena molestis*
*Litibus, exagitat sollicitudo domum.*
*Et labor agricolam uexat, nautamq; timores,*
*Sole sub externo diues ubiq; timet.*
*Pauperies triste est, nec tutum nubere, & absque*
*Coniugio est uitam ducere pœna grauis.*
*Si pater es, labor est, si non domus orba, iuuenta*
*Lubrica, mors instat post sua terga seni.*
*Horum ergo optandum est unum, uel tempore nullo*
*Nascier, aut natum fata subire breui.*

E GRAECO.

*Vitæ omnis callem incedas, fora nomine abundant,*
*Rerum usu & uario, paxq́; quiesq́; domi est.*
*Agricolam charis oblectat, lucrum æquora mulcet,*
*Sole sub externo magnificantur opes.*

*Pauperies tuta insidijs, res optima & uxor,*
*Absque uxore annos ducere, cura minor.*
*Pignora delectant, desunt, deest cura, iuuenta*
*Feruida, & est pietas mater amata senis.*
*Non ergo optandum est homini, uel tempore nullo*
*Nascier, aut natum fata subire breui.*

DE HECVBA IN CANEM CONVERSA.

*Hæc canis est hominis bustum, nanq; ipsa Dymantis*
*Post Priamum natos, pergama latrat anus.*
*Et quanuis tumulo claudatur percita ab ira*
*Infremit, & mordet se, & monumenta canis.*

EX GRAECO.

*Vita omnis scæna, & ludus, uel ludere discas,*
*Deponens curas, uel patiare dolens.*

DE MEMNONIS AVIBVS.

*Memnonis è busto uolucres fumoq; uolarunt,*
*Quanuis germanæ bella cruenta gerunt.*
*Nam pugna Dominum manes & sanguine placant,*
*Calleq; longinquo uulnera, fata & emunt.*
*Spectatrix Aurora riget, mutatq; colorem,*
*Nec patitur longas tam lachrymosa moras.*
*Cognatæq; ruunt uolucres in bella quot annis,*
*Mane omni humectat fletibus ora parens.*

EX GRAECO.

*Huc lachrymans ueni, lachrymans ex orbe recedo*
*Cum fletu multo uita reperta mea est.*
*O mortale genus luctu miserabile multo,*

Inualidum sub humum decidis in nihilum.

DE FILIABVS ANII.

Dura lacertosi iam soluite aratra coloni,
Nec uos, nec terra est solicitanda magis.
Natæ Anij tactu possunt producere messes,
Vini, oleiq; lacus multiplicare ab aquis.
Hæc pretiosa ætas, hæc numina uera, fuistis
Hactenus hic diui, Bacche, Minerua, Ceres.

E GRAECO.

In eum qui corruperat nouercam.

Ne sepeli, intectum canibus sine dilacerandum,
Terra parens non uult uiolantem fulcra parentis.

DE ERIPHILE ET ALEMEONE.

Vidit ut Eriphile sua fata instantia, dixit
O fili in matrem tam sceleratus eris?
Cessarant iræ, dextra penè excidit ensis,
Sed memor Alemeon Amphiarae tui.
Matrem ipsam excœpit ferro, monstrumq; nefandum,
Et sceleratus erat, nec sceleratus erat.

E GRAECO.

Non mage spes curæ est mihi, nec fortuna, dolus q;
In reliquum haud cordi est, in statione habito.
Sum mortalis inops, libertas aurea mecum est,
Quæ spernunt inopem, sperno ego diuitias.

DE ESACO ET EPERIE.

Desine uelle tuam sub aquis reperire puellam,
Teq; retentatis perdere merge uadis.
Viue dolore tuo, diraq; cupidine mortis,

Quod causa Eperie, & cæsa furore tuo.
Impie tu serpens, usque insidiator amorum
Euridicen quondam, nunc rapis Eperien.

E GRAECO.

Alterius mensæ ne accumbas, munere habendam
Ventri exprobratam diffugiens cererem.
Sæpe una flente & mœsto cum diuite plorans,
Ridente & ridens rursus enim domino.
Nan neque tu lachrymis, demum neque risibus usus,
Et fleo cum Milia, & rideo cum Milia.

E GRAECO.

Pascere tot seruos, unà tot condere & ædes,
Est ad egestatem uelle uenire breui.

DE LYCAONE.

Quondam oculos tollens sublimia ad astra Lycaon
Dixerat hæc secum, aut dicere uisus erat.
Nata nepos'q; sumus quam dispare sorte creati,
Vos decus astrorum, dedecus ipse soli.
Vos cælo erratis, syluis ego, sanguine gaudens,
Nectare uos, & Di, quàm fera turpis ego.

E GRAECO.

Praxiteles salit arte tua lapis, atque columna,
Solue basi, eximie progredientur iter.
Non senium est nobis, sed qui nos nexuit arctans
Comorum Bacchi est inuidus iste lapis.

DE BAVCI ET PHILOMENE.

Hæc tilia, hæc quercus, Baucis fuit, atque Philemon,
Qui stabili unanimes consenuere toro.

Et tegetem uidere suam mirabile templum,
Digni cœlestes excipere, atque Iouem.
Cortice contecti cariem posuere senectæ
Durus sub dura, sub fragili fragilis.

E GRAECO.

Supplicium nemo poterit uitare scelestus.

DE SYBILLA CVMEA.

Illius est tumulus, quæ Phœbi lusit amorem;
Et potitur uoto non Deus ipse suo.
Innumeras Cumæa tamen finiuit arenas,
Nec magis nota Deo, nec sibi facta uetus.
Extenuata omnis, facta & uox, clauditur ista
Vrna, & non urna, non uacua, & uacua.

E GRAECO.

Quæ nam te glacies, regio aut deserta, & opaca,
Aut Scythici boreæ uitis acerba tulit?
Celtarum aut niuibus semper candentibus alpes,
Eferri tellus diues Iberiados.
Quæ paris omphacinos uixq; immatura racemos,
Vnde nisi inuisa, & stiria acerba fluit.
Palmitis abscindant germen nisi cruda ferentis,
Ab radice tuas, oro Lycurge manus.

DE ACIDE.

Ille tuus Galatea Acis dulcissimus ardor
Friget in egelidis irreuolutus aquis.
Adiuua amatorem, nam pressus pondere saxi
Artubus elisis deperit, ecce puer.
Finieram, cruor albescit, tenuantur in amnem

*Membra perennem, unum ac Acis, & amnis erant.*

E GRAECO.

*Quum maris ad latum labrum proserperet infans*
*E lare uicino seruulus Hippocratis.*
*Plus sale quam lacte epotus perit, i mare ad orcum,*
*Excipis ut mater, decipis ut solitum es.*

ALLVSIO.

*Non pudet ò monstrum infidum, sub imagine matris*
*Allicere infantem, perdere & insidijs?*
*Pernitiem nostram usq; sitis nos mergere & optas*
*Littora ut expugnes, concutis usque fremens,*
*Quam male iam experti infeliciter heu mare amarum*
*Helle, Leander, Icarus, iste, & Hylas.*

DE PICO.

*Scylla Cupidineo percussum uulnere Picum*
*Spreuit amatorem, uirginitatis amans.*
*Poscit opem iuuenis pulcher titanida Cyrcen,*
*Hæc promittit opem, dummodo ferret opem.*
*Spreta ueneficijs immutat utrunq; profundo*
*Scylla latrat, Picus robora tundit auis.*

E GRAECO.

*Supplico per natos, dixit, si me urna peremptam*
*Claudet, ne attentes philtra secunda tori.*
*Dixit, at ipse aliam approperat, uerũ ulta Philinna est.*
*Promissi oblitum mortua Diogenem.*
*Rupit enim bis thalamum prima irreparabilis umbra,*
*Non alium ut lectus uiderit ille diem.*

DE DAPHNIDE IDEO.

*O Daphni infelix, quo cœco es percitus œstro?*
*Naïada amas quæ te non amat, immo fugit.*
*Deperit illa Mydam, præq; illo despicit omnes,*
*Inuisumq́; illi forte remittet Hylam.*
*Dicebam, in fletu et Daphnis languebat amore,*
*Quum nos, & se se liquit, & elicuit.*

E GRAECO.

*Cui tria contingunt felix primum ære alieno,*
*Coniuge post, demum prole carere sua.*
*Si infamem uxorem duces, subito ipse recepta*
*Magna dote uxor contumulanda tibi est.*
*Sis sapiens, isthæc noscas, frustráq; Epicurum*
*Mitte requirentem quid uacuum, & monadas.*

DE GLAVCO.

*Squammigeras gentes potuerunt gramina Glauci*
*Exanimes uitæ restituisse suæ.*
*Herba eadem mutauit herum, donauit & illi*
*Esse Deum, æquoreis iura tenere & aquis.*
*Cur non nota mihi est, spoliarem tartara, inane,*
*Implerem terram, sydera, Dis, & aquas.*

E GRAECO.

*Virginitatis opes pulchræ, sed uiuere cunctis,*
*Seruatus rapiet uirginitatis honor.*
*Nube igitur, plantaq; hominem, mortalis & orbi,*
*Mortalem dona, pelle & adulterium.*

DE AIACE IN FLOREM VERSO.

Incumbens gladio, inspiciens & sanguinis amnem
Intulit hæc Aiax uerba suprema miser.
Si non uis nomen, nostras testare querelas
Terra, cruentatis sanguinolenta notis.
Tunc utrunque notis testata in flore duabus,
Vna querelarum, nominis una fuit.

E GRAECO.

Viuere qui senium exposcit, proferre senectam
Annorum ad multas dignus erit decadas.

DE NAVIBVS AENEAE IN Nymphas mutatis.

Frustra Turne paras ideis nauibus ignem,
Iam iam prospicies has maris esse Deas.
Tanti etenim in Latium Iliacas uenisse ruinas,
Tanti est & fessos hic quieuisse Deos.
Vnde urbes, portus, montes, caput orbis & orta est
Roma, tot & Diui, Nereidumq; chori.

E GRAECO.

Quæ fueram folijs uernans, & pulchra racemis,
Vitibus extensis annumerata prius.
Sic ego nunc senui, ecce dies quæ uincit, & aufert
Et rugas uitis fert, seniumq; suum.

AD NYMPHAS.

Dicite uos Nymphæ summis in montibus ortæ,
Quomodo nunc colitis, quas timuistis aquas?
Nos Veneris iussu, & Cybeles uitauimus ignem,
Aeneam æquoreis nos quoq; adimus aquis.

E GRAECO.

*Res ueneranda senis cani cum mente putandi,*
*At quum mente carent, sunt senis obprobrium.*
*Canicies prudens reticenti, at uana loquuto,*
*Imprudens immo est cæsaries pueri.*

DE FILIO HYRIES.

*Ne indignare Hyries fili, quod Phyllius album,*
*Non tibi det taurum delitiose puer.*
*Ab formose puer non sunt tua dulcia membra*
*Mollia membra tua hæc præcipitanda mari.*
*Phœbe ueni, solitus puerorum accendier igne,*
*Vel tu magne Tonans iam Ganymedis amor.*
*Brachia Nereides tendant, se iactat in æquor,*
*O uolat albus olor, qui puer albus erat.*

E' GRAECO.

*Quum me grammatice bis sex lassauerit annos,*
*Consultor sedes destinor ad stygias.*

DE ARIADNA ET PHYLLIDE.

*Prospiciens quidam cœlo irradiare sereno,*
*Cui clarum ornarant sydera multa caput.*
*Arbore ab infami atque aliam pendere puellam,*
*Thesea deuouit Demophoonta magis.*
*Prodit uterque fidem euentu sed dispare multum,*
*Facta Ariadna decus, Phyllis & opbrobrium.*

E' GRAECO.

*Organa Pieridum lachrymosa uolumina uendo,*
*Ad studij alterius munia progredior.*
*Musæ, & uerba ualete, recedens spondeo uobis,*

*Consuetudo mihi præbuit interitum.*

IN GRAMMATICVM.

*Instruis arma uirum, & penitus fugis arma, uirosq;,*
*Versatus pueros inter amice diu.*
*Dic mihi Dameta, nam rectius ipse doceres,*
*Quum bene scis cuium sit pecus ipse pecus.*

E GRAECO.

*Accendens prunas hyemis iam frigore Gorgo,*
*Decidit in terram, territa facta metu.*
*Ob tonitrum, clausitq; oculos sub nocte perenni*
*Deficiens medio funeris, & senij.*

DE MEDEA.

*Veruecem antiquum ferventi Colchis aheno*
*Balantem imposuit barbara uerba sonans,*
*Cornua cum lanis, marcentes coxit & annos,*
*Parcarum leges uertere posse putans.*
*Et uertit, nanque ipse aries renouatur in agnum,*
*Vbera, & exemptus quærit ab ære cauo.*

E GRAECO.

*Sum plantata uiam nux prætereuntibus ipsis,*
*Qui repetunt saxis ludibrium pueris.*
*Nam uirides ramos, uirgultaq; cuncta frequentes,*
*Percutientum ictus undique decutiunt.*
*Arboribus bene fructiferis plus nil, ego certe*
*Dedecus ad solum fructifero ipsa meum.*

DE ARACNE.

*Cum Superis non est tutum contendere Aracne,*
*Pone elata animos Lyda puella tuos.*

*Pœna recens satyri te terreat ilice ab alta*
*Marsyæ adhuc pendens sanguinolenta cutis.*
*Pulchra aurum intexens ne turpis aranea fias,*
*Quæ sua contexit uiscera, & ore uomit.*

E GRAECO.

*Fœminam ob ignem alium demisit Iuppiter ignem*
*O si nec mulier, nec foret ignis edax.*
*Flamma breui extincta est, sed nunq̃ extinguitur ardẽs*
*Semper, & accensa & fœmina flamma cremans.*

DE ASCALAPHO.

*Ingemit in summis ferali carmine tectis,*
*Ex acheronte satus sub phlegethonte lacu.*
*Natus Auernalis nymphæ, dire improbe bubo*
*Nil nisi triste geris, nil nisi triste canis.*
*Nil mirum Ascalaphe infestas si nostra, sub umbris*
*Quum quid non posses prodere, prodis heram.*

E GRAECO.

*Ob pubertatem doleo, miseramq; senectam,*
*Quod ruit hæc, illa est quod fugitura breui.*

DE AENEA INDIGETE DEO.

*Anchisæ & Veneris proles æterna, Deorum*
*Emeruit duplici iam pietate domos.*
*Vna fuit patrem medijs ex hostibus, una*
*Ignibus ex medijs eripuisse Deos.*
*Cœlum habitat merito, qui heroibus astra, triumphis*
*Qui terram impleuit, Cæsaribusq; polos.*

E GRAECO.

*Pinxerat Iphion quondam ista corynthius, & quum*

Laudem opera euincant maxima, Momus abest.

DE AEGERIA.

Hos latices tepidos fugias sitibunde uiator,
Nam quas reris aquas, esse scias lachrymas.
Non liquor iste sitim extinguit, sed suscitat ipsam,
Ignis enim Aegeriæ est, luctus & Aegeriæ.

E GRAECO.

Vsque nothi fructus duri immitisq; pirasler
In nemore ante feræ quo spatiantur, eram.
Desertus truncus peregrinis insita ramis
Arboris alterius nunc pira grata fero.
Nanq; labore tuo charis insitor ipsa pirasler
Ascribor plantis quàm bene fructiferis.

DE ANTIGONE.

Quæ patrem, & matrem implumes pietatis amore
Educat, atque fouet pulchra puella fuit.
Sed fatua, ausa Iouis semet præferre maritæ,
Nunc specie inter aues annumerata uolat.
Non oblita sui generis colit alta domorum,
Regum erat Antigone filia, & ipsa soror.

E GRAECO.

Natiuo fructu spolior, ne decute duris
Maturum saxis, ne mea, tum Bromij.
Ira tibi noceat, nam cædis utrunque, Lycurgi
Criminis insani, cruris & esto memor.

DE MYDA.

Vocales & uerba sciunt producere cannæ
Insufflatæ ut sunt contumulatæ & humi.

Quumq; animatæ insunt cannæ, & motantur ab aura
  Dementis dicunt crimina tecta Mydæ.
Rectum agite ò reges, si uestra obscena tacebunt
  Linguæ, ea uulgabunt aura, & arundo leuis.

E GRAECO.

Tu ne me incuses, usque immatura pirastrum
  Dantem poma tibi plurima, quæ pario.
Subtrahit hinc matura alius, pendentia linquens,
  Tantum etenim matri dura, & acerba manent.

DE ARIADNA.

Felices questus super aurea sydera noti,
  Qui mouere Deos in tua uota pios.
Terge Ariadna genas pulchro placitura Lyeo,
  Sensit, & ob lachrymas deserit astra tuas.
Quumq; eris inter opes, splendentia & atria cœli,
  Téq; coronatam, conspicies'q; Deam.
Impie dic Theseu, tanti desertor amoris
  Liquisti utiliter, prodis & utiliter.

E GRAECO.

Me licet absumas radicitus, attamen addam
  In tua quod sat erit sacra caper Bromij.

DE ALCIONIBVS.

Coniugio iuncti unanimes & fœdere amantes
  Nos fuimus, quos nunc cernitis, alcyones.
Iam mare tranquillum est, securi soluite nostro
  Auspicio, ecce mari nidificamus aues.
Credimus & pelago natos, quid maius? & illa
  Si dubitatis adhuc, pignora pignus erunt.

## E GRAECO.

*Suspensi ò quercus rami fugientibus æstum*
*Supremum'q; uiris umbra superba nimis.*
*Et folijs densi tegulis mage, tecta canentum*
*Grata cicadarum sole cremante solum.*
*Me quoque sub uestris recubantem crinibus ipsis*
*Seruate à iaculis exulem apollinicis.*

## CASVS.

*Plenam calce ratem flauas per Tybridis undas*
*Dum conto impellunt Agmus, & ipse Peron,*
*Rima fatiscentis celocis suscipit amnem,*
*Excœpta accensus quum furit ignis aqua.*
*Dum miseri nautæ euitant instantia fata,*
*Vritur unda Agmus, naufragat igne Peron.*

## E GRAECO.

*Arbor adhuc mollis matura cydonia seruat,*
*Nos quoq; seruamur cortice sub tenero.*
*Immaculata sumus, leuissima nata uelut nunc,*
*Sub uiridi & densa fronde uigemus adhuc.*
*Rarum hyemis pretium, & munus, te propter & ipsa*
*Ob'q; tuam chariten frigora mala ferunt.*

## IN AVARVM.

*Iugera protendis pelago, & decurris ad Indos,*
*Inde Arabes, Colchos, Hesperios'q; petis.*
*Multiplici tantam terram'q; inuertis aratro,*
*Obq; aurum montes, diruis & penetras.*
*Etsi opibus Crassum longe superaueris, ipsum*
*Attalon, & Cræsum, quid nam erit inde tibi?*

*Ne comedas, alui non pon's pondus auarum,*
*Et cupis ipſe diu uiuere, uiue diu.*

E GRAECO.

*Inter odoratas laurus, myrtos, cypariſſos,*
*Circunfuſa botros nexa ubi uitis habet.*
*Quam natis merulæ reſonant hic tempore uerno*
*Stridenti, & uario multiplicíq; melo.*
*Luſciniæ contráq; ſonant ſua carmina flauæ,*
*Cantantes dulcem flebili ab ore ſonum.*

IN PERCVSSOREM PATRIS.

*Ne ſæui in patrem, quanuis ſit durus, & aſper,*
*Iura habet in natum nam pater uſque ſuum.*
*Ne ſæui, te iterum moneo. ne ſæuiat in te*
*Ignis, terra, & aquæ, fulmineus'q; deus.*
*Sacrarum hoc clamant legum monumenta, parentem*
*Humanum recolas, difficilem tolera.*

È GRAECO.

*Vir ſuperans feritate feras, odio omnibus oſor*
*Omnium, ubique inſtat mors inimica tibi,*
*Si fugis in terram, lupus eſt prope, ſerpis in altam*
*Arborem, & in ſummis frondibus aſpis erit.*
*Tentabis Nilum, recubat crocodilus in undis,*
*In tam crudelem te fera iuſta feram.*

DE DRIOPE.

*Qualis eram è dulci poteris cognoſcere fructu,*
*Qui guſtat natos exuit, & patriam.*
*Pulchra quidem, & genitrix, ne ferrē obſcœna Priapi*
*Paſſa hominum fieri lotos, & eſca fui.*

E GRAECO.

Quisque senectam absentem optat, quum uenerit odit,
Quare optanda mage est, & redimenda minus.

DE SCYLLA.

Scylla ubi conspexit sua crura latrare, femurq;,
Horruit, & timuit crura suumq; femur.
Monstra illa & fugiens secum fert illa, trahitq;,
Atque canes latrant, quo magis ipsa fugit.
Odit se, & pelago mergit se, & saxea facta est,
Mersa tamen latrat, saxea facta latrat.

E GRAECO.

Virginitas laudanda quidem, sed perderet orbem,
Si uelit hac omnis fœmina, uirq; frui.
Legitimum conscende torum fructumq; parato,
Sed tantum in proprio semina sparge solo.

OBLATIO.

Ereptus tumidis nudus sed sospes ab undis
Consecro Di uobis Di maris hanc tabulam.
Qua me seruastis per longa pericula nantem,
Vsque flagellatum fluctibus; & scopulis.
Muta licet casum, nostrosq; infracta labores,
Atque suos dicet, quamq; tulistis opem.
Sit grata è tantis rebus, quæ restitit una,
Cætera uos auidæ uos rapuistis aquæ.

E GRAECO.

Alticomam iuxta hanc pinum requiesce uiator
Hic Zephyri comum murmurat aura frequens,
Quumq; meo lenitus eris ridente reflexu

*Fistula somnum oculis porriget ista tuis.*

AD AMICVM.

*Mors ruit, accelera uitam, ut moriare caducis,*
*Non uiuet, qui non despicit orbis opes.*
*Viue hodie, sed uiue Deo, si uiuere tentas,*
*In quo cras, & heri, nil aliud quàm hodie.*

E' GRAECO.

*Summa piri tondes syluestris capra pupillæ*
*Lucem hausit clausæ, quæ prius orba fuit.*
*Alterum acuta oculum pupugit nam spina; Machaon*
*Tunc quam non potuit, tradidit illa & opem.*

E GRAECO.

*Mus auidus ganeæ omnimodæ securus ab hoste*
*Fele; etiam à certo funere lucra petens,*
*Neruiloquam Phœbi cordam corrosit, at illa*
*Fracta ad clauiculos gutture uinxit eum.*
*Nos iaculatores arcus miramur in hostem,*
*Hic iaculatricem telum habuit cytharam.*

AD AMICVM.

*Implicita inuolucro multo tua causa latebat,*
*Immo erat in puteì contumulata uado.*
*Explicui, hæc ausit lucem, ambagesq; resoluit,*
*Expiscata altum protulit, ecce caput.*
*Quod uerum, & latitat, longum est inquirere, parcas,*
*Iudico non subito, ne doleam subito.*

E GRAECO.

*Si prius inspiciens sepelisses me ipse peremptum,*
*De pietate foret reddita tunc pietas.*

*Nunc quando occulta me occidens condis in urna,*
*Hæc tibi reddantur, quæ mihi das, eadem*

E GRAECO.

*Vndique quum tegeret summos nix frigida montes,*
*Et frænaret aquas iam glacialis hyems*
*Flumina anhelantes cerui, ~~[illegible]~~ tepidosq; recessus*
*Agmine quàm timido spe meliore petunt*
*Quum subito undarum circumfluus impetus illos*
*Alligat in glaciem frigore compositus.*
*Et qui tot laqueos superarant, tela, dolosq;*
*Occupat imbelli rustica turba manu.*

IN QVENDAM.

*Quod medicus canones, ritus obseruat & Ilmon,*
*Aere, & incessu, uictu, habitu, & studio.*
*Hac ratione illum longæuam uiuere uitam*
*Reris, & hebreos uincere posse senes.*
*Illorum Ilmoni, quos ipse occiderit, annos*
*Adde, suis uincet tempora temporibus.*

E GRAECO.

*Qui placidi fuimus collum submittere tauri,*
*Non terræ exagitat nos labor, immo maris.*
*Funibus oblongis nam uincla ligata trahentes*
*Absque ullo insolitas uomere aramus aquas.*
*Non messis premimur studio, sed gentis aquosæ,*
*Nanque boues fructum de pelago ferimus.*

E GRAECO.

*Sponte laborati flauentia flumina mellis.*
*Compacto; manibus sponte sua, & thalamos.*

*Vitæ hominum charitem cœlesti munere missam,*
*Quæ non indigeat falce, ligone, boue.*
*Vas autem in paruo minimoq; ex fonte liquorem*
*Iucundum & dulcem dædala fingit apis*
*Saluete ò castæ uolucres & pascite flores*
*Aetherei sanctæ nectaris artifices.*

AD PETRVM SABAEVM FRATREM

*Me petis, ut uita hæc quid sit, sub imagine pingam,*
*Accipe de sacris lecta uoluminibus.*
*Miles homo est, & spes stipendia, uiuere nostrum*
*Militia est, hostes corporis illecebræ,*
*Arma facultates, & fatum tessera, clades*
*Insidiæ, lites, furta, rapina, doli.*
*Demissus cœlo Deus est dux, præmia uirtus,*
*Immo triumphalis pompa perennis erit.*

E GRAECO.

*Astiterat Pyrrhæ mihi dulcis imago, uolucris*
*Dum mihi rupisti somnia grata, abijt.*
*Heccine quod te alui est merces? regina uolucrum*
*Per me tam fatuum facta quod una domi es?*
*Per sceptra atq; aram ipsa Serapidis usque tacebis,*
*Quam iuraui aram sanguinolenta tene.*

E GRAECO.

*Vrna foraminibus plena, est air pessimus, in quam*
*Quancunq; infundis, perdis amice, charim.*

E GRAECO.

*Vbera dum capræ distenta momordit echidna*
*Ebibit occultam læsa papilla necem.*

*Hinnulus exsiccans mammas cum lacte uenenum*
*Hausit ab impresso uulnere mortiferum.*
*Decidit & subito crudeli morte, charimq;,*
*Quam dederat uenter, læsa papilla rapit,*

DE CAROLO IMP.

*Audite Aeneadum hæc nati, uos alloquor, & uos*
*Ausonij, & plausu templa superna sonent.*
*Carolus æternas tarpeiæ rupis ad arces.*
*Vertice quæ cœlum iam tetigere, uenit.*
*Excipe uictorem geminato Roma triumpho,*
*Seruato & uicto, milite, & hoste tuo.*

È GRAECO.

*Fallere lina, canes, nec me potuere uiriq;,*
*Aequoris & capior dorcas ab insidijs.*
*In mare dum curro è syluis, montesq; relinquo*
*Ipsa meos, merito me capiunt laquei.*
*Sic relegens terra, & pelago communia lina*
*Piscator uacuas non trahit inde manus.*

È GRAECO.

*In mare præcipitem se se deturbat ab alta*
*Rupe lepus fugiens ora inimica canum.*
*Nec casu infelix fatum sic effugit, illum*
*Nam canis absorbens deuorat æquoreus.*
*Decidit ex igne in flammas, nutriuerat hunc sors,*
*In terra, inq; mari quod foret esca canum.*

È GRAECO.

*Infidum expertus pontum transiuit ad agros,*
*De mercatore hic uomere arabat humum.*

*Ne mergatur aquis; uiuens obmiserat undas,*
*Sed miser in tumulo megitur usque suo.*

E GRAECO.

*Qui soliti sulcos fueramus scindere aratro,*
*Nunc trahimus naues æquoris, ecce boues.*
*Pacis opus postquam nautas nos efficit æquor,*
*Tu quoque delphines efficito agricolas.*

PRO TABVLA VRBIS ROMAE.

*Hæc pars Ausoniæ celeberrima, & aurea, & omni*
*Dote ornata, opibus scilicet, atque uiris.*
*Quorum uirtutem formidauere potentem*
*Ignoti, & noti, regna, duces, populi.*
*Quam cœlum extollit, certatim & Paulus adornat,*
*Ingenijs cœlum, Paulus & imperio.*

E GRAECO.

*A cane me elapsum ponti canis excipit, ecquid*
*Quod maris, atque soli hæc me fera persequitur?*
*Aerium conscende solum, lepus astra pauesco,*
*Nanque canem & cœli sidera sidus habent.*

ALLVSIO.

*Quo fugiam? canibus sunt omnia plena, quid ultra?*
*Terra, & pontus habent astra suosq; canes.*
*Ad Manes descende lepus, Manesq; profundi*
*Non modo habent unum, tergeminum immo canem.*

E GRAECO.

*Falsa Myron dicit, nam me non finxit, at egit*
*Pascentem è bubus, meq; ligat lapidi.*

E GRAECO.

*Quid mirum, quid difficile est, te lædere? at ipse*
*Te fero, lædentem, nam sua pœna manet.*
*Plurima mortalis iactas, meditare tacendo*
*Funus adhuc uiuens, nam moriere breui.*
*Sol Deus est lucis, qui si me læderet, illum,*
*Ne'ue suam lucem, conspicere ipse uelim*
*Pauperiem, non me læsisti, at Iuppiter ipse,*
*Si foret in terris hæc quoque ferret inops.*
*Quid culpæ? si sum pauper, quid lædis egentem.*
*Non mala, fortunæ, non meus error erit.*
*Principium est odij obprobrium, laus optima res est,*
*Ars maledicendi cecropium mel habet.*

IN SPECTACVLVM TAVRI.

*E cauea emissus dum prospicit undique taurus*
*Arma, per arma sibi non nisi inesse fugam.*
*Tunc generosum animal densos prorumpit in hostes,*
*Lata per instantem sic uia facta necem.*
*Vt cursu absumpsit totam furibundus arenam,*
*In medio hæc uisus fundere uerba Ioui.*
*Innocuo succurre, precor, mihi maxime Diuum,*
*Nam quandoque & tu per freta taurus eras.*
*Tunc labor, & fructus, qui non mouere Quirites,*
*Flexerunt superos in pia uota Deos.*

E GRAECO.

*Multa cadunt inter calicem, supremaq; labra.*

E GRAECO.

*Cogor inequales sulcos proscindere, acutum*

Quum ſtimulum in coxas uſque bubulcus agat,
Deq; iugo reſoluta graui bos ipſa tenellam
Nutrio mox uitulam, qui labor alter ineſt.
Parce parum, in uaccam tibi creſcet buccula arator,
Si exagitas, perdes arua, bouem, & uitulam.

E' GRAECO.

Conſulibus primus menſis, ſulcisq; ſecundus,
Tertius auſonias educit ad arma phalanges.
Purpuream ueris, quartus denuntiat horam,
Ipſe hortis genitor candentia lilia porto,
Falce grauor, pennisq; meis Nile excite ſurgis,
Baccho alius dilectus erat ditiſſimus uuis,
Dulce merum calco donum mortalibus ipſis.
Ad nomen cuiuſq; uiri fero prandia grata
Pulſare & didici & ſopitis pellere ſomnos.

PRO PERSIS.

Ante ſacra Arſacidæ de relligione loquuntur,
Verba quoque ante merum ſobrietatis habent.
Ante cruentatum & Martem de robore, ne ſint
Aebrij, & imbelles, impij & ante deos.

DE NOBILITATE VERA.

Vnica nobilitas uere ſplendeſcit in illo,
A quo contempta eſt gloria, uita, & opes.

E' GRAECO.

Ad uaccam acceſſit uitulus, ſed fallitur, intus
Aes niuei fluxum lactis habere putans.

E' GRAECO.

Glandiferam matrem ne percute, parce uiator,

*Pinus enim ferro est diripienda senex.*
*Vel ramosa suis spinis paliurus acutis,*
*Atque ilex, nec non arbutus aridula.*
*Sit procul à quercu ferrum, dixere parentes,*
*Quercus mortales ut peperere prius.*

E GRAECO.

*O pire iucundo mea dextra labore ligauit*
*Corticem in humenti iam cortice, dum calet æstas,*
*Et se compactum solidauit in arbore germen,*
*Arboris & fructum peperit concisa pirafter,*
*Ima & adhuc pirus est spirans à parte suprema.*

AD LECTOREM.

*Esto pudicitiæ, tum puro, & corde nitenti*
*Et sapiens, & tunc nil uereare mali.*

AD EVNDEM.

*Vsque domi uenerare patrem, matremq́ꝫ, forisq́ꝫ*
*Quenq́ꝫ in deserto tum tua membra loco.*

AD EVNDEM.

*Felix qui potitur uotis, opibusq́ꝫ paratis,*
*Verum plus felix qui cupit ille nihil.*

E GR. IN CAPELLAM.

*Quod mea paruus adhuc lupus ubera pendula siccet,*
*Non meus insani sed Corydonis, amor.*
*A me ubi adultus erit, rursus fera sæuiet in me,*
*Vincere naturam gratia nulla potest.*

E' GRAECO.

*Dorcadis enixæ distentans lacte papillas*
*Dum uidet, impressit uipera dente necem.*

Hinnulus euulsit mammas, & uulnere ab ipso
Pestifero lactis pocula amara trahit.
Et subita ad manes descendit morte, diemq;,
A lacte unde habuit, perdidit ille suum.

E GRAECO.

Nouimus haud solum terram proscindere aratro,
Ast etiam naues protrahere è pelago.
Si molimur opus pacis delphinas, aratro
Vt terrã inuertant, tu mare iunge tuos.

ALLVSIO.

De terra ad naues trahimur, de uomere ad æquor,
Res eadem est bubus terra, fretumq; simul.
Fac delphinas arare, & tu Neptune iugales,
Pace idem ut fiat piscis, & agricola.

AD AMICVM.

Quod fueris diues, pulcher, quod charus amicis,
Quod quoque prævalido corpore fortis eras.
Non satis hoc, Crassus fuit, & formosus Adonis,
Et Pompeius erat, Miloq; fortis erat.
Dic modo quid sunt hi? post hæc mihi dicito, quid sis?
Ter quater est miserum dicere, amice fui.

E GRAECO.

Hausit Alexander Macedo sitibundus ab æstu
Hinc uitream, & dulcem fesse uiator aquam.
Et quia erat similis lacti liquor iste, parentis
Indixit matris nomen Olympiadis.

E GRAECO.

Delphinum nati squammosæ gentis edaces

Ludebant circum, puppe uolante, ratem.
Mors canis aprorum esse feras quum crederet illos,
Ac ueluti in terram, se in mare præcipitat.
Prædæ alienæ obijt causa, non omnibus inquam
Sunt faciles cursus in pelago canibus.

E' GRAECO.

Quæ circum auricomos flores spatiaris, & erras
Flaua, o purpurei nuntia ueris apis.
Et loca percurris redolentia suaue, penates
Distendas cæra dulcia regna tenens.

ALLVSIO.

Sedula apis ueris picti prænuntia floris
Rosciduli lectrix flaua, laboris amans.
Murmure quæ loqueris dulci, decernis & acri
Marte animosa, animæ prodiga pro patria.
Quæ loca seplasiam redolentia diligis, hortos
Sacraui, irriguæ tum tibi murmur aquæ.
Casta hominum, & diuum cultrix tu pascis, honoras,
Nectare mortales, lumine cœlicolas.

DE ESCHINE ET DEMOSTHENE.

Eschini patria eiecto Demosthenes aurum
Donat, ei & suadet fortiter ista pati.
Ista feram? e patria pelli, in qua læsus & aurum
Donat, lædenti suadet & ista pati?

DE GRATIA.

Non mensura charim, uerum amor amplificat.

E GRAECO.

IN BVCVLAM MYRONIS

*Prætereas procul hanc, hanc ne'ue uocato bubulce,*
*Admittit mammis bucula non uitulum.*

E GRAECO.

*Grandine, tum tonitru, & niuibus nox atra ruebat,*
*Ecce leo fugiens frigora tum glaciem.*
*Artubus attritis solus, præcepsq; tremensq;*
*Caprarumq; timens ad stabula ipsa uenit.*
*Pastores gregis obliti, timidiq; sedebant,*
*Tunc seruatorem sollicitando Iouem.*
*Quumq; expectasset fera, tempestate peracta*
*Illæsisq; uiris, & grege digreditur.*
*Pastores statuam pictam hanc sub fronde comanti*
*Quercus seruati constituere Ioui.*

IN HASTAM ACHILLIS.

*Fraxinus ære micans, acies adamantina, & ingens,*
*Nec tractanda alijs Pelias hasta fui.*
*Vulnera quæ feci, poteram quoque tollere, & hostes*
*Ledere, & arte illos conciliare mea.*

E GRAECO.

*Tristi blesa somno plorans Pandione nata*
*Infelix uetitum Tereos usque torum.*
*Perq; domum totam, atque diem fles ecquid hirundo?*
*A tergo expectant, desine, te lachrymæ.*

E GRAECO.

*O pulchram laurum, ò pulchra ab radicibus unda*
*Efflult, & densus riuus inumbrat aquas.*

*Et ſpirant zephyri auxilium tibi dulce uiator*
*Leniter in calido ſole, labore, ſiti.*

E GRAECO.

*Vrbs ubi muri illi, ac ubi ſunt tua templa beata?*
*O ubi cæſorum tot capita alta boum?*
*O ubi ſunt alabaſtra diones, ueſtis & aurea*
*Tota? & imago tuæ Palladis indigenæ,*
*Cuncta labor rapuit, tum fuſio temporis, & ſors*
*Tam fortis ſortem concomitata aliam.*
*Tantum te ſuperat liuor grauis, at tibi nomen*
*Solum eſt intactum, & gloria ab excidio.*

E GRAECO.

*Quam bonus in ſenio natus, qui matris amatæ*
*Ridentem fecit iuſtitiæ eſſe domum.*
*Splendeo per natum, per me illuſtratur & idem,*
*Munere certamus mutuo, & officio.*

AD PICTOREM AMICVM.

*Fallacem, & uerum exoptas ſi pingere amicum,*
*Phthira & delphinem, qui ſimilantur habes.*
*Nam ſe alit humana de carne pedunculus ortus,*
*Ob fatum atque eadem deficiente fugit.*
*Delphin habens commune nihil diſcrimine in ipſo eſt*
*Dux, comes, & ductor, nauibus, atque uiris.*

AD LECTOREM.

*Si tu nil cupies, ipſe opulentus eris.*

E GRAECO.

*Morderetq; uirum mus prauum, ut dicitur, at ſic*
*Ipſe ego non dico, ſed magis ut decuit.*

*Verum morderetq; bonos, homines quoque lentos,*
*Sed non morderet mala timens coluber.*

E GR. IN SECVREM PRINCIPIS.

*Non bene agens, oculis me cernes esse bipennem,*
*Argentum at solum, si mala non facies.*

E GRAECO.

*Attica natorum esuriem cantando puella,*
*Lugendo aut potius, quæ trabis usque grauem.*
*Stridula stridululam rapuisti ex uite cicadam,*
*Fersq; uolatilibus prandia pignoribus.*
*Pennatam pennata, loquax lædisq; loquacem,*
*Vernam uerna trabis, hospitem & hospes habes.*
*Num subito eijcies? nec enim ab cantoribus ipsis*
*Cantores, iustum, aut fas perijsse fuit.*

AD AMICVM.

*Syrmate quid longo numeras tua stemmata? ab ortu*
*Vel mage ab excisis testibus incipiens.*
*Cecropa quid geminũ, quid eburnea membra recenses?*
*Concedam uincas nobilitate chaos.*
*Attamen è uili cœno tua turpis origo,*
*Tu quoque de turpi es semine progenitus.*
*Spiritu at erecto si uiuas turpe, & opacum hoc*
*Pulchrum erit, & solis lumine lucidius.*

E GRAECO.

*Ex hoc fonte bibas si uir tu accesseris hospes,*
*Si ingenio es mollis, ne bibe, me increpitans.*
*Vnda ego sum fortis forti placitura, uiroq;*
*Imbelli imbellis, mollior immo fluo.*

E GRAECO.

*Ventipedis mergi hunc tumulum appellato uiator,*
*Terra pedes cuius iam celeres tenuit.*
*Nam ſpatium effecit multis æquale carinis,*
*Longi auis ut curſus approperaret iter.*

E GRAECO.

*Nuper adhuc tenerum conuulſit ab ubere matris*
*Auritum, & celerem me pedibus leporem.*
*Phanium, & in gremio, atque ſinu dulciſſima alebat,*
*Floribus & uernis me ſaturabat amans.*
*Nec mage amor matris tangit me, uentre repleto*
*Eſcarum ingluuie turgidus emorior.*
*Meq; torum iuxta condit, uigilansq;, cubansq;*
*Vicinum ut me habeat, ſæpius & uideat.*

ALLVSIO.

*Si ſupereſt nobis aliquid morientibus, illud*
*Tot tibi pro officijs contribuiſſe uelim.*
*Præter te matrem non noui Phanion ullam,*
*Præ me nullus erat charior atque tibi.*
*Quod teſtata cibo es, gremio, pietate, ſepulchro,*
*Immo toro, ut mecum poſt mea fata cubes.*

IN PICTOREM.

*Stulte quid ingenio audaci quid'ue arte laboras,*
*Intentus mortem pingere uelle manu.*
*Illa erebi, & noctis, quanuis ſit filia, nuſquam eſt,*
*Attamen hanc ſi uis pingere, pinge nihil.*

E GRAECO.

*Dolium inane eſt uir ingratus, quicquid in illud*

*Infundens charitum congeris, omne perit.*

E GRAECO.

*Et terram in teretes sulcos inuertit aratro,*
*Sub clunes stimulum buccula passa grauem.*
*Et disiuncta labore iugi, tum libera aratro*
*Enutrit uitulum, nec labor iste minor.*
*Rustice ne uexes illam, nam paruulus iste,*
*Si parces uitulus quippe iuuencus erit.*

E GRAECO.

*Dum uolucrum Regina Ioui fert nuntia in auras*
*Sedibus astriferis unica digna auium.*
*Non potuit celerem cretis uitare sagittam,*
*Qua liquit cœlo saucia facta animam.*
*Nec latuere Iouem pœnæ, nanq; excidit ales*
*In cretem contra tunc iaculata uirum,*
*Colla sagitta ferit cordi prefixa uolucris,*
*Atque necis geminæ tincta cruore fuit.*

AD AMICVM.

*Mortali in genere est nil firmum, cuncta feruntur,*
*Nemo (ut prælegit) uiuit in hoc stadio.*

VITAM ESSE LVDVM.

*Ludo æquanda uni uita est, quam uiuimus, in quo*
*Vulgus sæpe sedet commodiore loco.*

E GRAECO.

*Hydra necem intentans iaculato aggressa ueneno*
*Vbera iam ceruæ, quæ pia mater erat.*
*Lacte uenenato dum pascitur ore parentis*
*Hinnulus immerito fata aliena bibit,*

E GRAECO.

*Gignit equus uespas, & apes peperere iuuenci.*

E' GRAECO.

*Luna laboranti Latonæ nata catellæ*
*Felices partus officiosa dedit.*
*Non modo fœmineos solita exaudire dolores,*
*Sed seruare etiam casta Diana canes.*

E' GRAECO.

*Dilaniastis apes puerum Hermonacta, chelidrum*
*Heu cynicœ ueluti dilaniastis apes.*
*Sæpe repercussum, & iaculis iugulastis echinnæ,*
*Ecquid damnamus, odimus, & colubros?*
*Parcite apes laudare Amintor, Lysidiceq́;*
*Nam quandoq; illis mel quoque triste fluit.*

ALLVSIO.

*Morsibus infantem, ac ueluti foret hydrus aragne,*
*Stellio, mus, fucus dilaniastis apes.*
*Sperandum ne pias tygres, placidamq́; charybdim?*
*Si tam nectareæ uirus habent charites.*

E' GRAECO.

*Veloci pedibus ueluti pernicibus alis*
*Transmisso instabat rete canis lepori.*
*Rupe alta lepus euicta deiecit in altum*
*Se mare, littoreas nanque timebat aquas.*
*Quem canis æquoreus mordaci corripit ore,*
*Ergo erat infelix debita præda canum.*

AD LECTOREM IRACVNDVM

*Sunt fratres amor, atque furor, uicina coluntq́;,*

*Hic cor, ille iecur, uirus uterque nocens.*

OMNIA MVTARI.

*Nil est sufficiens, firmum hic, remanensq́; reuoluit,*
*Mutat & extenuat circulus omne rotans.*

E GRAECO.

*Venantem lampona Mydæ, tum multa ferentem*
*Pro uictu, extinxit heu sitis ipsa canem.*
*Vnguibus humidulam terram fodiebat auarum*
*Ob fontem at tardæ sollicitantur aquæ.*
*Deficiens cecidit, ceruorum parcat ut iræ,*
*Quid iuuat extinctum si fluit unda modo?*

ALLVSIO.

*Emoriens Lampon peperit tibi stagna uiator,*
*Qua canis hic perijt, ne moriare siti.*
*Miraris, uiuens ceruos donauit, & apros,*
*Quid mirum, si post funera donat aquas.*

E GRAECO.

*Qui celeres transmisit equos iam cursibus æthon,*
*Qui primum in stadio tempora cinxit equus.*
*Qui prius euincens ludos tibi Phæbe sacratos,*
*Par cursu aerijs qui fuit alitibus.*
*Qui tulit insignem Iouis è certamine palmam,*
*Cuiq́; Isthmos bimaris, pisáq; serta dedit.*
*Nunc ueluti freno uinctus sua colla capistro*
*Conterit hic cererem pondere marmoreo.*
*Alcidæ est similis, qui post certamina tanta*
*Seruili exhibuit colla premenda iugo.*

E GRAECO.

## IN BVCVLAM MIRONIS.

*Repperit errantem ipse Myron, extraxit, & egit*
*De grege, coniunxit me lapidem & lapidi.*

## DE CVPIDINE.

*Dum nouus orbis erat, formosa & cuncta placerent,*
*In superos & dum maximus esset Amor.*
*Ille sibi elegit terræ, & pulcherrima cœli,*
*Phosphoron, & uitem punica mala, rosas.*
*Mala uelut gemmas, stellam ut micet æthere ab alto,*
*Vitem ut lætetur, ob sua serta rosas.*
*Allicit & malis, sertisq; coronat amantes,*
*Lumine blanditur, captat & ille mero.*

## E GRAECO.

*Ne mireris equum si nexus excutit ira,*
*Si latus infringit calcibus ille ratis.*
*Non maris assuetus, sed terræ excurrere tractus,*
*Nec patitur maior naue capi exigua.*
*Indignatur enim, quod sit pars ponderis illi*
*Iuncta rati superat qui leuitate notos.*

## ALLVSIO.

*Si gemo, si indignor, si calcibus aera pulso,*
*Qua uehor, inq; ratem uerbera si ingemino.*
*Si in uincla insurgo excutiens caput ipse superbum,*
*Si impatiens ponti stare loco nequeo.*
*Non mirum, non mi tellus, nec sufficit aer,*
*Si dubitas, inter astra uidebis equum.*

## E GRAECO.

*Puniceas chorus ecce caper puerilis habenas,*

Barbatis aptant & tibi frena labris.
Circum templa Dei certamina equestria monstrant,
Nos miti oblectes tergore ut ipse ferens.

E GRAECO.

Errantem lactentemq; Hermonacta puellum
Eheu quam iniuste uos iugulastis apes.
Ignorauit apes miser hic uos, uenit ut ad uos,
Anguibus at multo peius eratis apes.
Dulci etenim oppositæ Chariti, donastis acerbæ
Spicula ei mellis sanguinolenta loco.

AD IVLIAM GONZAGAM QVVM è cauea cadente extraxisset mortuam auem.

Nescio si credam exanimem te animasse uolucrem,
An potius uolucrem iam simulasse necem.
Currere gemmatos rores ut cernat ocellis,
Intret & aurato gaudeat inq; sinu.
Hausit at ut gemmas, olfecit ut aurea poma,
Nil mirum si sic fausta reuixit auis.

E GRAECO.

Frigus amans, solemq; simul iam liquerat undas
Extensus saxo polypus æquoreo.
Dissimilemq; color saxo monstrabat ab alto,
Inspiciens uelox hunc aquila arripuit.
Nexa comis ruit in pelagus miseranda uolucris
Et præda, & uità deniq; uterque caret.

ALITER.

Multipedem ut uidit Iouis ales ab aere piscem,

*Arripit, ille illam crinibus implicuit.*
*Ambo cadunt, sed auis uisu, decepta gulaq;*
*Immeritam ob prædam casu obijt merito.*

AD IVLIAM GONZ.

*Pectore si uolucres animas sperare licebit,*
*Te gremio infusos posse beare uiros.*

E GRAECO.

*Incusans boream super æquora salsa natabam*
*Thrax mihi tunc uentus pernitiosus erat.*
*At mihi subiecit philomelæ dulce canenti*
*Terga sua, & delphin per mare uexit auem.*
*Remige, non remis nam sum traducta fideli.*
*Nautam demulcens gutturis ipsa chely.*
*Non igitur mendax inter delphinas Arion,*
*Semper enim Musis se exhibuere duces.*

E GRAECO.

*Cerne decem annorum insidias, Troiæq; silentem,*
*Argolicis & equum militibus grauidum.*
*Pallas opus iussit faber & construxit Enipeus,*
*Terga & equi insilijt Græcia tota super.*
*Copia tanta hominum frustra peryisset, Atridis*
*Si fuit ad Martem marte dolus melior.*

E GRAECO.

*Villula Achemenidæ fueram, nunc facta Menippi,*
*Rursus & ex alio consequor ipsa alium.*
*Credidit ille etiam, rursum putat iste, tenere,*
*Sed penitus cedam nulli ego, fortis ero.*

IN FRATRES NATVRA IMPARES.

AD AMICVM.

*Moribus impariles si sunt Zaclias, & Egon,*
*Ex genetrice eadem, tum genitore sati,*
*Vnus Clitomacho pugili moderatior, alter*
*Pulsatore lyræ mollior est Sagari.*
*Ex eadem exortæ uitisq; rubusq; parente,*
*Dispare sed fructu est illaq;, & illa suo.*

E GRAECO.

*Caprarum pastor Monichus uigilare fidelem*
*Custodem gregis hic iussit Atlantiadem.*
*Ast ò per montes saturæ, lætæq; capellæ*
*Ne curate lupos, insidiasq; suas.*

E GR. PROBLEMA.

*Sum Pallas conflata auro, largita iuuentus*
*Materiam est, cantus quam iuuat, & numeri.*
*Octauam Thespis, mediamq; charisius auri,*
*Partem autem decimam præbuit ipse Solon.*
*Bis decimam dederat Temison; reliqua illa talenta*
*Ipse nouem, atque artem donat Aristonicus.*

E GRAECO.

*Arte laborata hæc, quæ cœlum amplectitur amplum*
*Pisoni mittit pocula Theogenes.*
*De sphera deducta sumus nos utraque, nostrum hoc*
*Austri signa tenet, sydera & hoc boreæ.*
*Nec plus inspicias ursam, geminas in utrisq;*
*Mensuras cernit, pocula qui ista bibit.*

ALLVSIO.

Grandia utrunque polum capientia sydera nolo
Des mihi, ut inde bibam pocula Theogenes.
Dum bibo, ne liquidas inuertat Aquarius undas
Ne dum uina uelim flumina fusa bibam.

AD ADRIANVM PONT. MAX. VINA CRETICA.

Grata alimenta Ioui fueramus prisca tenello,
Nunc tibi missa, Iouis qui regis imperium.
Hæc generosa bibens uina experiare, Tonanti
Vbera quæ fuimus, pocula facta sumus.

E GR. PROBLEMA.

Aeneus ipse Leo, mihi lumina bina tubi sunt,
Os'q; pedis dextri, tum simul ipsa uola.
Bina luce oculus dexter, cratera sinister
Terna implet, quarta planta'q; dextra pedis.
Horis os senis complet, tu dicito quantum
Cuncta simul faciunt, os, uola, et ambo oculi.

E GRAECO.

Anchoræ in æquoreo ne credas nauita fluctu,
Nec si detineat uincula firma solum.
In portu est submersus Ion, nautæ'q; natanti,
Et uiuo iniiciunt uincla, ligant'q; manus.
Nec prope saltato naues, nam pontus Iaccho est
Hostis, ab Hetruscis lex uenit ista uiris.

IN IVDAM SCARIOTEM.

Conditus hoc iacuit corio proiectus in æquor
Qui morti addixit patrem hominum, atque Deum.
Ne moriens terram attingat, ne'ue aera apertus

Hauriat, & madeat fluctibus inter aquas.
Immo ne ossa quidem ad scopulos electa quiescant,
Sed pugnas inter fracta, refracta agitent.
Tam sceleratum animal elementa, animalia abhorrent,
Ne inficiat tumulum, non habuit tumulum.
Immo audax, tantum & sæuus, tum publicus hostis
Communi caruit luce, loco, & requie.

E GRAECO.

O genus humanum uentis agitabile, & ira,
Sponte sciens mortis tempus ad usque nihil.

E GRAECO.

Pegasus incuso ingratam te mater equorum
Thessalia, indigno quod male fine fruor.
Isthmia deuici, qui pythia, olympia, & omnis
Græcia quem excœpit plausibus innumeris
Ipse impello molæ pondus Nisyritidos ingens,
Et fructum è spicis contero nunc Cereris.

E GRAECO.

Cuncta uorans, serpensq; domus per cuncta rapax mus
Ostreum & inspiciens ora in biulca subit.
Cœpit & ore suo mentitam rodere carnem,
Quum subito icta domus ostrea clausit iter.
Carcere mus capitur, nec enim datur exitus olli,
Qui mortem sibi met struxerit, & tumulum.

EPIT.

Ne quæras quæ sim, nec enim tibi dicere possum,
Nam scelus ob uisum muta repente fui.
Sed moriens iussi, ut facinus scriberatur in urna,

Causa ut sit cunctis publica, cur tacui.
Vidi oculis natum & natam mea pignora iunctos
Concubitu, tanto crimine sic stupui
Quod mihi surripuit iusta indignatio uocem,
Ex illo linguam detinet Harpocrates.
Ense scelus redimunt illi tres plectimur una
Liberi enim læto, Sigalione parens.

E GRAECO.

Tempora habent Amor, & tedæ, requies quoq; tempus.

E GRAECO.

Polypon expiscans iam Gonius æquore ab alto
Proÿcit in terram, uincula firma timens.
Sopitumq; super leporem cadit, & ligat illum,
Heu uenatores fugerat iste canes.
Captus et à capto pisce est, piscator & illum
Rursus enim cœpit, & leporem reperit.

E GRAECO.

Terreno exanimi per marmora salsa natanti
Iam fera subiecit pontica terga uiro.
Deq; mari in terram quod plus est, ipsa natavi
Hunc reuehens, pretium est ponderis interitus.
Inter nos sortem miseram mutauimus inquam,
Hæc me humus, hunc ab humo nostra peremit aqua.

AD IVLIAM GONZAGAM.

Venerat infernas tua Iulia achantis ad undas,
Atque ibi te recinens dulce gemebat auis.
Sensit ut esse tuam ipsa herebi Regina remisit,
Et uolucrem, & casus est miserata tuos.

Leniat ut rapto lachrymas tibi fratre decoras,
Nuntiet huncq; iugis ludere in elysijs.
Terge genas, lætare, facis nam tu unica Manes
Munificos in te Persephonemq; piam.

È GRAECO.

Quæ maris undisoni fugi discrimina, & undas,
Inq; solo matris nunc pereo manibus.
Stans consumpta igni est, ardens hostile uocabat
Vndarum fœdus, præsidiumq; simul.

E GRAECO.

Eia agite ò flauæ depascite summa timorum,
Mellitas frondes pascite apes placidæ.
Pomorum aut barbam teneram, atque papauera summa
Pallidulam aut uiolam, uisitatosq; acinos.
Omnia circum agite, & cæra compingite cellas,
Regna recensendo dum sua pastor amat.
Atque suas expertus opes gustuq; manuq;,
Et fumo maneat portio uestra tamen.

DE PHAETONTE.

Quid tumulum affectas falso mihi pingere Apelles?
Verior ars finxit iam monumenta mihi.
Alba colore nigro æthiopum mihi flebilis urnam
Populus ardenti pinxit in Eridano.

È GRAECO.

Ecquid continuum infelix Pandione nata
Deplorans resonas balba per ora uirum.
Virginitatis amor num te tenet, atque cupido,
Thraicius Tereus quam tibi surripuit.

E GRAECO.

*Hospes ad hunc fontem ueniens uir combibe, sed si*
*Natura es mollis, me fuge, te moneo.*
*Lympha uiris tantum placeo, quia mascula, at illis*
*Mollibus ex se ipsis mollior unda fluo.*

E GRAECO.

*Icare demersit te cæra soluta uolantem,*
*Aereus esq; iterum factus ab artifice.*
*Aerum parcas tractum attentare, lauacrum hoc*
*Aere ne recidens Icarium facias.*

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

*Quid tibi promittat cœlo auspice septimus annus*
*Paule hilares monstrant nam Phaetontis equi.*
*Hinnitu, atque comis motantibus exultantes*
*Naribus igniuomis accelerare diem.*
*Vt te fœlicem aspiciant, uenerentur, adorent,*
*Quem sors & uirtus enthea ad astra ferunt.*
*Et licet arctoo Boreas, atque Eurus eoum*
*Sibilet ille solo, concitet ille salum,*
*Illius intrepidus Dux es, qui uicit & orbem,*
*Et cohibet uentos, imperat atque mari.*

E GRAECO.

*In me tela tuli clypeus uenientia primum*
*Lætalem potans denique mortis aquam.*
*Ac neque quum fluctus preruptos euomit æquor,*
*Nausea quum nautas sternit amara maris.*
*Fœderis oblitus non sum, ueni usque ferendo*
*Pulchrum onus, ad dulcem te stationis opem.*

E' GRAECO.

*Nunc placidum est pelagus nautis, nunc cantat hirundo*
*Garrula, nunc spirat aura leuis Zephyri.*
*Prata suos pingunt flores, non murmurat æquor,*
*Aspera nec uentis percutit aura solum.*
*Anchora tollatur, tu nauita contrahe funes,*
*Et celeri extendas uela secunda rati.*
*Hæc ego Portunnus iubeo te nauta Priapus,*
*Quisquis mercator per mare curris iter.*

E' GRAECO.

*Fraudem ammoniacam ut nouit iam Gessius, & quod*
*Staret pro foribus mors inopina sibi.*
*Mentem incusauit propriam, & sua dogmata, credens*
*Vaniloquis, & qui pendet ab astrologis.*

E GRAECO.

*Inspiciens satyrum tanto inuigilare dolori*
*Ob pietatem Euan fecit eum lapidem.*
*Intolerabilium nec enim sic cura dolorum*
*Pulsa & adhuc, quanuis sit lapis iste, dolet.*

E GRAECO.

*Pes hircinus heri, & cambræ bis quinque dierum*
*Arida cœna fuit, tum niger asparagus.*
*Dicere, qui excœpit, caueo, nanque audit acute,*
*Ne me iterum inuitet, tum tremo, tum metuo.*

DE SATYRO CAPTIVO.

*Hunc in uincla cadum seruo, sic iussit Amyntas,*
*Qui me captiuum fecit, & hic posuit.*
*Vt uideam, & nequeam sitiens haurire falernum,*

Non poteram maius supplitium ipse pati.
O ego quam infelix, & tu crudelis Amynta
Pœna sitire mihi est, mors'q; uidere merum.

E' GRAECO.

Peruia iam plaustris Babylonis mœnia uidi
Ardua ad Alpheum fulmineum'q; Iouem.
Pendentes'q; hortos, solis'q; ex ære colossum,
Atque opus excelsum, & nobile pyramidum.
Mausoli & monumentum ingens, at quando Dianæ
Inspexi ad nubes surgere, & astra domum.
Illa obscura iacent, sub cœlo lumine Titan
Si quid enim cernit, par nihil esse potest.

E' GRAECO.

Fracta ego sum pinus uentis, ne me effice nauem
Postquam passa fui naufragium'q; solo.

EPIT.

Magnus diuitijs Torzo, tũ nomine maior,
Qui uirtute fuit maximus, atque atauis.
Pontifices geminos natos quum cerneret amplas
Vt Superis grates redderet, hinc abijt.

E' GRAECO.

Littoribus fueram uiolentis structa carina
Et nondum pulchros attigeram latices.
Non mare me expectat, sed agrestis fluxus in undas
Nauem oneris ualidi littoribus rapuit.
Semper enim infausta est arbor cui ponticus instat
Fluxus, & in terra tristis, & in pelago.

DE IVLIA GONZAGA.

Ore Phauonem illum in sylvis, & in urbe Monarcham
Quippe salutatos sat cecinistis aues.
Iulia nunc secli celebranda est gloria nostri,
Vni huic debetis, uos alit, ornat, amat.
Inq; sinu extinctas refouens uos suscitat, ecquis
Diuum ibi non cuperet uitam agere, immo mori?

E GRAECO.

Per uada dum ponti tranaret calle latenti
Polypus, hunc Phedon ut uidet, arripuit.
At postquam annexis euulsit brachia palmis,
Vinctus erat, piscem proijcit octipedem.
Eiectus leporis serpens ad lustra ligauit.
Veloces leporis nexibus ille pedes.
Nam captus cœpit Phœdon insperata uidebis,
Præmia utrinque solo scilicet, atque salo.

E GRAECO.

Aequorei fures ubi Ariona præcipitarunt
In uada de excelsa puppe profunda maris.
Mox illum excœpit residentem tergore delphin,
Et resonantem undis uexit ab æquoreis.
Vsque Corinthiacum donec peruenit ad Isthmum,
Longe homines superant impietate feras.

IN MORES SACERDOTVM.

Euocat orbe alio Censores Paulus, opimi
Vt uitia emendent inueterata gregis.
Non opus est censura ulla, rigidoq; Catone,
Nec qui conscripsit iura cruore uiro.

Sic

*Sic animum inficiunt morbosa hæc corpora pestes*
*Fœtorem ut nequeant, terra, fretumq́; pati.*
*Vlcera nanq; procul fugiunt obolontia Romæ*
*Theutones, & læsi nare Caledonij.*
*Indiget ista lues concreta Machaone sæuo,*
*Cancer edax ferro non nisi & igne perit.*

E GRAECO.

*Opportunus adest cursus ratis impetuosæ,*
*Non rubet horribilis unda agitata maris.*
*Iamq́; rotunda domum tecto suspendit hirundo,*
*Arrident teneris prataq́; germinibus.*
*Soluite iam nautæ retinacula quæ incubuere*
*Portubus, & funes soluite iam madidos.*
*Vela suis nodis bene tecta ligate, Priapus*
*Portumnus Bromij filius hæc iubeo.*

IN CALLIOPEM E GR.

*Calliope uocor, ipsa dedi cyro ubera noster*
*Orpheus unde, sacer Meonidesq́; bibit.*

E GRAECO.

*Non Hymenæus erat præsens, sed mors Clearistæ,*
*Quum soluit zonam corpore uirgineam.*
*Nocturnæ in foribus sponsæ dat tibia cantum*
*Nuper & in thalami limine clamor erat.*
*Mane ululant & Hymen tacitus, tristisq́; gemensq́;*
*Funestam mutat carmen in harmoniam.*
*Ipsæ etiam lucem thalamo, pariterq́; peremptæ*
*Ad stygis atra faces exhibuere uiam.*

AAA

E' GRAECO.

Viginti enixa atque nouem sum Callicratea
 Pignora; & inspexi nullius interitum.
Verum annos centum absolui tum quinq;, manumq;
 Nec tremula incedens imposui baculo.

ALITER.

Viginti atque nouem natos enixa nec ullum
 Vidi obijsse necem Callicratea parens.
Nec minus autumnis centum mi & quinq; peractis
 Vllus nec tremulum scipio rexit iter.

E' GRAECO.

Cede nemus sacrum Daphnes mihi, quod iacet extra
 Expositum æquoreis inclyta eremus aquis.
Dendryades Nymphæ hic, & marmora salsa colentes
 Pugnabant de me limite Nereides.
Lis sublata fuit Neptuno iudice tandem,
 Inter utrasq; ut sim terminus usque Deas.

E GRAECO.

Vinum equus est uati exculto præstantior, undam
 Qui bibit haud Phœbo dicere digna potest.
Bacche loquens isthæc uno haud spirabat ab utre
 Cratinus redolens dolium at omne meri.
Nam tibi serta ferens cantabat plurima, et illi
 Vtq; tibi ex hedera frons redimita fuit.

AD QVENDAM AMICVM.

Ecquid enim est istud, quod matutinus, & omni
 Tempore o'es græcum culte poeta merum?
Et te ipsum excusans imitarier Eschilon inquis,

Atque Enni tutum reris ob ingenium.

Ebrius infamas Musarum sobria, quanuis
Carmina docta facis, nescius illa facis.

E GRAECO.

Tu quis & unde uenis Dionysi? non mihi Bacchus
Verus es at solum te Iouis esse scio.
Bacchus olet nectar, tu caprum, expressit enim te
Ex spicis tellus gallica uitis inops.
Te cerealem igitur, non Bacchum dixero, quum sis
Frugigena, atque bromus denique, non Bromius.

EPIT.

Altera Græca Venus, totam quæ accenderat urbem,
Rapta Deo subijt frena pudicitiæ.
Atque trahens teneram per multa incommoda uitam
Succubuit tanto pondere, & occubuit.
Quæ Romam oblectans decorauit corpore pulchro,
Spiritu ut exornet nobiliore polos.

DE PHAETONTE.

Vana quid attentas tumulum mihi condere mater?
Perpetua Heliades mi monumenta dabunt.
Ira Iouis, Superumq; timor, solisq; labores,
Aequora succensa, & flumina, stagna, lacus.

E GRAECO.

Frondibus extremis quercus ne inside nocentis
O merula accliuis, ne'ue loquare sonum.
Hæc infesta tibi est arbor, properato, uirescens
Vitis ubi umbrosis luxuriosa comis.
Siste pedem in ramo illius circumq; racemos

*Ipsa canens dulcem gutture funde sonum.*
*Fert inimica auium quercus pro funere uiscum,*
*Vuam hæc, cantores denique Bacchus amat.*

AD ROMAM.

*Ni tollant penitus Mariana trophæa Quirites,*
*Intentant Latio Teutones exitium.*
*Roma caue, nec enim tua sunt, quæ tu ipsa sacrasti*
*Cælitibus, per quos libera facta iugo.*
*Si ueniunt rursus, uicti uictricia ad illa*
*Arma reuertentur, quæ modo, ut ante micant.*
*Hæc spolia accendunt animos uictoris, at illi*
*Ne recidant semper, quum cecidere, timent.*

E GRAECO.

*Paruula inæqualis tumidum sulcantibus æquor*
*Dicor & immensum nauibus intrepidis.*
*Scapha ego sum breuis, hoc fateor, sed per mare totum*
*Non mensura, at me sors facit esse parem.*
*Quippe magistrorum huic fidei plus sit, minus isti,*
*Salua ego sim Superis dummodo facta Deis.*

E GRAECO.

*Me prope adhuc ranam clamantem in gurgite Bacchi*
*Purum ex argento fontis habebat opus.*
*Incolo amica undas illas non hostis Iaccho,*
*Immo uina, & aquæ perplacuere mihi,*
*Olim tarda mero accessi, heu quicunque modesto*
*Potat aquas fatuas ille furore furit.*

EPIT.

*Corporis atque animi, fortunæ & dotibus ingens,*

Coniugio felix, pignoribusq; fui.
Casseriæ fuerat clarum mihi nomen Elisæ,
Sortis enim & uitæ flore nitens perij.
Humani generis quam sors est uitrea, lucet
Quo magis, heu, tanto frangitur illa magis.

E GRAECO.

Quæ scapha effugi iam multa pericula ponti,
In terra absumor matris & ipsa sinu.
Stantem illam rapiunt tam sæua incendia, ut ardens,
Quas maris effugit, uicta rogaret aquas.

E GRAECO.

Pro rate naufragium truncũ in mare ducite ne me,
In terra à uentis diruta pinus eram.

E GRAECO.

Sacramenta trium extrema inuiolanda sororum
Ante aram Priami constituere sacrum.
Verum tu Aenea Ausonium delatus in orbem,
Classe sacra ætheriæ munus enim patriæ.
Corruit utiliter turris Troiana, quod armis
Surrexit mundi martia Roma caput.

E GRAECO.

Ilios hæc quondam Priami clarissima, me Mars
Inuidus excindi non uoluit Danaum.
Prorsus, equi at lignum prauum, operijsset Enipeus,
Quam prius extructa lignea uincla forent.
Tectiuorum Atridis nec enim accendentibus ignem
Saxa in nostra ignis sic cecidisset edax.

AD COELIVM CALCAGNINVM.

*Quantus eras uates, absentem carmine noui.*
*Te ueluti Tarpæ, Pontificisq; chely.*
*Qualis & orator, præsentem his auribus ausi,*
*Quum Paulum meritis laudibus obrueres.*
*Plaudo tibi, & Musis, nam quem super astra locasti,*
*Has uocat orbe omni, tollit, honorat, amat.*

E GRAECO.

*Etsi sum sparsa hic puluis deserta Micenæ,*
*Et uidear scopulo uilior ipsa iacens.*
*Qui uidet altam urbem, Priami & penetralia, et ædes,*
*Quæ pressi phrygios depopulata lares.*
*Inde meas noscet uires, si uincor ab annis,*
*Quanta fui, semper testis Homerus erit.*

E GRAECO.

*Trade laboratam ex terra, dulcemq; lagenam,*
*Ortum terra dedit, terra dabit tumulum.*

E GRAECO.

*Murem Ascrepiades sub tecto ut uidit auarus,*
*Ecquid mus mecum dixit amice facis?*
*Reddit amice nihil mus ridens dulce, timorem*
*Pelle, domo indigeo, non prope te dapibus.*

ALITER.

*Quid tibi amice cupis, dixit, dum cernit auarus*
*Murem Ascrepiades proripuisse domum.*
*Dulce ait arridens mus, nil uerearis amice,*
*Non epulas prope te, sed cupio hospitium.*

PRO BARTHOLOMEO CROTO.

*Quod chelys argúta Aonidum, & uitæ integer esset,*
*Charus erat cunctis, charior & domino.*
*Quod fuit officij plenus, pugnator & æqui*
*Dignus, quem Princeps sic adamaret, erat.*
*Quod quoq; Alexandrum, & Paulũ dulci ore canebat*
*Laudibus his meruit, quod Crotus ipse foret.*
*Sic dominus dolet, hac cythara reticente, quòd illam*
*Deploraturus, si licuisset, erat.*

E GRAECO.

*Lectus habet binos draucos, totidemq; cinædos,*
*Qui peragunt crimen, tum patiuntur idem.*
*Quatuòr esse putas, sunt tres nisi, seruit utrique*
*Nam medius, quod agit, quod patiturq; simul.*

AD HIPPOLYTVM CARD. ESTENSEM.

*Inter se certant Rex maximus, atque Sacerdos,*
*Vt tibi honorem unus deferat, alter opes.*
*Quod te rellig:o, sanguis, prudentia, mores,*
*Inter & Heroas, Pontificesq; locant.*
*Lilia iure igitur tibi cœlica, & aurea uernant,*
*Quum sis uirtutis hortus, & agricola.*

E GRAECO.

*Vatibus in cœna cum istis pugnacibus, & cum*
*Litium Aristarchi litibus assiduis.*
*Dicere non illis studium, aut potare, sed ipso*
*Nestore, uti pueri, de Priamoq; loqui.*
*Ne m: nugosis lacerandum his obijce uictum,*

*Iram pande mihi Diua, hodie haud comedo.*

E GRAECO.

*Nondũ facta ratis fracta est, quid si isset in equor?*

IN FATVVM ET MORTVVM.

*Ingeme, & illachryma supra fatuum, atq; peremptum,*
*Consilio ille caret, quod caret iste anima.*

E GRAECO.

*Si intueare meo rogo, dicito amice bubulco,*
*Aere Myron quod me nexuit huic lapidi.*

DE DEFORMITATE VRBIS.

*Facta fuit subito facies deformior Vrbis,*
*Non cernenda magis, nec toleranda magis.*
*Proh dolor ora hominum, sunt facta Eresithonis ora*
*Tam longa & tristi debilitata fame.*
*Deserã ego hanc patriam, an maneã? mens anxia pẽdet,*
*Nam mansisse timor, deseruisse dolor.*

E GRAECO.

*Ex Venere & Baccho, quæ soluunt corpora turpis*
*Corpora quæ soluit, nam podagra exoritur.*

ALITER.

*Lædit membra merum, dissoluit corpora Cypris*
*Soluens membra ex his fœda oritur podagra.*

ALLVSIO.

*Ex patre tam suaui, tam pulchra ex matre, Deaq;,*
*Turpis, amara orta est, impia tam podagra.*

E GRAECO.

*Pro Abderis moriens Agathon fortissimus urbem*
*Plangentem circum funera totam habuit.*

Talem etenim iuuenem Mauors, qui sanguine gaudet,
Perdidit in tristi turbine belligero.

IN IMAGINEM SAPPHVS.

Aspicis hanc, eadem est quanuis de marmore Sapho
Lesbia, Apollineæ gloria summa lyræ.
Hæc ut erat parua est, & nigra, & amabilis, intus
Vritur absentem corde Phauona tenet.
Artifici debes uates, debemus & ipsi
Illius arte iterum uiuis, amas, loqueris.

E GRAECO.

Cantantes tam uinco nurus, quam uincit Homerus
Mortales, Sappho nomine dicor ego.

E GRAECO.

Cunctorum tempus custos, dæmonq; laborum
Nuntium eris nostris sollicitudinibus.
Qui seruare sacram tentantes Hellada terram,
Bœotium in claris limitibus morimur.

DE PVERO ANTIOCHENO

Saxa, & tigna meam mota tellure parentem
Oppressere, et me lapsa cadente domo.
Illa obit, intactus mansi miserabilis infans,
Inter & amplexus exanimes tacui.
Sic triduo infelix demortua & ubera suxi,
Quarta inter cæsos luce repertus eram.
Admirantur cuncti, ut tanta ruina pepercit
Vni unum & mater mortua lacte aluit.

E GRAECO.

Vir fuit Ippemon, & equus fuit ipse podargos

Tenargusq; canis, mancipiumq; Basus.
Thessalus e Creta Magnensis patre creatus
Emone belligerans febre cadit subita

E GRAECO.

Romulidum, quos atra uiri, prostrauit Enyo.
Ostendunt animi maxima signa sui.
Nullus enim in tergo signatus uulnere turpi,
Omnis at occultum trans styga fecit iter.

IN DAMAM.

Dama pererrabam proserpens rupibus altis,
Insidiosa minus, nec metuenda uiro.
Quum me uenator confixit arundine acuta,
Vipereo fuerat felle & arundo madens.
Tradidit & morti geminæ imanissimus hostis,
Vna nocens ferrum est, altera uirus erat.

E GRAECO.

Ni foret iste animo uelut est leo nomine, nunquam
Pressissem plantis hæc monumenta meis.

E GRAECO.

Bos puto clamabit, solus non ergo Prometheus
Quæ spirant, fingit corpora, & ipse Myron.

AD NAIADES.

Fonte sub illustri Nymphæ quæ luditis, ab nē
Vos retrahant tutis florea rura uadis.
Vepribus his latitant satyri, fauniq; bicornes,
Vim uobis, uobis insidiasq; parant.
Hic uos, & latices castæ seruate, Diana
Nanq; has sacrauit, dum lauat inter aquas.

E GRAECO.

*Omnimoda Oppianus mensis obsonia ponit*
*Descriptis ponti gentibus omnimodis.*

E GRAECO.

*Ad cœlum, & Manes dux est audacia, & illa*
*Sosandri natum duxit ad usque rogum.*
*Dorotheum, pthiæ lucem dum commodat unam,*
*Inter enim chimeram, temploq́, cæsus obit.*

IN ICARVM IMITATIO GR.

*Ex ære es, uideas, ne decipiaris ab arte,*
*Alarum credens Icare remigio.*
*Viuus eras quum iam caderes resupinus in æquor,*
*Aereus existens num reuolare paras?*

E GRAECO.

*Icare cæra olim audacem te perdidit, & nunc*
*Cæreus ipse iterum factus ab artifice es.*
*Verum age, ne liquidum moueas super aera pennas,*
*Balnea ne facias Icaria ipse cadens.*

E GRAECO.

*Qui me interfecit, clam me sepeliuit, honorem*
*Talem habeat, qualem reddidit ille mihi.*

IN EXILIVM OVIDII.

*Dulcia furta Deum, & teneros qui lusit amores,*
*Qui cecinit fastos, sydera & alta poli.*
*Heu procul à patrio miser exulat orbe poeta*
*In Diuum, & tanti Principis obprobrium.*
*Nec uos ò Superi uatem curatis amicum,*
*Vos qui torquetis fulmina, tela, faces.*

*Nil mirum si tu deprehensus fabula cœlo es,*
*Tu bos si mugis, si tu agis ipse boues.*

E' GRAECO.

*Iam Peloponessus Cretensem, & perdidit æquor*
*Et maleæ inflexi, qui latitant scopuli.*
*Damidis Astiamanta cydonion iste repleuit.*
*Pontigenas gentes, ingluuiemq́; suam.*
*Vrna ego sum mendax, quid mirum? Cretes & inter*
*Mendaces extans cernitur urna Iouis.*

IN QVENDAM AD SYLVESTRVM Ferrarium. mulus loquitur.

*Quum prope prætereo tua limina pondere onustus,*
*Scire cupis, quare rugio uoce tonans.*
*Rusticum, & ingratum queror, incusoq́; superbum,*
*Qui tibi erat socius, qui mihi erat dominus.*
*Nã memor hic quid erat, quodq́; est, nos despicit, odit*
*Te, quia scis stupidum hunc, me, quia uexi inopem.*

E GRAECO.

*Antea submersum Penei ad fluminis ora,*
*Dum super exigua nocte natat tabula.*
*Extemplo lupus exilijt de cespite denso,*
*Perdit & hunc, tellus sæuior ò pelago.*

E' GRAECO.

*Mugiet inspiciens uitulus me, & taurus inibit,*
*Cum grege me pastor coget & ire domum.*

ALLVSIO.

*Taurus init, uitula admugit, stimulatq́; bubulcus,*
*Me lupus inspiciens insidiasq́; parat.*

*Et uolitans circum me mordet asylus, ad aras*
*Me popa delusus dum trahit erubuit.*

DE PESIDICE METHINNEA.

*Cerne cruentatos lapides mea busta uiator,*
*Sub quibus illa tegor impia Pesidice.*
*Saucia Achillis eram forma impatienter, & illi*
*Prodideram patriæ mœnia clausa meæ.*
*Sustinui & flamma absumi, ferroq; parentes,*
*Tanti inerat pretium criminis ipsa Venus.*
*Præmia dum spero sum saxis obruta, uix sic*
*Cum uita extincta est tam scelerata Venus.*

E GRAECO.

*Viuentem è nassis felicibus, atque natantem*
*Plus mergo, atq; ullis piscibus in pelago.*
*Secessus maris attentantem haud remige multo,*
*Nautam iam Therin tripliciter uetulum.*
*Non tamen arcturus demersit, ne'ue procella*
*Annosum æquoreis exagitauit aquis.*
*Sub tugurij at culmo periJt, ueluti ipsa lucerna*
*Extinctus longo tempore sponte sua.*
*Non nati, aut pellex, illi struxere sepulchrum,*
*Sed piscatorum sedula turba pari.*

E GRAECO.

*Bucculam amice Myron finxit, uitulusq; parenti*
*Vt uiuæ applaudit, mugit & inspiciens.*

IN CRAESVM REGEM.

*Audistis, quod Cræsus erat ditissimus auri;*
*Luce una expiscans traxerat è pelago,*

Diuitias multas, quas naufraga merserat unda,
Atque diu tacito clauserat in gremio.
Explicuitq; sinus, ut Regem uidit amicum
Dis illa, hinc tantum prosperitatis habet.
Quem cupies, aurum cui sors mage deuebit, illi
Non modo terra, amnes, sed mare donat opes.

E G R A E C O.

Ne mihi, ridentes si tranant æquora uenti,
Molle susurrarit & Zephyri aura sonans,
Cernite Neobatem, timeo discrimina, quæ iam
Passus eram contra flumina, & arma gerens.

E G R A E C O.

Temporis exigui quum sis mortalis, ad horam
Nauita ne fias, nauta breui moritur.

DE SE IPSO.

Frigesco subito, nubendi si qua cupido est
Amphiarae tui, tum Menelae memor.
Illius at quoties oblitus, & illius uxor,
Commoda quum uideam, pignora quum cupiam.
Fortunate Ithace, & Mausole ab coniuge fida,
Tu suspiratus, tu quia & haustus eras.

E G R A E C O.

Nec te hora inspiciat nauta, nam uiuere longum
Non nautæ est, quum sis temporis exigui.

E G R A E C O.

Ad uaccam frustra acceleras ò taure, Myron te
Aere bouis fallit, pneumate nanq; caret.

AD FORTVNAM.

*Virgo uolubiliter subsidens orbe rotai*
*Quis te inter Superos iussit habere locum?*
*Stulti homines cœcam cœli me in parte locarunt,*
*Iam male si feci, peius ut efficiam.*

E GRAECO.

*Aggere arenoso gelidum caput ipsa grauabo*
*Littore sub gelido cætera membra tegens.*
*Ora rigans lachrymis mater tua iusta tuum nec*
*Funus Alexante uiderit æquoreum.*
*Verum te excæpit deserta & inhospita fossa*
*Terra repercussis proxima littoribus.*
*Partem ut arena habeat paruã, multum ut fleat hospes,*
*Postquam mercator tam male fata subis.*

E GRAECO.

*Vltra horam ne nauta esto, quum tempore uiuas*
*Paruo nam nautas nulla senecta uidet.*

IN ALEXANDRVM REGEM MACEDONVM.

*Magnus Alexander charis stimulatus amicis*
*Vt studeat natos progenuisse sibi.*
*Tot dixit palmas, tot linquo trophœa triumphos,*
*Hæc natæ, & nati, sunt monimenta, mei.*

E GRAECO.

*Plurima & ante suum cælauerat insula nomen*
*Nominéq; hominum nomen ut ante tulit.*
*Vos ab amore uocate, & uos, nam nulla sequetur*
*Mutati aut ficti nominis inuidia.*
*Nam pueri, quem uos celebri tumulastis honore*

*Et formam, & nomen conciliauit amor.*
*Terra sepulchralis, resonum prope & æquora littus,*
*Tu puero esto leuis, tuq; quiesce silens.*

E GRAECO.

*A cultu agrorum me spes Etheoclea ad æquor*
*Emporon externi traxerat offitij.*
*Calcabam dorsum Aegei cum naue profundi*
*A prora in tumidas precipitatus aquas.*
*Sum subito à Borea celeri haud spiramine uenti*
*Aream enim uerrunt, altaq; uela pari.*

E GRAECO.

*Solum hora sulcato salum, tibi quum breuis ætas*
*Contingat, nautas nam cita Parca domat.*

AD HERACLETVM.

*Heraclete fleas etiam sub marmore, nam uos*
*Nondum luctisonæ diminuistis aquæ.*
*Nos genus infelix primum sine labe parentes,*
*Heu condẽnarunt perpetuo ad lachrymas.*
*Ob mala quæ infestant nos omni tempore ubique,*
*Aere, humo, liquidis quæque oriuntur aquis.*

AD QVENDAM AMICVM.

*Aure furor sedet in celsa, si mollia sentit*
*Dormit, ubi exhaurit aspera uerba, furit.*

E GRAECO.

*Non mage eris scopulis alibi miserabilis exul,*
*Te perdix retinet uimine texta domus.*
*Tu neque concuties alarum extrema, calore*
*Te oblectans primo dum rubet æthra die.*

Nam caput incidit feles tibi, cætera cuncta
 Absumpsitq; gula est nec saturata sua.
Nunc grauis occultet puluis te, & plurimus inquam,
 Ne forte indaget ossa relicta tua.

E GRAECO.

Non mage laticoma rami sub fronde cicada
 Mulcebo pennis dum cano lucidulis.
Clam puer arripuit uiridi sub crine latentem
 Arboris, & pressa continet ille manu.

DE COMMODITATE.

Veste micans uaria formosa, iuuencula, diues,
 Fronte uerecunda, sub tacitoq;, gradu,
Occurrit quandoq; tibi, si apprehendis habeto
 Gaudia, diuitias, regnaq;, & imperia.
Occupa in occursu, nam si dimiseris illam,
 Non reditura tuis effugit e manibus.

AD QVENDAM.

Quum peteret quidam, sapientem sæpe Solonem,
 Quam bene nam possent mœnia lege coli.
Obsequiosi, inquit, sincero pectore parent
 Si Ducibus ciues, ciuibus atque Duces.

E GRAECO.

Vidisti, quod naufragio me absumpserit æquor,
 Nec pudor extrema me spoliare toga?
Me intrepidis & homo manibus nudauit, iniquum
 O scelus, ob lucrum surripuisse togam
Forte illam indueret, feret ac ad tartara, & ipsum
 Ornatum Minos ueste mea uideat.

AD LECTOREM.

*Aurum flamma probat, tempus amicitias.*

E GRAECO.

*In uiridi ramo pini frondentis, opacæ*
*Aut ulmi extremis implicita in folijs.*
*Mulcebas spinæ penna rutilante cicada*
*Pastores cythara dulcius ipsa canens.*
*Nunc data formicis, herebi spelea tenent te*
*Insperata necis causa uiator erat.*
*Dignum erat hoc uenia, si tu captiua fuisses*
*Nanq; etiam hymnorum qui fuerat dominus.*
*A piscatorum implicitis ambage loquelis*
*Iuit ad infernas captus Homerus aquas.*

AD TRES DEOS.

*Nassa, chelys, gladius, Nereu, Cyllenie, Mauors,*
*Sacrantur uestris munera digna tholis.*
*Piscator Pathagon, citharedus Lallus, Haornon*
*Miles, in his domini consenuere diu.*
*Respicite hæc Diui non ad munuscula, mens est,*
*Qua, licet exiles, magnificantur opes.*
*Grata fuere olim Nereu, Cyllenie, Mauors,*
*Ista quidem uobis, nassa, chelys, gladius.*

E GRAECO.

*Mulcenti locustæ agros, quercusq; cicadæ,*
*Communem tumulum struxerat ipsa Myro.*
*Surripuit duplicem ludum implacabilis orcus,*
*Causa hac irriguis uirgo madet lachrymis.*

ALLVSIO.

Sub tumulo tristis communi uirgo cicadam,
Locystamq́ premit nunc miserata Myro.
Vtraque terrigena, exanguis, uolucrisq́, loquaxq́,
Atque puellares utraque delitiæ.
Cantillant ambæ pariter plaudentibus alis,
Sibilat ista tamen, concinit illa magis.
Dispare sed forma, tum pastu dispare, agrestes
Altera tristificat, altera lætificat.

DE HIPPOLITO MEDICES.

ECHO.

Occupat hunc tumulum quis dæmon Italus? est ne
Hippolitus Medices? Hippolytus Medices.
Ille quidem? ille quidem, dubitanti rettulit umbra,
Ille idem ante diem qui perijt? perijt.
Vlterius perij; super ossa, per ossa, pererras
Erras, ista tua est nunc statio? statio;
Vix cœpit te ingens, ingens tua Roma tumentem,
Mentem, nunc habitas tam exiguum? exiguum
Quo fluxus, luxus, rerum & cecidistis amores?
Mores, cum tantis diuitijs? uitijs
In baratrumq́, atrumq́, omnes desceadimus, imus,
Mors parcit nullis perfida, fida uiris.
Postquam trunca breui tibi pensa fuere, fuere,
Addentur, dentur, gaudia, pax, requies.

E GRAECO.

Pertransi bona lingua loquacem Echo, atque tacentem,
Ne prodam uoces sollicitata tuas.

*Nam tua uerba in te inuerto, sed si ipsa silebis,*
*Tunc sileo, os nullum iustius ore meo est.*

E GRAECO.

*Hanc uitulam inspiciens clamabis forte Myronis,*
*Vel natura quidem defuncta est, uiua uel ars est.*

E GRAECO.

*Sex uini sextas portans Aphrodisius ad nos*
*Concidit in saxis, lucro erat ipse cadens.*
*Perdidit & uinum centauros, quod potuisset,*
*Nos quoq;, nos illud perdere, perdidimus.*

DE LVPA ET PICO.

*Quantum Romulidæ nostrum debetis utrique*
*Per nos seruatus conditor urbis erat.*
*Sæua quidem hunc circum stabant animalia multa,*
*Quum uariæ, & rapidæ multiplicantur aues.*
*Vtraq; Mauortis nati deuicimus hostes.*
*Picus aues rostro, tum lupa dente feras.*

AD SVAM CHARITEM.

*Floribus ex uarijs intextas mitto corollas,*
*Exorna his crines Diua superba tuos.*
*Vnde ego bis perij, dum siccas sole capillos,*
*Integis aurato reticuloq; Chari.*
*Quis non me Archemorum merito, dicetq; Chorebum,*
*Cingere honore comas, unde ego bis perij.*

E GRAECO.

*Cum reliquis bubus errarem uacca Myronis,*
*Ni mihi uixissent saxea uincla pedes.*

E GRAECO.

*Si usuræ hoc dederas, hoc nunc dás, hos ue daturus,*
*Crede mihi, ipse tui non herus æris eris.*

E GRAECO.

*Confectum è terra calicem mihi porrige dulcem,*
*Illa parens uiuo est, mortuo & hæc tumulus.*

E GRAECO.

*Qualiter, unde orior, cur ueni, ut ab orbe recedam,*
*Quomodo nulla sciens discere posse putem?*
*Qui fueram nihilum natus sum, rursus ut ante*
*Idem ego, nos nulli nam sumus, atque nihil.*
*Vnde uoluptati mihi pocula amica parato,*
*Nanq; malorum isthæc pharmacum, & antidotum.*

EPIT.

*Vrna duorum ista est, si nescis lector, amantum*
*Demophoonta tenet, Calliroenq; simul.*
*Iste ob Calliroen ob Demophoonta perempta hæc,*
*Demophoon sponsus, sponsáq; Calliroe.*
*Hic ferro, hæc ferro, captiuus uterque, libensq;,*
*Obprobrium ista pati, cernere & iste timens.*

E GRAECO.

*Mancus eram ad summos talos, & inutilis æger,*
*Contraxi morbum debilis à genesi.*
*Inter enim letum & uitam at uicinior orco*
*Sperabam tantum, cætera mortis erant.*
*Pœonia at sapiens me suscitat arte Philippus,*
*Quem pictum memori cernis in hac tabula*
*Rursum Antoninus terram, ut prius ambulo plantis,*
*Ambulo & ipse meis integer, & ualidus.*

E GRAECO.

Te'q; myopa Myron lusit, nam bucculæ ahenæ
Obstantis lateri figis aculeolum.
Incusanda myops non est decepit & ipsos
Nam pastorum oculos sedulu ipse Myron.

DE IVLIA GONZAGA.

Quæ potuit curas uolucris mulcere tenaces,
Viminea cecidit læsa cadente domo.
Sub'q; sinu Dominæ calefacta reuixit achanthis,
Nunc nisi Gonziacum concinit illa sinum.
Vt, quam mirati dixerunt carmine uates
Esse Deam, & cantu testificentur aues.

E GRAECO.

Dilecto coniuncta uiro est enixa puellam,
Atque marem, & neutrum filia grammatici.

E GRAECO.

Nauibus extendas iam uincla uolantia, soluens
Mercator portu uincula longa ratis.
Præteriere hyemes, & nunc effœminat undam
Cæruleam ridens molliter hic Zephyrus.
Prolis amans labijs blesis & garrula nostris
Suspendit domibus iam philomela domum.
Iam flores nascuntur humi, suadente Priapo,
Quo tu uela uelis trade secunda notis.

E GRAECO.

Quid fabri primum fallaci creditis alto?
Quam ex imo euulsit montibus ipse notus.

Scapha mari, nec ero fœlix, aquilonibus hostis
Arbor, & in terra sors mihi nota maris.

E GRAECO.

Mercurius pernix ego sum, mutilumq; palestræ
Quid manibus nostris fingitis, & pedibus?
Sic ego nec uelox, nec strenuus hic, basis arctat
Ima manus, palmis sic careo, & pedibus.

E GRAECO.

Amplius ô fabri syluas nec cædite, nauis
Pinea non currit per mare, sed corium.
Non opus est ratibus, clauo, ferro'ue ligatus
Nauigij lino fortiter est paries.
Quando salum has habuit naues? iam terra tenebat
Plaustri alias instar, quæ patiuntur onus.
Laudauere Argon ueteres, sed forma Sabinum,
Quam docuit Pallas, est magis ista recens.

E P I T.

Aequa parum quæ me suspiria ad alta citasti,
Elicis eq; meis flumina mors, oculis.
Non modo me, uerum ad questus trahis inuida amicos
Musarum, & Musas, prorsus & Ausoniam.
Nam decus, heu rarum occubuit Lampridius æui
Nostri inquam, & nostræ posteritatis honor.
Ecce iterum miseræ renouantur damna Cremonæ,
Et Phaetontiades flentq;, gemuntq; iterum.
Luctu hausti uix labuntur mœrore Poetæ
Mincius, urna, & mors, Eridanusq; pater.

E G R A E C O.

Tenargusq; canis, mancipiumq; Basus.
Thessalus e Creta Magnensis patre creatus
Emone belligerans febre cadit subita

E GRAECO.

Romulidum, quos atra uiri, prostrauit Enyo.
Ostendunt animi maxima signa sui.
Nullus enim in tergo signatus uulnere turpi,
Omnis at occultum trans styga fecit iter.

IN DAMAM.

Dama pererrabam proserpens rupibus altis,
Insidiosa minus, nec metuenda ultro.
Quum me uenator confixit arundine acuta,
Vipereo fuerat felle & arundo madens.
Tradidit & morti geminæ imanissimus hostis,
Vna nocens ferrum est, altera uirus erat.

E GRAECO.

Ni foret iste animo uelut est leo nomine, nunquam
Pressissem plantis hæc monumenta meis.

E GRAECO.

Bos puto clamabit, solus non ergo Prometheus
Quæ spirant, fingit corpora, & ipse Myron.

AD NAIADES.

Fonte sub illustri Nymphæ quæ luditis, ah ne
Vos retrahant tutis florea rura uadis.
Vepribus his latitant satyri, fauniq; bicornes,
Vim uobis, uobis insidiasq; parant.
Hic uos, & latices castæ seruate, Diana
Nanq; has sacrauit, dum lauat inter aquas.

E GRAECO.

*Omnimoda Oppianus mensis obsonia ponit*
*Descriptis ponti gentibus omnimodis.*

E GRAECO.

*Ad cœlum, & Manes dux est audacia, & illa*
*Sosandri natum duxit ad usque rogum.*
*Dorotheum, pthiæ lucem dum commodat unam,*
*Inter enim chimeram, templa'q; cæsus obit.*

IN ICARVM IMITATIO GR.

*Ex ære es, uideas, ne decipiaris ab arte,*
*Alarum credens Icare remigio.*
*Viuus eras quum iam caderes resupinus in æquor,*
*Aereus existens num reuolare paras?*

E GRAECO.

*Icare cæra olim audacem te perdidit, & nunc*
*Cæreus ipse iterum factus ab artifice es.*
*Verum age, ne liquidum moueas super aera pennas,*
*Balnea ne facias Icaria ipse cadens.*

E GRAECO.

*Qui me interfecit, clam me sepeliuit, honorem*
*Talem habeat, qualem reddidit ille mihi.*

IN EXILIVM OVIDII.

*Dulcia furta Deum, & teneros qui lusit amores,*
*Qui cecinit fastos, sydera & alta poli.*
*Heu procul à patrio miser exulat orbe poeta*
*In Diuum, & tanti Principis obprobrium.*
*Nec uos ò Superi uatem curatis amicum,*
*Vos qui torquetis fulmina, tela, faces.*

*Nil mirum si tu deprehensus fabula cœlo es,*
*Tu bos si mugis, si tu agis ipse boues.*

E GRAECO.

*Iam Peloponessus Cretensem, & perdidit æquor*
*Et maleæ inflexi, qui latitant scopuli.*
*Damidis Astiamanta cydonion iste repleuit*
*Pontigenas gentes, ingluuiemq; suam.*
*Vrna ego sum mendax, quid mirum? Cretes & inter*
*Mendaces extans cernitur urna Iouis.*

IN QVENDAM AD SYLVESTRVM
Ferrarium. mulus loquitur.

*Quum prope prætereo tua limina pondere onustus,*
*Scire cupis, quare rugio uoce tonans.*
*Rusticum, & ingratum queror, incusoq; superbum,*
*Qui tibi erat socius, qui mihi erat dominus.*
*Nã memor hic quid erat, quodq; est, nos despicit, odit*
*Te, quia scis stupidum hunc, me, quia uexi inopem.*

E GRAECO.

*Antea submersum Penei ad fluminis ora,*
*Dum super exigua nocte natat tabula.*
*Extemplo lupus exilijt de cespite denso,*
*Perdit & hunc, tellus sæuior o pelago.*

E GRAECO.

*Mugiet inspiciens uitulus me, & taurus inibit,*
*Cum grege me pastor coget & ire domum.*

ALLVSIO.

*Taurus init, uitula admugit, stimulatq; bubulcus,*
*Me lupus inspiciens insidiasq; parat.*

Et uolitans circum me mordet asylus, ad aras
Me popa delusus dum trahit erubuit.

DE PESIDICE METHINNEA.

Cerne cruentatos lapides mea busta uiator,
Sub quibus illa tegor impia Pesidice.
Saucia Achillis eram forma impatienter, & illi
Prodideram patriæ mœnia clausa meæ.
Sustinui & flamma absumi, ferroq; parentes,
Tanti inerat pretium criminis ipsa Venus.
Præmia dum spero sum saxis obruta, uix sic
Cum uita extincta est tam scelerata Venus.

E GRAECO.

Viuentem è nassis felicibus, atque natantem
Plus mergo, atq; ullis piscibus in pelago.
Secessus maris attentantem haud remige multo,
Nautam iam Therin tripliciter uetulum.
Non tamen arcturus demersit, ne'ue procella
Annosum æquoreis exagitauit aquis.
Sub tuguri at culmo perijt, ueluti ipsa lucerna
Extinctus longo tempore sponte sua.
Non nati, aut pellex, illi struxere sepulchrum,
Sed piscatorum sedula turba pari.

E GRAECO.

Bucculam amice Myron finxit, uitulusq; parenti
Vt uiuæ applaudit, mugit & inspiciens.

IN CRAESVM REGEM.

Audistis, quod Cræsus erat ditissimus auri,
Luce una expiscans traxerat è pelago.

*Diuitias multas, quas naufraga merserat unda,*
*Atque diu tacito clauserat in gremio.*
*Explicuitq; sinus, ut Regem uidit amicum*
*Dis illa, hinc tantum prosperitatis habet.*
*Quem cupies, aurum cui sors mage deuehit, illi*
*Non modò terra, amnes, sed mare donat opes.*

E GRAECO.

*Ne mihi, ridentes si tranant æquora uenti,*
*Molle susurrarit & Zephyri aura sonans,*
*Cernite Neobotem, timeo discrimina, quæ iam*
*Passus eram contra flumina, & arma gerens.*

E GRAECO.

*Temporis exigui quum sis mortalis, ad horam*
*Nauita ne fias, nauta breui moritur*

DE SE IPSO.

*Frigesco subito, nubendi si qua cupido est*
*Amphiarae tui, tum Menelae memor.*
*Illius at quoties oblitus, & illius, uxor,*
*Commoda quum uideam, pignora quum cupiam.*
*Fortunate Ithace, & Mausole ab coniuge fida,*
*Tu suspiratus, tu quia & haustus eras.*

E GRAECO.

*Nec te hora inspiciat nauta, nam uiuere longum*
*Non nautæ est, quum sis temporis exigui.*

E GRAECO.

*Ad uaccam frustra acceleras ò taure, Myron te*
*Aere bouis fallit, pneumate nanq; caret.*

AD FORTVNAM.

*Virgo uolubiliter subsidens orbe rotai*
*Quis te inter Superos iussit habere locum?*
*Stulti homines cœcàm cœli me in parte locarunt,*
*Iam male si feci, peius ut efficiam.*

E GRAECO.

*Aggere arenoso gelidum caput ipsa grauabo*
*Littore sub gelido cætera membra tegens.*
*Ora rigans lachrymis mater tua iusta tuum nec*
*Funus Alexante uiderit æquoreum.*
*Verum te excæpit deserta & inhospita fossa*
*Terra repercussis proxima littoribus.*
*Partem ut arena habeat paruã, multum ut fleat hospes,*
*Posquam mercator tam male fata subis.*

E GRAECO.

*Vltra horam ne nauta esto, quum tempore uiuas*
*Paruo nam nautas nulla senecta uidet.*

IN ALEXANDRVM REGEM MACEDONVM.

*Magnus Alexander charis stimulatus amicis*
*Vt studeat natos progenuisse sibi.*
*Tot dixit palmas, tot linquo trophœi triumphos,*
*Hæc natæ, & nati, sunt monimenta, mei.*

E GRAECO.

*Plurima & ante suum cælauerat insula nomen*
*Nominé deq; hominum nomen ut ante tulit.*
*Vos ab amore uocate, & uos, nam nulla sequetur*
*Mutati aut ficti nominis inuidia.*
*Nam pueri, quem uos celebri tumulastis honore*

*Et formam, & nomen conciliauit amor.*
*Terra sepulchralis, resonum prope & æquora littus,*
*Tu puero esto leuis, tuq; quiesce silens.*

E GRAECO.

*A cultu agrorum me spes Etheoclea ad æquor*
*Emporon externi traxerat offitij.*
*Calcabam dorsum Aegei cum naue profundi*
*A prora in tumidas precipitatus aquas.*
*Sum subito à Borea celeri haud spiramine uenti*
*Aream enim uerrunt, altaq; uela pari.*

E GRAECO.

*Solum hora sulcato salum, tibi quum breuis ætas*
*Contingat, nautas nam cita Parca domat.*

AD HERACLETVM.

*Heraclete fleas etiam sub marmore, nam uos*
*Nondum luctisonæ diminuistis aquæ.*
*Nos genus infelix primum sine labe parentes,*
*Heu condẽnarunt perpetuo ad lachrymas.*
*Ob mala quæ infestant nos omni tempore ubique,*
*Aere, humo, liquidis quæque oriuntur aquis.*

AD QVENDAM AMICVM.

*Aure furor sedet in celsa, si mollia sentit*
*Dormit, ubi exhaurit aspera uerba, furit.*

E GRAECO.

*Non mage eris scopulis alibi miserabilis exul,*
*Te perdix retinet uimine texta domus.*
*Tu neque concuties alarum extrema, calore*
*Te oblectans primo dum rubet æthra die.*

Nam caput incidit feles tibi, cætera cuncta
  Absumpsitq; gula est nec saturata sua.
Nunc grauis occultet puluis te, & plurimus inquam,
  Ne forte indaget ossa relicta tua.

E GRAECO.

Non mage laticoma rami sub fronde cicada
  Mulcebo pennis dum cano lucidulis.
Clam puer arripuit uiridi sub crine latentem
  Arboris, & pressa continet ille manu.

DE COMMODITATE.

Veste micans uaria formosa, iuuencula, diues,
  Fronte uerecunda, sub tacitoq;, gradu,
Occurrit quandoq; tibi, si apprehendis habeto
  Gaudia, diuitias, regnaq;, & imperia.
Occupa in occursu, nam si dimiseris illam,
  Non reditura tuis effugit è manibus.

AD QVENDAM.

Quum peteret quidam, sapientem sæpe Solonem,
  Quam bene nam possent mœnia lege coli.
Obsequiosi, inquit, sincero pectore parent
  Si Ducibus ciues, ciuibus atque Duces.

E GRAECO.

Vidisti, quod naufragio me absumpserit æquor,
  Nec pudor extrema me spoliare toga?
Me intrepidis & homo manibus nudauit, iniquum
  O scelus, ob lucrum surripuisse togam
Forte illam indueret, feret ac ad tartara, & ipsum
  Ornatum Minos ueste mea uideat.

AD LECTOREM.

*Aurum flamma probat, tempus amicitias.*

E GRAECO.

*In uiridi ramo pini frondentis, opacæ*
*Aut ulmi extremis implicita in folijs.*
*Mulcebas spinæ penna rutilante cicada*
*Pastores cythara dulcius ipsa canens.*
*Nunc data formicis, herebi spelea tenent te*
*Insperata necis causa uiator erat.*
*Dignum erat hoc uenia, si tu captiua fuisses*
*Nanq, etiam hymnorum qui fuerat dominus.*
*A piscatorum implicitis ambage loquelis*
*Iuit ad infernas captus Homerus aquas.*

AD TRES DEOS.

*Nassa, chelys, gladius, Nereu, Cyllenie, Mauors,*
*Sacrantur uestris munera digna tholis.*
*Piscator Pathagon, citharedus Lallus, Haornon*
*Miles, in his domini consenuere diu.*
*Respicite hæc Diui non ad munuscula, mens est,*
*Qua, licet exiles, magnificantur opes.*
*Grata fuere olim Nereu, Cyllenie, Mauors,*
*Ista quidem uobis, nassa, chelys, gladius.*

E GRAECO.

*Mulcenti locustæ agros, quercusq, cicadæ,*
*Communem tumulum struxerat ipsa Myro.*
*Surripuit duplicem ludum implacabilis orcus,*
*Causa hac irriguis uirgo madet lachrymis.*

ALLVSIO.

*Sub tumulo tristis communi uirgo cicadam,*
*Locustamq́, premit nunc miserata Myro.*
*Vtraque terrigena, exanguis, uolucrisq́, loquaxq́,*
*Atque puellares utraque delitiæ.*
*Cantillant ambæ pariter plaudentibus alis,*
*Sibilat ista tamen, concinit illa magis.*
*Dispare sed forma, tum pastu dispare, agrestes*
*Altera tristificat, altera lætificat.*

DE HIPPOLITO MEDICES.

ECHO.

*Occupat hunc tumulum quis dæmon Italus? est ne*
*Hippolitus Medices? Hippolytus Medices.*
*Ille quidem? ille quidem, dubitanti rettulit umbra,*
*Ille idem ante diem qui perijt? perijt.*
*Vlterius petij, super ossa, per ossa, pererras*
*Erras, ista tua est nunc statio? statio;*
*Vix cœpit te ingens, ingens tua Roma tumentem,*
*Mentem, nunc habitas tam exiguum? exiguum*
*Quo fluxus, luxus, rerum & cecidistis amores?*
*Mores, cum tantis diuitijs? uitijs*
*In baratrumq́, atrumq́, omnes desceadimus, imus,*
*Mors parcit nullis perfida, fida uiris.*
*Postquam trunca breui tibi pensa fuere, fuere,*
*Addentur, dentur, gaudia, pax, requies.*

E GRAECO.

*Pertransi bona lingua loquacem Echo, atque tacentem,*
*Ne prodam uoces sollicitata tuas.*

Si usuræ hoc dederas, hoc nunc das, hos ue daturus,
Crede mihi, ipse tui non herus æris eris.

E GRAECO.

Confectum è terra calicem mihi porrige dulcem,
Illa parens uiuo est, mortuo & hæc tumulus.

E GRAECO.

Qualiter, unde orior, cur ueni, ut ab orbe recedam,
Quomodo nulla sciens discere posse putem?
Qui fueram nihilum natus sum, rursus ut ante
Idem ego, nos nulli nam sumus, atque nihil.
Vnde uoluptati mihi pocula amica parato,
Nanq; malorum istbæc pharmacum, & antidotum

EPIT.

Vrna duorum ista est, si nescis lector, amantum
Demophoonta tenet, Calliroenq; simul.
Iste ob Calliroen ob Demophoonta perempta hæc,
Demophoon sponsus, sponsaq; Calliroe.
Hic ferro, hæc ferro, captiuus uterque, libensq;,
Obprobrium ista pati, cernere & iste timens.

E GRAECO.

Mancus eram ad summos talos; & inutilis æger,
Contraxi morbum debilis à genesi.
Inter enim letum & uitam at uicinior orco
Sperabam tantum, cætera mortis erant.
Pœonia at sapiens me suscitat arte Philippus,
Quem pictum memori cernis in hac tabula
Rursum Antoninus terram, ut prius ambulo plantis,
Ambulo & ipse meis integer, & ualidus.

E GRAECO.

Te'q; myopa Myron lusit, nam bucculæ abenæ
Obstantis lateri figis aculeolum.
Incusanda myops non est decepit & ipsos
Nam pastorum oculos sedulu- ipse Myron.

DE IVLIA GONZAGA.

Quæ potuit curas uolucris mulcere tenaces,
Viminea cecidit læsa cadente domo.
Sub'q; sinu Dominæ calefacta reuixit achanthis,
Nunc nisi Gonziacum concinit illa sinum.
Vt, quam mirati dixerunt carmine uates
Esse Deam, & cantu testificentur aues.

E GRAECO.

Dilecto coniuncta uiro est enixa puellam,
Atque marem, & neutrum filia grammatici.

E GRAECO.

Nauibus extendas iam uincla uolantia, soluens
Mercator portu uincula longa ratis.
Præteriere hyemes, & nunc effœminat undam
Cæruleam ridens molliter hic Zephyrus.
Prolis amans labijs blesis & garrula nostris
Suspendit domibus iam philomela domum.
Iam flores nascuntur humi, suadente Priapo,
Quo tu uela uelis trade secunda notis.

E GRAECO.

Quid fabri primum fallaci creditis alto?
Quam ex imo euulsit montibus ipse notus.

Scapha mari, nec ero fœlix, aquilonibus hostis
Arbor, & in terra sors mihi nota maris.

E GRAECO.

Mercurius pernix ego sum, mutilumq; palestræ
Quid manibus nostris fingitis, & pedibus?
Sic ego nec uelox, nec strenuus hic, basis arctat
Ima manus, palmis sic careo, & pedibus.

E GRAECO.

Amplius ô fabri syluas nec cædite, nauis
Pinea non currit per mare sed corium.
Non opus est ratibus, clauo, ferro'ue ligatus
Nauigij lino fortiter est paries.
Quando salum has habuit naues? iam terra tenebat
Plaustri alias instar, quæ patiuntur onus.
Laudauere Argon ueteres, sed forma Sabinum,
Quam docuit Pallas, est magis ista recens.

EPIT.

Aequa parum quæ me suspiria ad alta citasti,
Elicis eq; meis flumina mors, oculis.
Non modo me, uerum ad questus trahis inuida amicos
Musarum, & Musas, prorsus & Ausoniam.
Nam decus, heu rarum occubuit Lampridius æui
Nostri inquam, & nostræ posteritatis honor.
Ecce iterum miseræ renouantur damna Cremonæ,
Et Phaetontiades flentq;, gemuntq; iterum.
Luctu' hausti uix labuntur mœrore Poetæ
Mincius, urna, & mors, Eridanusq; pater.

E GRAECO.

*Quære domos alias, ubi sint fur lucra, fidelis*
*Paupertas custos insidet huic domui.*

DE BIBVLO CONSVLE.

*Forsitan ô Bibule expectas tua nomina, & ipsa*
*Clara recenseri gesta meis numeris.*
*Sed frustra speras, quid enim te consule factum est?*
*Quanuis collega Cæsare consul eras.*
*Quod si quid Romæ egregium, uel nobile gestum,*
*Id factum est Caio & Cæsare consulibus.*

E GRAECO.

*Qualem te genuit terna sub nocte Deum Rex,*
*Vidit & Euristheus premia ferre sibi.*
*Qualis eras cælum Alcida quum scandis ab igne,*
*Icona hanc talem cernimus esse tuam.*
*Alcmenæ partum sentit lapis ipse, minus nunc*
*Thebarum fictis credimus historijs.*

E GRAECO.

*Auri diues eram non parui regia Atridæ,*
*Quæ cœpi à Superis iam genus, atque domum.*
*Semideis olim grais Regina uocabar.*
*Tuta Deum straui pergama structa manu.*
*Pascua nunc ouibus iaceo hic, bubusq; Mycenæ,*
*Magnorum tantum nunc mihi nomen habens.*

DE SE IPSO.

*Ingens speleum intraram formidine plenum,*
*Compulit huc tenebris nox reuoluta caput.*
*Irruit in me ignis iactans incendia Dæmon,*
*Non timui immo ipsum persequor ense, fugit.*

Interiora antri repetens euanuit, auri
Illic infecti multa talenta nitent.
Me me onero, gremium, atque sinum suffarcio, abibam
Nec poteram limen, nec reperire uiam.
Deposui prædam, tum limen cerno, uiamq;,
Ipse resumo aurum, perdo, ego rursus iter.
Hercule qui dextro Zopyrum, Pelopemq; putabam
Et fore me Cræsum, Tantalus ipse fui.

E GRAECO.

Per dextram inferni Regis iuramus, & atros
Coniugis horrendæ Persephones thalamos.
Virginitas comitata etiam est nos ad styga, amarus
Archilochus licet in nos mala n[illegible] ca ferat.
Carmina conuertens qui pulchra in triste theatrum
Indixit bellum carmine uirginibus.
Quid castæ in castas Musæ uertistis iambos?
Vestra erat indignus tam sceleratus ope.

E GRAECO.

Me plumbum, marmorq; tenent ratione Myronis,
Ast loto artificis pascor, & ex folijs.

IN PATERAM ADDICTAM FONTI.

Forte calix ueniens charitis sitientia ad ora,
Dicito quum dederit casta labella tuis,
O' me felicem, licuit cui sumere tantum,
Quod non mortales, nec potuere Dei.

E GRAECO.

Villula Achemenidæ nunc sum possessa Menippo,

Inq; alium rursus transferor ex alio.
Denuo ut iste putat, quondam ille & habere putabat,
Sed quum sim sortis, nemo tenere potest.

E' G R A E C O.

Hic aurum inueniens laqueum dimisit, ut aurum
Non reperit dominus, colla ligat laqueo.

IN ALTHEAM.

In puteum exciderant, & opem lupa blanda petebat
Altheæ, catuli ne moriantur aquis.
Thestias exclamat, natos tutabor ab undis
Ipsa tuos, flammis perdere sueta meos?

E GRAECO.

Auro hic inuento laqueum dimisit, at auri
Conditor inuento colla ligat laqueo.

IN QVENDAM.

Non sunt egregij egregijs ex urbibus orti,
Sed digni qui sunt urbibus egregijs.

IN NOVERCAM.

Iecit Athon lapidem, dextraq; errante nouercam
Verberat, intendens lædere uelle canem.
Dumq; petit ueniam, dicens se errasse nouercam
Expertus Thennes, non fuit error, ait.

E GRAECO.

Serta nouercali tumulo dabat, atque columnæ,
Mutatos mores dum putat esse puer.
Quum puerum oppressit subito acclinata, nouercæ
O priuigne etiam dira sepulchra fuge.

Liquisti patriam, & uitam, non amplius es mus
Barbarus, ut uiuas cum Charite, immo sapis.

E GRAECO.

Fabula Homero Argos, atque Hellados æntbea tellus,
Aurea quondam etiam Perseos Acropolis.
Illorum extincta est heroum gloria, Troiæ
Quæ constructa Deis mœnia diruerat.
Vrbs præclara quidem, sed dum cadit eruta, monstrat,
Quam bene mugentum sit stabula alta boum.

E GRAECO.

Inclytus in Thebis Cadmi torus, ast odiosus
Oedipodæ amplexus, sacra Lyeus amat.
Quæ irridens Pentheus defleuit mœnia, quæ iam
Sunt constructa sono, tum resoluta sono.
Antiopes felix Iocastæ at partus iniquus,
Ino prolis amans, impius ast Athamas.
Vrbs usque infelix, de tristibus, ecce querelis,
Deq; bonis Thebæ, sufficit historia.

IN ARANEAM.

Aere quid casses suspendis aranea pendens?
Laniuomo ore trahens sedula litis opus?
Musca repercussis applaudit dulciter alis,
Ipsa ut eras etiam, pulchra puella fuit.
Nunc præda, ecce, gemit, mutata ab uirgine uirgo,
Nam similes casus conciliare solent.

E GRAECO.

Vidit ut Eurotam spartæ, laus inclyta gentis
Elius Ausoniæ, salue ait, optima aqua.

*Dum librum historiæ multæ dextra ille perita*
*Volueret, in summo uertice uidit auem.*
*Doctrinæ inditium facilis, quæ est æmula uocis.*
*Humanæ, umbrosis pica canora locis.*
*Excitus & dixit, quid non labor æmulus audet?*
*Si nostras uoces sic imitantur aues.*

E GRAECO.

*Si ualidus plantis, manuum si erat integer, at dum*
*Talia scribit erat non ualidus capite.*

IN CATELLAM HIPPOLYTI MEDICES.

*Et licet Elysios tendam cultissima ad hortos*
*Delitiæ Ditis, Persephonesq́, ioci.*
*Hic ubi sublimes animæ feliciter æuum,*
*Post sua supremæ funera pacis agunt.*
*Te tamen inuitum Princeps lachrymosa relinquo,*
*Nec uellem cœli tertius esse canis.*

E GRAECO.

*Pollicitus quidam Diodorum reddere rectum*
*E curuo, huic grandes imposuit lapides*
*Dorso, onere oppressum dorsum est, depressus & ille*
*Regula enim recta rectior occubuit.*

E GRAECO.

*Longanimem claudum quidam mihi misit asellum,*
*Assuetum portus ire redire uiam.*
*Pigritiæ natum, insomnem, lentum, atque dolorem,*
*Primus digressu est, ultimus in redditu.*

IN CATELLAM.

*Si domino dilecta fui, testentur honores*
*Ex ebore, ex auro donaq; & urna, mei.*
*Quid potuit maius, tumulo quam condere eburno,*
*Me quoque cum nummis, denique cum lachrymis.*

E GRAECO.

*Quum duo sint nati Syluano, somnus, & Euan,*
*Non mage amat socios, nec mage Pympliades.*
*Mentem etenim iste fluens placide huic demulcet, et ille*
*Stertentem blandis detinet in thalamis.*

E GRAECO.

*Bacchi anus exsiccans spumantia pocula quondam*
*Strata graui morbo supplicat ista Ioui.*
*Perniciem hanc æstus potero si euadere, centum*
*Solibus ipse tibi libera fonte bibam.*
*Absque mero, at postquam uicerunt uota, precesq;*
*Luce una est tales præmeditata dolos.*
*Confossum accipiens cribrum astutissima soles*
*Eq; foraminibus prospicit innumeros.*

E GRAECO.

*Immixtam bubus quærens hinc inde iuuencam hanc,*
*Vix armenta Myron inueniebat agens.*

IN CATELLAM, ET DOMINVM.

*Plus doluere tui, quam mors mihi acerba, dolores,*
*Vnde equidem hoc possum dicere, bis perij.*
*Et quia te in luctu insolito & mœrore reliqui,*
*Nec potui offitijs contribuisse uices.*
*Me uiuam ornasti, morientem munere & ornas,*
*Ante toro, & mensa, nunc tumulo, & titulo.*

Tunc illi, merito tibi negauit,
Quum tu sis rudis, & malus Poeta
Noster ecce Triphon, nitet, renidet
Olosericus, & beatus ostro.
Quod Rhætor bonus, & bonus Poeta est,
Tunc ego tacitus pudore tinctus,
Confusus'q; recedo, murmuro'q;
In tuas (fateor) manus auaras
Mecum, uerum alijs usque liberales.
Qui, quod sim lacer, & breuis lacerna
Non sum de numero beatiore,
Hinc dicor rudis, & malus Poeta.

IN PHILOMELAM.

Stans super illimes undas discrimina uocum
Passa nefas duplex, ingeminabat auis.
Dulce gemens, similem'q; uidens in fonte uolucrem
Lusa resultantem plus uariabat Ithym.
Aemula conspectæ demum facta alitis ales
Sese in mendaces eiaculatur aquas.
Et turbauit eas, & imago euanuit undis,
Tunc Nymphæ faciles exeruere caput.
Elusam, & madidam multum irrisere uolucrem,
Risum auis ut sensit, mutuit, & rubuit.

E GRAECO.

Sic piger est Pantanetus, ut dum febre iaceret,
Ne surgat Superum sollicitabat opem.
Sospes ubi est factus nolens, totum usque per annum
Surdorum incusat numina iniqua Deum.

E GRAECO.

*Carcere conclusum, Marcumq; exire uolentem,*
*Segnitiem morti præposuisse iuuat.*

AD NYMPHAS.

*Quæ colitis lætæ ridentia prata Napeæ,*
*Luce & odorata pingitis illa, & acu.*
*His uentos arcete graues, bædosq; petulcos,*
*His & oues auidas, florilegas & apes.*
*Hæc asseruo meæ dominæ, uestræq; sorori,*
*Illa Dea, & uirgo, pulchra, & odora Charis.*

E GRAECO.

*Liuorem liuor proprijs domat ipse sagittis.*

E GRAECO.

*Mutata est calamis natura, ut sentio in agro*
*Nunquid forte alio agrestes oriuntur abeno*
*Crescentes? neq; enim nostris agitantur ab auris,*
*Sed sub radici calamorum pneuma cauorum*
*Inferne penetrans taurino erumpit ab antro.*
*Virq; audax digitis quidam uelocibus astat,*
*Pertractans manibus doctas percurrit auenas,*
*Hæq; suos cantus salientes molle remittunt.*

E GRAECO.

*Incidit primum September falce racemos.*
*October ad liquidam pellitq; ad retia gentem.*
*Pleiadum apparens dignoscitur hora Nouembri,*
*Semina demonstrant Cereris iam nata December,*
*Purpureaq; sequens exornat ueste senatum.*
*Februa nauigijs lora aptans præparat alas.*

Militibus clamat Mauortis Martius arma.
Vernarum Aprilis prænuntius ipse rosarum.
Aridulis Maius iam falce minatur aristis.
Multiplici fructu lætatur Iunius ardens.
Prægnantes monstrat dulcescere Iulius uuas.
Augustus Nili uitalem parturit undam.

E P I T.

Dum me persequitur per cærula feruidus hostis,
Coniecit flammas in mea uela truces.
In mare desilio, iaculatur tela, facesq;
Me immersi, & sub aquis applicui scopulo.
Hicq; fame occubui; quid enim mihi profuit hostem
Euitasse ferum? quid mare, tela, faces?

E' G R A E C O.

Ex me stellatis solis sub postibus anno
Prospicitur Titan altior Ausonijs.
Ast ego tellurem madidam niue reddo frequenti,
Pregnantem uernis restituens radijs.
Et Mars, & flores, & lac à me incipit, & par
Lux tenebris facta est bis decima ipsa die.
Plantarum fossor ramis coniungere ramum.
Radice incidens tunc placidum ipse parat.
Iam mare apertum, extra portus educite puppes
Instructas, pontus non agitatur aquis.
Ipse rosas medius, sum candida lilia & inter,
Nam flauæ ramis aggrauor & cerasi.
Cancrum intrat Phœbus, maturas durus aristas
Falce recuruata decutit agricola.

Frumentum à paleis excernens diuido, uerl
Naïadum fluxus inq; leone manent.
Vua oneror dulci, tum cunctis, fructibus, & nox
Diuisusq; dies denuo parte pari.
Dulcior existit quis me? qui dulcia uina
Bacche tibi adduco de solido ipse lacu.
Nunc tempestiuum tibi Palladis exprimo fructum,
Si iuuat, & cordi est uncta palestra tibi.
Lactanti glacies cereri nocet aspera, nautæ
Importunum alto tendere uela mari.

### È GRAECO.

Pendentem maiore sua prædo è cruce cernens
Iuxta se Deophon mortuus inuidia est.

### DE VERE AD CHARITEM

Aura maris iam crispat aquas, & Phryxus, & Helle
Lanigeri ascendunt tergora fulua Ducis.
Vna gemit natum, raptum soror altera honorem,
Quas pater infelix iam male uidit aues.
Artifici natura manu sua prata colorat,
Et rident montes, & nemora alta, & aquæ.
Illecebris Cytherea suis, puer improbus arcu,
Omnia quæ uiuunt dulcia ad arma mouent.
Hæc sunt ueris opes, redeuntis gaudia & anni,
Vtere uere tuo non redeunte Chari.

### IN VER È GR.

Quum glacialis hyems effluxerit æthere, ueris
Floricomum hora caput ridens attollit in auras,
Gramine tunc uiridi, folijsq; repullulat arbor,

*Plantarum Aurora altrix tenuem alma liquorem*
*Instillat lætis, aperitq; rosaria in hortis,*
*Montibus & pastor dulcem percurrit auenam,*
*Et nondum exortis luctantur cornibus hœdi,*
*Et Zephyri afflatu sinuantes uela secundo*
*Fluctibus in latis proscindunt marmora nautæ,*
*Et te Bacche uocant satyri, tibi serta pararunt*
*Pallenti ex hædera, dilecta & uite comanti,*
*Bubus apes genitæ studia ad miranda feruntur*
*Artifices castæ, quæ cærea tecta domorum*
*Aedificant cellas, cœlesti & nectare complent.*
*Parte omni, & uolucres concentibus aera pulsant,*
*Littoraq; alcyones resonant, atque atria prognem,*
*In siluis philomela canit, prope flumina cycnus,*
*Si terra exultat fœtu, si crinibus arbor*
*Et pecudes gaudent, & pastor arundine dulci*
*Nauta mari, & Bromius redimitus tempora saltat,*
*Mellificant & apes, & aues cantu aera pulsant*
*Cur non uere decet cytharam pulsare poetam?*

AD PANA.

*Capripes hanc tibi Pan, qua uici Alcona cicutam*
*Filius Antigenis consecro Iola tibi.*
*Grandifera è fago uocalis pendeat imbri*
*Exposita assiduo, nubigenisq; notis.*
*Vt quandoq; leui perflata hoc instrepet aura*
*Pan Nympharum ardor dulcis, & acer amor.*

E GRAECO.

*Ex quibus ò saxis Dionysi hæc ligna secasti?*

Texisti atque molis hanc quibus ipse ratem?
Robur enim non est, si plumbum sentio, ponti
Nam fundum tumidi lignea non peteret.
Marmor erit iam iam, post fœda tragedia fiam
A Melitone ipso marmorea ut Niobe.

AEMVLATIO.

Qui cupit absque ullo libamine tendere ad undas
Quàm primum infernas, hac rate sulcet aquas.
Non nemore excisa est, sed plumbo, aut marmore, tantũ
Ista uehit mortem, uel graue naufragium.

IN QVENDAM.

Heus, ait ad me unus, uenias, quendamq; uidebis
Pendere inflatum liuida membra mero.
Accessi, & monstrum erubui deforme pudendum,
Non homo, sed pendens amphora uisa mihi est.

E GRAECO.

Vt dextram extendit natus sitiendo parenti,
Aspice, & hæc mulier uelut omnis capta Lyeo
Respicit & torue, & dicit siccando lagenam,
Quid tibi dem fili nostro de gutture? xestas
Terdenas tantum capit ista lagena nouercæ
Mater habes mores, mihi tam contraria, suauis
Has dulces lachrymas uitis mihi porge bibendas

E GRAECO.

Cymba Philonis erat sotirica, sed nec in ipsa
Seruari posset Iuppiter altitonans.
Nomine erat solum seruatrix, quos uehit una,
Ad terram aut ducit, uel prope Persephonem.

EPIT.

*Prægnantem uxorem tentauit dira libido*
*Carnibus humanis exaturare famem.*
*Hæc me sopitum iugulat sub nocte profunda,*
*Corpus & in partes desecat ense meum.*
*Proh scelus insolitum, inuisum, uiuentia membra*
*Ac ueluti tygris sanguinolenta uorat.*
*Ah pereat, quicunque cupit duxisse maritam,*
*Si te odit perimit, siq; te amat, comedit.*

E GRAECO.

*Quæ uitulum enixa est utero bos concipit ipsum,*
*Non fingit uitulam, sed parit arte Myron.*

IN IDEM E GR.

*Aenea sit quanuis, mugiret buccula, tantum*
*Si sua fecisset uiscera in ære Myron.*

IN PERSAS.

*In Persas tantum, si laxat frena libido,*
*Flagitij causa est impia relligio.*
*Nam quod uitarunt iam bruta animalia, & arcent,*
*Cum mage coniunctis sanguine Persa cubat.*
*Quid mage coniunctum est nata, matre, atque sorore?*
*Cum matre, & nata, cumq; sorore coit.*

E GRAECO.

*Candescent potius corui, & testudo uolabit,*
*Quam rectum inuenias rhetora cappadocem.*

E GRAECO.

*Diues opum fieri, uel par tibi Cræse uolebam,*
*Atque mihi latæ subdere colla Asiæ.*

Sed quum perspexi Nicanora uespillonem.
Et norim tristes cui faciat capulos.
Concauo tunc palmas inspergens littora lymphis,
Pro unguento, & sertis illicò uendo Asiam.

IM IMAGINEM AMORIS.

Hæc chrystallus habet curuum delphina natantem,
Cuius inest dorso pernitiosus Amor.
Ille mari exultat, tanto & uectore superbit,
Hic succendit aquas, Nereidesq; ferit.
Hos nisi clausisset zona aurea, sospes uterq;
Iam terræ è nitidis applicuisset aquis.

E GRAECO.

Ex uitro cyathos lucentes porrige, multo
Longe expelluntur curæ, dolorq; mero.

E GRAECO.

Despicit antiquum, & uetulum me fœmina dicens,
Quod reliquum annorum est, inspicere è speculo.
Ast ego non curo niueos, nigrosq; capillos,
Dum uideam uitæ debita fila meæ.
Baccho, & odoratis unguentis, atque corona
Ornatus curas pello ego difficiles.

EPIT.

Virgo fui, umbrosa dum capto sub ilice somnum,
Irrepsit labijs uipera sæua meis.
Ora & biulca intrat, compressis dentibus illam
Elisi, at uirus liquit in ore meo.
Ambo una emorimur nos, contumulamur & una,
Nam sum facta hosti, proh dolor urna meo.

E GRAECO.

*Ebibe, & exulta Democrates, usque bibendum,*
*Sed non gaudendum est tempore perpetuo.*
*Serta caput cingant, nares opplentur odore*
*Quam prius acumulent his monumenta alij.*
*Ossa bibant mihi uiua meri multum, ipse superstes*
*Abluat imbre suo mortua Deucalion.*

E GRAECO.

*Ductus heri ad cænam, quum me iam somnus haberet,*
*Accubui lecto Gorgonis, aut Niobes.*
*Quem nemo incidit, nec texuit, atque dolauit,*
*Excisi hunc lapides Procle dedere tui.*
*Quem nisi liquissem cuius mihi lectus Alecto,*
*Ille columna urnæ, uel magis urna foret.*

E GRAECO.

*Vipera Capadocem iam sæua momordit, & hausto*
*Sanguine pestifera est mortua Cappadocis.*

IN CERVVM.

*Per nemora, & montes, per prata uirentia, & agros,*
*Quid uitasse iuuat retia, tela, canes.*
*Si sequor insidias, nam dulci captus auenæ*
*Ipse sono subij tristia fata necis.*
*Perdiderat se olim syrinx, nunc perdidit & me*
*Rusticitate sua, & simplicitate mea.*

E GRAECO.

*Te uocat, & dormis, crater, iam surge, bibamus,*
*Lætalem & somnum, qui uenit, excutias.*

Ne abstineas uehemens in Bacchum lapse, merumq́;
Ad dubium usque genu nunc Diodore bibas.
Longa manet sitienda dies, nunc ergo bibamus,
Iam nostra irrepsit tempora canicies.

E GRAECO.

Inger formosum è uitro cratera nitenti,
Vina fugant curas pectore læta graues.

EPIT.

Omne mihi studium fuerat per fasq́;, nefasq́;
Quærere opes, & opes, deniq; opes, & opes.
Vrbis in exitio passus suprema malorum
Nomine opum, donec uita peracta mea est.
Quantum noctis habent hæ curæ, hæc uota, precesq́;,
Viuimus unde inopes, ocyus & morimur.

IN BVCCVLAM MYRONIS.

E GRAECO.

Stare Myron iussit hic me, at pastoribus ipsis
Vt profuga impellor fustibus ire domum.

E GRAECO.

Non aurum terræ, innumeras urbesq́, uolebam
Sed nec quod Thebæ, ut dixit Homerus, habent.
At calicem nitidum, & teretem, qui uina refundat,
Mi labra perpetuò sint madefacta mero.
Antiqui mecum biberent uinum usque, ministri
Curarent uites quæ quoque agenda forent.
Nanq; mihi hæc fœlix uita est, nec curo secures
Consulis aurati, pocula dum teneam.

IN IMAGINEM
TAVRI.

*Inspice, & hunc audi clamantem ad sydera taurum,*
*Nat quas egelidas bruma ligauit aquis.*
*Cornibus in glaciem sæuit uiolentus, & ignem*
*Euomit, in medio sit licet ille gelu.*
*In me ne rueret tam torua fronte, timerem,*
*Frigore compactis ne premeretur aquis.*

E GRAECO.

*Thesaurum in somnis quidam tractabat auarus,*
*Diuite in hoc somno quippe mori uoluit.*
*At postquam uanus cubuit, post somnia lucri*
*Pauperiem ex somno contra iterum ille cubat.*

IN BALNEVM DICTVM
EROTA.
E GRAECO.

*Sub platano uiridi apposita iam lampade Nymphis*
*Victus erat somno nequitiosus Amor.*
*Inter se hæc dicunt; nitamur lampada Nymphæ*
*Suffocare, hominum quæ male corda cremat.*
*Dumq; uolunt flammas extinguere, lympha calescit,*
*A Nymphis calidæ sic oriuntur aquæ.*

IN AESTATEM.

*Nuda uirago comas spicis redimita fluentes*
*Et sudore madens, & cruciata siti.*
*Penei ad siccas fauces lassata manebat,*
*Quum canis Erigones torridus arua latrat.*
*Torua cleonei postquam uidet ora leonis,*

*Vsque etiam in Phœbum bella mouere, fugit.*

## IN IMAGINEM IOVIS AMANTIS BACCHAM.

### E GRAECO.

*Baccha Iouem satyrum fecit, saltatq; furitq;,*
*Aebrius ut medijs Iuppiter in choreis.*

### E GRAECO.

*Vrna Diocleos immersi, & deducitis, ausum*
*Heu magnum è tumulo soluere uincla meo.*

### IN AVTVMNVM.

*Ore hilari iuuenis præstans, sed corpore pingui*
*Vite racemifera tempora cinctus erat.*
*Nectare pregnantes calcabat sordidus uuas,*
*Manabant pedibus pinguia musta suis.*
*Innumeri hunc circum Fauni, Satyriq; procaces*
*Exultant, saliunt æbrij, & usque bibunt.*
*Dolia ubi at temeto expleuit redolentia dulci,*
*Aut musto, aut musti uictus odore cubat.*

### E GRAECO.

*Obq; pedes nudos frigusq; Menestrate, quod tu*
*Perpeteris, quisquis te loquitur cynicum.*
*At si corripies panem, & fragmenta pudens nil*
*Hunc baculum ipse habeo, teq; canem uocitant.*

### E GRAECO.

*Præda expiscantem Menestraton abstulit orbe,*
*Dum calami è salsis extraherentur aquis.*
*Escam hami absorbens lethalem ut uidit acutam*
*Nassam, & foca timens purpurea exilijt.*

*Hunc'q; sub ingressum lacerata interficit, intra*
*Oris ubi insiliens ingrederetur iter.*

IN HYEMEM AD FLORAM.

*Tecta pruinosis torpentia crinibus ora*
*Stridet Hyperboreis bruma reuecta rotis.*
*Et tumido aduentum Boreas denuntiat ore,*
*Vt rapidas frenent Hebrus, & Ister aquas.*
*Strymoniæ uolucres illam clangore salutant,*
*Et pateram extollens Tytirus ante focum.*
*At tellus occultat opes, & clauditur æquor,*
*Mortales oculos uitat & alma Pales.*
*At si ad nos uenias placidissima Flora, serenos*
*Extollet uultus terra, fretum'q; suos.*
*Rusticus & frondes stringens cantabit in ulmo,*
*Sanguine tincta domum læta lutabit auis.*
*Spirabunt Zephyri uitam noua gaudia & annus,*
*Astra sua, & gemmas, arbor, & herba ferent.*

E GRAECO.

*Vix oculos, sed non uultus pictura puellæ*
*Effingit radios, ambrosias'q; comas.*
*Splendorem si quis Phaetontis pinxerit, idem*
*Splendorem pinget & Theodoriadis.*

E GRAECO.

*Nuper enim in thalamo Nicipidis hymni, hymenei*
*Dulce sonans lotos, plausus & altus erant.*
*Luctus & ad tedas strepuit circum omnia, nondum est*
*Hæc mulier, misera & mortua conspicitur.*
*Cur sponsæ ô Pluto soluisti dure maritum.*

*Illius an gaudens ut potiare toro.*

È GRAECO.

*Per stygis horrendum nomen, manesq; lycambis*
*Natæ, quis nimium fama odiosa fuit.*
*Virgineum florem nostrum, charosq; parentes,*
*Neue etiam sacram læsimus ore paron,*
*Verum terribili obprobrio nostrum genus omne,*
*Atque domum infamem reddidit Archilocus.*

DE CLEOMENE.

*Rex fueram Spartæ Cleomenes nomine, per me*
*Pythia mendacem protulit ore sonum.*
*Vertor ad insanam stimulatus Apolline mentem,*
*Armauiq; manus in mea fata meas.*
*Qui legis hæc, discas, Diuos non prodere, dirum*
*Nete adigant, ut me, carnificem esse tui.*

E GRAECO.

*Per superos, Manesq;, uijs non uidimus illum,*
*Ac neque sceptriferæ per sacra templa Deæ.*
*Legitimam ex nobis prolem cur ille uolebat?*
*Si fuimus prauæ, fœdæ & adulterio?*

È GRAECO.

*Supplicium nemo poterit uitare scelestus.*

È GRAECO.

*Vitis parua tenet uerum fœcunda, ferax q;,*
*Totaq; sum mollis, totaq; planicies.*
*Verum equidem prope me magnæ, lateq; supersunt,*
*Sed duræ, incultæ, tum spatio indomitæ.*
*Fructu non stadijs contendimus, at neque arenam*

Curabit Lybiæ paruus ager pharius.

AD CAROLVM MARCHESIVM.

Carole nate atauis Heroibus ordine longo,
Indole quod monstras, moribus atque tuis.
Cui proprium est uni seruire, instare, precari
Pro cunctis nostrum dexteritate Iouem.
Non solum sibi mortalis, sed natus amicis,
Proinde homini Deus est officiosus homo.
Hinc lætor cernens fama te excrescere Paulum
Nomine apud Reges, gratia apud Superos.

E GRAECO.

Tanta tui est animi, quam uultus forma decentis,
Omnia nanq; tuo nomine digna geris.
Quippe cubans usque in thalamis regalibus, auri
Regis enim instillas mollia, blanda, pia.

E GRAECO.

Tardipedem inter equas clamosumq́; ecquid asellum
Gyrantem me agitas aera circuitu.
Non'ne molam, satis hoc tenebrosus uertere cogor,
Inq́; urbem cursus ingeminare pares.
Aemuli equis etiam contendimus? hoc quoque asellis
Restat, ut inuertant iugera culta soli.

AD IANVM COTTAM.

Pars non parua meæ quondam mi Iane salutis
Cotta sodalitij primaq́; cura mei.
In studia ò quoties ego te, nugasq́; uocaui,
Hos scio, iam lusus perplacuisse tibi.
Surdus eras, quia longa uia est, quæ diuidet & nos

*Non sinit unanimes colloquióq; frui.*
*Non tamen absisto, quin toto pectore amem te,*
*Tam tuus & nunc sum, quam tuus ante fui.*
*Nec locus, aut tempus tanto me abiunget amore,*
*Quin & amem, & cupiam dimidium usque mei.*

E GRAECO.

*Nuntia dic Iouis altiuolans quid desuper urnam*
*Sedisti præpes maximi Aristomenis?*
*Significo cunctis, quod tantum semideorum*
*Optimus hic, quantum maxima sum uolucrum.*
*Insideant trepidis trepidæ, uilesq; columbæ,*
*At nos oblectant intrepidi intrepidas.*

E GRAECO.

*Petron inaurata rutilantem ueste, laborum*
*Imperia & circum marmore facta uides.*
*Primus ad Eoos; & rursum consul Eoos.*
*Interea ad Colchos bis properauit iter.*

IN LINDVM.

*Lindus ruris amans errabat solus in agris*
*Erranti occurrit pulchra, decensq; loci.*
*Nympha, & ait, thalami si me dignaris honore*
*Prole pater pulchra, tuq; opulentus eris.*
*Annuit, uruntúrq; faces, impleuit & illam;*
*Et nati, & largæ multiplicantur opes.*
*Nudam at ut inspexit contra promissa maritam*
*Lindus sponsa gemens nec mage uisa fuit.*
*Et secum fortuna domus mœstissima, nudam*
*Cernere non licuit, concubuisse licet.*

E GRAE-

## E' GRAECO.

*Qui mare ueliuolum expertus mercator ad arua*
*Transijt, in Nili littore habet tumulum.*
*Naufragium timuit, fatum ȯ insuperabile uiuens*
*At miser usque etiam naufragat in tumulo.*

## E GRAECO.

*Inuida pictura es, nec grata tuentibus, albis*
*Auratam in uittis nam tegis ipsa comam.*
*Si capitis summi charitem cælaueris ipsam,*
*In reliqua specie quæ tibi danda fides?*
*Omnis enim formæ applaudit pictura decori,*
*Tu Theodoriadis surripis Aglauiam.*

## AD GRILLVM.

*Grille soporifero qui lassula pectora cantu*
*Ad requiem, somnum dulciculumq; uocas.*
*Si lenire potes curas, quibus uror, acerbas,*
*Do tibi arundineam, qua spaciere, domum.*
*Quippe uales duros in somnum soluere agrestes*
*O si me paci conciliare uales;*
*Non modo ruralem musam te carmine dicam,*
*Graculo enim, & pica sed mage gratus eris.*

## E GRAECO.

*Suscipit omne latus tumidas Diophante procellas,*
*Itq; reditq; salum deq; foraminibus.*
*Delphinumq; greges, nitidæ & Nereides ipsis*
*Ludere nauigij conspiciuntur aquis.*
*Nos etiam paulum nam si expectabimus inquam*
*Sulcabit lato nec magis unda mari.*

DDD

E' GRAECO.

Non absumpta salo, unde illud? neque cymba natauit,
Nec notus ante notum perdidit ante mare.
Iam compacta inerat remis ad transtra paratis,
Et pingui picis uncta carina leui.
Pice accensa fuit flamma, & quae tuta carina
Debuit esse mari, deperit illa solo.

IN QVENDAM.

Lictus ad Adriaci tua latifundia ponti
Tendebant, illis nec mare limes erat.
Omnia uendideris quum tu, atque uoraueris unus,
Saturnum ingluuie, uincis & ipse mare.
Hi natos, silices, littus tu absumis & ista,
Et nemora, & montes, flumina tecta, & auos.

E' GRAECO.

Vsque licet Calpen producas praedia, cunctos,
Quae manet, haec te eadem portio spectat humi.
Solum obolo locuples, similis'q; iacebis, & Iro
In'q; tuam tantum tunc resolutus humum.

E' GRAECO.

Non plus dulcisonam potis ipsa emittere uocem,
Dum uiridi cantans fronde cicada sedes.
In dextram pueri postquam iucunda uolasti,
Cantantem improbulus tradidit ille neci.

AD QVENDAM.

Dic legum interpres luci, pirus eruta uento est
Nostra, Titi & uiruit consolidata solo.
Et negat esse Titus nostram de iure, uetat'q;

Poma quidem, merito si uetat, æqua facit.
Lucius hæc inquit, dubitanti plurima & addit,
Terræ alimento alio facta aliena pirus.
Tunc ego clamaui, ius summum iniuria summa,
In me iurastis iura, grauesq; noti.

E GRAECO.

Nutricem ipse Hieron Schelerida uina bibendo,
Nulla ui oppressam, sed calice inter agros.
Contumulauit, erat quoniam æbria, proxima Bacchi
Vinoso ut teneat sic monumenta lacu.

E GRAECO.

Vrna Maronidis uetulæ est hæc, cuius in ipsis
Incisum saxis ecce uides calicem.
Vini auida, atque loquax, non propter pignora luget,
Natorum aut inopis non ratione patris.
Hoc unum deplorat adhuc sub marmore, quod non
Illius in tumulo est plena lagena mero.

E GRAECO.

Arbor ut exiguo folio est spectanda, lauacrum
Sic gratum est istud, sit licet exiguum.

DE MARTIA CATONIS VXORE.

Hæc est Hortensi, quam cernis Martia primum
Illius magni sponsa Catonis erat.
Cessit eam, ut pariat, peperit, traduxit eandem
Altero enim primus uir moriente uiro,
Cur si dilexit, tam charam tradidit? & si
Odit eam, recipit qua ratione iterum?

*Parce Cato, si uera loquar data pauper, inopsq;,*
*Traducta est diues magna, opulenta, potens.*

E GRAECO.

*Spiculum egestatis sotium gestabat Aristo,*
*Organum & esuriens anserum ad insidias.*
*Fraude uiam capiens sensim accedebat ad illos*
*Pascentes toruis per uaga prata oculis.*
*Nunc petijt manes, sonitu telum illius orbum est,*
*Atque manu, supra præda uolat tumulum.*

E GRAECO.

*Ad terram tractus delphin fluctu, atque procella*
*Hospitibus terræ publica pompa fui.*
*At me, ut cœpit humus, moti pietate uidentes*
*Extemplo in tumulum me posuere uiri.*
*Quam dederat uitam rapuit mare, nulla profundo*
*Danda fides, proprijs sæuit & in sotijs.*

E GRAECO.

*Timadis hoc saxum est, quæ nondum nupta tremendæ*
*Persephones thalamos inuiolata subit.*
*Cuius ob interitum sotiarum insigne doloris*
*Turba puellarum subsecuere comas.*

DE CONSO DEO.

*Conse pater, cui Roma suos sacrauit honores,*
*Inter cœlestes annumeratq; Deos.*
*Consilio, monituq; tuo quia quisque Quiritum*
*Externas rapuit, continuitq; nurus.*
*Tutatusq; armis, uario & discrimine belli,*
*Pro meritis dantur munus, & ara tuis.*

*Vt, qui consilio dederis cum prole maritas,*
*Conserues patres, pignora, & imperium.*

E GRAECO.

*Timonoe, quæ nam es? per dæmonas haud ego noram*
*Ni patris astarent nomina Timothei.*
*Patria tota simul tua magna dolere maritum*
*Morte tua uiduum, clamitat Authimenen.*

DE PRIAPO E GR.

*Sum positus culto custos agroq; feraci*
*Phriconis, plantas, atque casam tueor.*
*Omnibus hoc cantans, uiso hoc quia at inguine rides*
*Ipse n eo, hinc subito progrediare domum.*
*Quod si diuertis, quo non fas, nil tibi prosunt*
*Hispida, quosq; scio nam terebrare pilos.*

DE M. SCAVRO ET L. SYLLA

*Quos hospes cernis simili sub imagine pictos,*
*Vnus priuignus, uitricus alter erat.*
*Pertransi, atque odi patriam euertere, profuso*
*Hic luxu, effuso sanguinis ille lacu.*

E GRAECO.

*Multa cadunt inter pendentia pocula, & ora.*

E GRAECO.

*Hospes quid ploras? tua funera. noueris an me?*
*Non certe, finem sed uideo miserum.*
*Quæ ne? Periclia, uxor cuius? rhetoris olim,*
*Ex Asia celebris nomine Memnonij.*
*Quomodo bosphorius puluis te habet? indicet hoc mors,*
*Quæ procul externa contumulauit humo.*

*Liquisti natum? liqui, exsiccanda, triennis,*
*Qui expectat mœrens ubera nostra domi.*
*O utinam bene uiuat, amice precaberis illi,*
*Pubescens gratas ut mihi det lachrymas.*

DE ARISTOMENE.

*Si non euasit post ultima fata sepultus*
*Sub ualida tacet hoc marmore Aristomenes.*
*Nam toties fugit uinclis, & carcere tentus,*
*Postq; uale, & lapsos, ut dubitem cineres.*

E GRAECO.

*Extremo expirans euicta dolore Lamisce*
*Formosa Eupolidis nataq; Nicarete.*
*Viginti annorum orta Samo cum prole gemella*
*Ad Nilum Libyco littore tecta iacet.*
*Proinde puerperij portantes dona puellæ*
*Spargite humum gelidam luctibus hanc calidis.*

E GRAECO.

*Tres decades, & sex annos ætatis agendæ*
*Humanæ astrologi constituere homini.*
*His ego contentor, tempus flos optimus istud*
*Aetatis, perijt terq; senex pylius.*

DE VALERIA ET SERVIO.

*Si tantum arsisti dilecta Valeria ab ipso*
*Coniuge, cur tardas post sua fata mori?*
*Non opus est alibi charum reperire maritum*
*Viuit enim mecum Seruius usque meus.*

E GRAECO.

*Orce prece, & pretio non exorabilis istum*

Calescum infantem cur trahis in tenebras?
Persephones puer in domibus ludusq́;, iocusq́;,
Hic erit, at tristis pœna, dolorq́; domi.

E GRAECO.

Ludentem circa puteum Astyanacta triennem
Vana in aquas formæ traxit imago suæ.
Infantem genetrix madefactum tollit ab undis,
Perquirens uitæ portio si qua manet.
Polluit haud lymphas, somno at puer iste profundo
Euictus matris decubat in genibus.

DE MEMNONE MARITO SEMIRAMIDIS.

Ille fui fœlix, cui pulchra Semiramis uxor
Iuncta fuit, tanti lætus honore tori.
Nunc ille infelix, cui rapta Semiramis uxor
Causa, quod amisso tristis honore obij.
Impulit ad laqueum, impatiens, uiolentus, amantem,
Raptæ & raptoris nam me amor, atque timor.

E GRAECO.

Aera Myron sapiens uel fecit uiua, uel ære
Conclusit uiuam forte suam uitulam.

E GRAECO.

Ex modicis paruus scalis puer in Diodori
Aedibus effregit, dum cadit ipse genu.
Ceruicem euoluens diuinum occurrere Regem
Viderat extendit continuoq́; manum.
Quare tu infantis serui haud grauis ossibus esto
Puluis, & o bimo parce leuis Coraci.

E GRAECO.

*Critonem supra lapis illius indico nomen,*
*Terrestri at Criton factus in orbe cinis.*
*Factus in orbe cinis, fuerat qui diues & agri, &*
*Caprarum, atque bouum, lanigeriq; gregis.*
*Parua loquor, rebus fuit omnibus ante beatus,*
*Tantulam at hic partem nunc tenet ille soli.*

IN ALEXANDRVM MACED.

*Dirum inq; facinus, sceleratum ac impium, & ingens,*
*Vrbem diripere est, uertere & in cinerem.*
*Sed magis est dirum, precibus meretricis amatæ*
*Hoc Macedum Regem idm potuisse nefas.*
*Parco tibi, quod eras meretrix, & fœmina Thai,*
*Regi, & Alexandro parcere quis poterit?*

E GRAECO.

*Os mihi iam tritum. & detectum, at crusta uiator*
*Acclinata quidem marmoris ecce ruit.*
*Crura etiam è fracto spectantur nostra sepulchro,*
*Telluris, quid plus? induimur spoliis.*
*Nempe uiam pronam sic incidere frequenter*
*Mortales, feriant ut caput usque meum.*
*Quare ob terrestres Plutonem, Mercuriumq;,*
*Et noctem hanc extra, uos precor, ite uiam.*

E GRAECO.

*Sum Deus agrestis, mihi quid libatis in auro?*
*Funditis & tenera uina falerna manu?*
*Taurorum & neruos saxo contunditis ecquid?*
*Parcite, non equidem talia sacra iuuant.*

Lignea amo, agnina oblector Pan incola montis,
Et calice e Samio dulcia uina bibo.

## AD MOECENATEM.

Regibus Hetruscis Mœcenas edite, Orati,
Vatis & Ocnei præsidium, atque decus,
Gentium eras quia mel, Phœbi & philomela sororum,
Non possum ingenium non nisi amare tuum.
Et placidos mores. Timon teq; osor amasset
Diuum delitias, illecebrasq; hominum.

## E GRAECO.

Dic percuntanti, quis tu cuius ue? Pilalaus
Eucratidæ, cuias? Mopsopius patria.
Quam uitam exercens uixisti? non ego arator,
Non manualis eram, sed sapientis amans.
Num senio, an morbo perijsti? ad tartara ueni
Forte uenenatos sponte bibens calices.
Num uetulus? ualde uitam quia sermo fatetur
Prudentem, excipiens sit tibi terra leuis.

## IN CONOPEVM E GR.

Obtendor lecto sponsæ, non sedula Phœbe
Rete tuum, sed sum mollis Acidaliæ.
Tegmine multioculo sopitam contego, sed non
Defraudo a placidis interea Zephyris.

## DE FONTE QVO ACTEON mutatus est.

Fontis ad infames Alcides uenerat undas,
Palluit, ut uidit, tu tamen inde bibis.
Dicebam, Alcidæ mutatum Acteona monstrans,

*Palluit, ut sensit, nec magis haurit aquas.*
*Attamen infectus pauitat se, & tecta, canesq;,*
*Seruat adhuc iram Delia, & unda suam.*

E GRAECO.

*Crethida uerbosam pulcherrima ludere doctam*
*Vsque optant Samiæ, sollicitantq; nurus.*
*Quam suauem sociam, & iocundam semper, at illam*
*Somnus enim cunctis debitus altus habet.*

E GRAECO.

*Dic pastor, cuius plantarum est ordo? Mineruæ*
*Sunt oleæ, & uites undiq; ? sunt Bromij.*
*Et cuius spicæ? Cereris, floresq;? Deorum:*
*Quorum isti? hos Iuno diligit, hosq; Venus.*
*O Pan magne tuis labris, precor insere auenam;*
*Echo aderit, campo clamat in hoc uiridi.*

AD NYMPHAS.

*Fontis aquæ ò puræ, quas iam sacrauit Amori,*
*Quum uultus miros lauit, & ora Charis.*
*Impressam gremio quam custoditis, imago*
*Seruetur fidis inuiolata uadis.*
*Præter solstitia omne nocens arcetur ab undis.*
*Non timet æstum æstus, nec glacies glaciem.*

E GRAECO.

*Dum locusta lyram tetigi plaudentibus alis,*
*Dulcis eram oblectans carmine Democritum.*
*Ast ubi me rapuit durus sopor, ille decenti*
*Orophon iuxta me tumulauit humo.*

E GRAECO.

*Votorum fallax, somni locusta uoluptas,*
*Alarum applausu rustica musa canens.*
*Natiuæq; loquax citharæ oblectabile canta,*
*Suaue quidem pennas plantisonas quatiens.*
*Peruigili ut cura soluar, duroq; dolore*
*Voce tua, & noster decipiatur amor.*
*Allia, tum cepas florentes munus habebis,*
*Guttura stillabunt roris & imbre leui.*

DE TROIA.

*Tu, quem diuitiæ faciunt, & regna superbum,*
*Quam tua sors casu lubrica disce meo.*
*Troia fui, labor egregius Diuûmq;, hominumq;,*
*Regum antiqua parens, terror, honosq; Asiæ.*
*Cuius ad arma Scythæ uenere, & Amazones, & qui*
*Nilum, Ararim, Tanaim, qui quoq; Oronta bibunt.*
*Pro qua pugnarunt superi, & fudere cruorem,*
*Capta, & in immundum deliteo cinerem.*

E GRAECO.

*Nobile sæpe quidem pondus qui detulit auri*
*Dorsa super, tantum gramen, & berba cibant.*

E GRAECO.

*Longior alterius quod erat crux quam sua iuxta*
*Se uidet ut Deophon, inuidia occubuit.*

E GRAECO.

*Sum nata oceani tum Tethios unda Nicea,*
*Tali me dicunt nomine Teleboæ.*
*Me Pterelas posuit furibundo marte creatus*
*Sospito mortales, irrigo Naiades.*

E GRAECO.

Virginis Astreæ squallebant templa, reuulso,
Maxima nunc splendent condecorata situ.
Obscuram noctem Rex ô Iustine fugasti
Aedibus ex Themidis, moribus ex hominum.

E GRAECO.

Hæc Ioue digna domus, non arguet altus olympus,
E supera terras si petet arce Iouem.

AD MARCELLVM CARD. CERVINVM.

Tam cito & absentem quod te donauerit ostri,
Multi admirantur, Paulus honore sacro.
Ignari rerum, & Pauli: nanq; illud abunde
Quòd Marcellus eris debuit esse satis.
Sed nostrum non est, res Regum exquirere ab alto
Hæc ueniunt, Deus hos eligit, atque regit.

E GRAECO.

Lotophagum haud mendax est fabula, nanq; lauacrum
Hoc faciet certam, ueridicamq; fidem.
Qui semel in uitreis hic se perfuderit undis;
Non patrem, aut matrem nec mage uult patriam.

E GRAECO.

Inulda anus proprijs hæredibus, atque honorum
Psyla suorum hæres facta repente fuit.
Dum salit hæc, celeri descendit ad infera gressu,
Viuere inepta inerat sumptibus immodicis.
Victu omni absumpto perijt cum sumptibus, omni
Aere quidem exposito, uita quoq; exposita est.

## DE EXAGONO LEGATO.

Currite Romani, ſpectacula rara parantur,
Nam maga cernetis murmura, quid ualeant.
Dira uenenatis Conſul ſerpentibus implet
Dolia, congeſtas aſperat atque feras,
Inter & iratas, referens horreſco, uolentem
Se iacit ad nutum Conſulis Exagonus.
Mirantur Pſylli, & Marſi quod ludere uellet
Cum nece tam horribili, ſed nocuere nihil.
Non nocuiſſe parum eſt, lingunt, mulcentq́ iacentem,
Hydra, aſpis, dipſas, Amphiſibena, draco.

## E GRAECO.

Euandri recitare hymnos luſum uſque placentem,
Docta puella domi, nec duo luſtra tenens,
Cuncta ſciens artis rapta eſt, cur ſorte potiris
Ventura orce tua funditus ante diem?

## E GRAECO.

Rete iſtud Cyneres Nymphis, nanq; ægra ſenecta
Iactibus eſt longis non magis apta plagæ.
Viuite iam piſces læti Cynaræ ipſa ſenectus
Vosq́; metu, & pontum liberat inſidijs.

## E GRAECO.

Quid noſtræ uanis aſtatis luctibus urnæ?
In nece nil dignum fletibus ipſa habeo.
Deſine flere marite, & deſine, uos quoq; nati
Gaudete, & memores uiuite Amazoniæ.

## ALLVSIO.

Heu nihil intactum liuor mortale reliquit,

Postquam etiam mors est inuidiosa crucis.

IN IMAGINEM TEMPORIS

Dic rogo quis Diuum es, tot habens insignia? Tempus,
Omnia mortali quod domo facta manu.
Quid tibi tot crines? capiendum me offero, sed cur
Sinciput est caluum? nolo capi fugiens.
Dextra tenet falcem cur? deseco cuncta, bilancem
Altera cur? trutino dictaq;, & acta hominum.
Præcipiti sphæræ quid summis unguibus astas?
Ocyus excurro, continue & salio.
Quum peterem artificis nomen, iam effluxerat illud,
Quid sit, quanq; citum, dum fugit edocuit.

E GRAECO.

Non mas est pathicus, pathicus nec fœmina habetur,
Nõ mas, quod patitur, pathicus quod fœmina crimẽ,
Fœmina tum minus est, sexum tenet ille uirilem.
Verũ mas nuribus, maribus quoq; fœmina habẽdus.

ALLVSIO.

Immo est uir pathicus, pathicus quoq; fœmina habetur,
Nanq; uiri exercet fœminæ & ille uices.
Quin uir ac mulier simul est uelut hermaphroditus,
Cum nuru enim mas est, cum mare & ille nurus.

IN DELPHINVM.

Si tempestates delphin sulcantibus æquor
Monstrat, & alludit, subsequiturq; rates.
Fert, amat, atque uehit si nos per salsa uocatus,
Delphin tuscus erat per mare nauta Simon.

E GRAECO.

*Dulci ore inuento crater blandire, quod ipse es,*
*Non liuore ullo rumpor, id esse uelim.*

ALLVSIO.

*Fortunate calix, fortunatissima labra*
*Tangis, & inde trahis nectar, & inuidiam.*
*Mutarem tecum sortem, quid in orbe, uel astris*
*Dulcius, & melius, nectare, & inuidia?*

ALTERA.

*In tot conuersus rerum miracula cur te*
*Non transformasti Iuppiter in pateram?*
*In pateram Charitis, quæ uinum, & basia miscet,*
*Propinans animam mellis arundinei.*
*Forte times tantæ mergi dulcedinis haustu,*
*Basia nectar olent, uinaq; nectar habent.*

E GRAECO.

*Sacrauit tumulum hunc Menedemi in funere Damis,*
*Mauors huius ubi pectora fregit equo.*
*Corpore de forti abstergens magnum ille cruorem,*
*Tunc nece difficilem commaculauit humum.*

E GRAECO.

*Strenuus in bello Timocritus hac situs urna,*
*Fortes non timidi Marte furente cadunt.*

AD SOMNVM.

*Somne quies, & pax mortalibus unica lassis,*
*Quo uarium mentes expatiantur iter.*
*Solis inaccessum tenebris horrentibus antrum,*
*In medio & riuum lene fluentis aquæ,*
*Seruo tibi, quum nox Auroræ cedit & alas*

Exuit humentes, nam requiescit ibi.
Funde meis luctus oculis obliuia tanti,
Basia Pasithea sic tibi mille ferat.
E GRAECO.
Multa uorans, & multa bibens, mala multa loquensq;
Gentibus, hic iaceo Temocreon Rhodius.
E GRAECO.
Parua uorans, & parua bibens, & plurima noscens
Tarde obij, una omnes uos mala multa habeant.
AD MAIVM MENSEM.
Quam mihi gratus ades iuuenum pulcherrime Mai,
Monstrat odoratis arbor onusta rosis.
Quam tibi sacraui ante fores de more parentum
Ditior ut nobis messis, & annus eat.
Suscipe, conueniunt, anathemata paruula quanuis,
Tempora cinge rosis, cætera fronde tegas.
E GRAECO.
Momus ait lachrymans Mariæ cernendo lauacrum,
Balnea uti Maria est, prætereunda mihi.
E GRAECO.
Balneo in hoc paruo non paruo est gratia lotis,
In minimaq; unda restat amœnus amor.
AD MVSAM.
I scio, læta ibis Victoriæ ad enthea tecta
Musa diu monitis obsequiosa meis.
Illa tui similis, quia docta pudica, sororq;
Est tua, & aonij barbitos alta chori.
Ore suo dic me totum pendere canenti,
Sacra

*Sacra cruentatas pro cruce. & ense deas.*
*His dictis redeas, uati ne noxia fias,*
*Ne dum insulsa audis dulce remittat opus.*

E' GR. PRO CHRISTO.

*O quam stultus hic est, si non stultissimus ortum*
*Qui dominum pacis pinxerit in clypeo.*

E' GR. PRO EODEM.

*Hæc opera adiunxit uerbis Musylius ipsa,*
*Quum credat uerbum firmiter esse Deum.*

AD PHALARIM.

*Esto tyranne ferus, qualem te te esse putauit,*
*Mitius ingenium discat habere faber.*
*Corripe, & includas utero, primusq; gementem.*
*Voce sua artificis fingat in ære bouem.*
*Quo magis exardet, queritur, cruciatur, & efflat*
*Iste animam mirum uerificatur opus.*
*Et quia te læsit, genus & mortale Perillus,*
*Det duplices pœnas, carcere, & igne graues.*

E GRAECO.

*Rhetoris ipse tacens es factus imago silentis,*
*Quum sis tam mutus, conuenit illa tibi.*

E GRAECO.

*Ramnum utinam tenuis circum me effundat acutam*
*Puluis, & obliquæ rustica membra rubi.*
*Non uolucris sedeat leuis in me tempore uerno,*
*Et loca decliuis sola silenda colam.*
*Nanq; homines odi, fueram nec amatus ab urbe*
*Timon, nec moriens Ditis amicus ero.*

*Ne gaudere caput dirum me dicito, transi*
*Quin, si tu es tristis, sat mihi lætitiæ.*
*Mortuus, & ferus est Timon, tu Ianitor orci*
*Fac timeas, ne te mordeat iste canis.*
*Fecerit in triuijs si quis mihi iusta malorum*
*Multa ferens modica sit tumulatus humo.*
*Postquam omnis uocat occisum Timona uiator,*
*Et mors tantum in nos garrula uerba facit.*

IN BVCCVLAM MYRONIS
E' GRAECO.

*Plastes plasma tuum uitulam quum abducere uellet,*
*Fur stimulo ut tetigit æs, abijt uacuus.*

E GRAECO.

*Orauit charum moritura Philina maritum,*
*Viueret ut uiduo post sua fata toro.*
*Promisit, sed non seruauit pacta maritus,*
*Nam superinducta est altera nupta breui.*
*Vlta Philina fidem fractam est, nam nocte sequenti,*
*Sponsa & Diogenes occubuere simul.*
*Nanque cadens domus oppressit, tumulauit & illos,*
*Seruanda & functis inuiolata fides.*

AD BIBLIOTHECAM VATICANAM
*in laudem Ferdinandi Ruani*
*scriptoris.*

*Quæ Vaticanis celebrabere semper in hortis,*
*Gloria apostolici bibliotheca throni*
*Sacrarum si diues opum es tum docta supellex*
*Scriptorum causa est ingeniosa manus.*

*Multa insunt pluteis deuincta uolumina apertis,*
*Plura sed occultis delituere locis.*
*Nunc descripta patent, debes manifesta Ruano,*
*Qui scribit numeros, qui facit & titulos.*

DE GLAVCO.

*Disilit in liquidas factus Deus æquoris undas*
*Glaucus, & ignotis expatiatur aquis.*
*Non fuit Arcadia pastor, nec Nais in omni*
*Quæ non discessum fleuerit ulla suum.*
*Atque ubi cæruleas lætum Nereides inter*
*Nare uidet te Pan, obstupuitq; Pales.*
*Et tibi suspendunt calamosq;, peramq;, pedumq;,*
*Nunc reticent syluæ, collachrimantq; greges.*

IN GRAPHIVM E GR.

*Planta fui sterilis calamus, non ipse racemos,*
*Non dulces ficus, nec pira fronde tuli,*
*Vir me sacrauit Musis, & parua labella*
*Idem acuit, riuum duxit & exiguum.*
*Vnde bibam nigros latices, & qualia dices,*
*Ore licet muto, talia uerba loquar.*

E' GRAECO.

*Petra basis retinet, nanque illi est uincta iuuenca,*
*Ad sotias fugiet hinc resoluta boues.*
*Ars etenim mugit plastes creat, aspice uiuam,*
*Iunge aliam parili buccula arabit ope.*

EPIT.

*Dic cineri requiem, uerbum hoc nil te aggrauet hospes,*
*Pene nihil nunc sum, qui modo magnus eram.*

*Nam tumidus cunctos dire immortaliter odi,*
*Nunc me quisque & inops inquinat, atq; premit.*
*Proinde lacessita infestat, qui præterit omnem,*
*Quam potes hinc, ne te sentiat umbra, fuge.*

E GRAECO.

*Ducebam ad iuuenum conuiuia Thaidas, at mors*
*Me uocat, accessi non tamen ipse libens.*
*Et, quæ sorte habui, saxis monumenta petuntur.*
*Nec datur extrema pace frui in tumulo.*
*Ars mea turpis erat, fateor, uerum illa fugabat*
*A iuuenili æstu stupra & adulteria.*

DE CYTHEREO FLVMINE.

*Ionides Nymphæ seruant hunc quatuor amnem,*
*Et fons poconia nobilitatur aqua.*
*Quisquis ades quouis morbo correptus, in undas*
*Proijce te, placidas ne uereare Deas.*
*Ibis in amplexus teneros, gremiumq; puellæ*
*Tunc tibi blanditijs, & medicantur aquis.*

IN QVENDAM DVCEM.

*Innumeros Persas animosius ibat in hostes,*
*Milite cum raro Dux Lacedemonius.*
*Quæsitus cur cum paucis exiret, at ille*
*Cum paucis dixit exeo, sed cupidis.*

AD DEOS MARINOS.

*Ereptus tumidis nudus sed sospes ab undis*
*Consecro Di uobis æquoreis hanc tabulam.*
*Qua me seruastis per longa pericula nantem,*
*Atque flagellatum fluctibus, & scopulis.*

Muta licet casum, nostrosq; infracta labores,
Atque suos dicet, quamq; tulistis opem.
Sit grata, è tantis rebus quæ restitit una,
Cætera uos auidæ, uos rapuistis aquæ.

DE MASINISSA REGE.

Vxori ingratus, matri ingratissimus, urbi
Emoriens fuerat gratus & Aeneadum.
Hæredem hanc linquens, illam mactauit, & illam,
Quàm bonus externis, tam malus iste suis.
Quum tumulum ornasset sumptu, luctuq; parenti,
Impietatis erat, non pietatis opus.

E GRAECO.

Non opus elegi muliebre Hipparchia, zonas
Nec longas, celeres sollicitare canes.
Sed placuit, uestes latas, quas fibula mordet,
Spreui, quæ exornant & caput atque pedes.
At sotiale solum baculo, succintaq; uestis,
Et placuit duro procubuisse solo.
Clarior Archadica fuerat mihi uita Atalanta,
Nam citior cursu per iuga summa fui.

E GRAECO.

Ista Philippe dicat Philadelphia munera, dicas
Qua ratione? memor iustitiæ illa tuæ.

EPIT.

Peccaram, sed erat crimen tolerabile ob annos,
Me iuuenem in Gallam præcipitauit amor.
Leniter at patruus, sed herus me duriter urget,
Nam patruus uerbo, uerbere plangit herus.

*Occubui plagis, & frigore mitius atqui*
*Debuerat puerum corripere, interimit*
*Esse pij Manes, ne dem pro crimine pœnas*
*Viuus, & emoriens Disq;, uirisq; leui.*

E GRAECO.

*Eufratrem tu ne combure Philonime, flammas*
*Ne fœdes in me, persa ego sum genere.*
*Persis nanque ignes nobis corrumpere sacros*
*Est here supremo tristius interitu.*
*Quare me condens terræ dabis, ablue nec me,*
*Post mea fata etiam flumina nam ueneror.*

E GR. IN ANACREONTEM.

*Cerne senem, quem non satiat geminata cupido,*
*Quippe puellaris, tum puerilis amor.*
*Signa manent manifesta, caput cadit ecce grauatum,*
*Vacillantq; gradus & bromio, & crapula.*

IN AGRICOLAS.

*Quid duri agricolæ falces conflatis in ensem?*
*In iaculum marras, rastra, & aratra ferum.*
*Nescitis? uestros primum quod bella labores,*
*Et deploratas depopulantur opes.*
*Si uestras cæci spes uestra exuritis arma,*
*Hæc quæ alimenta dabant, fata cruenta dabunt.*

E GRAECO.

*Puluis defossus nunc nunc est sospite fronte,*
*Serta agitata insunt arida cum folijs.*
*Cernamus lapidem scrutantes scripta uiator,*
*Cuius se dicat colligere ossa hominis.*

Dicor Arethemias, pater est Gnidus, Euphronis uxor,
Mater eram, natos nanq; duos peperi.
Partu uno. hunc patris liqui curare senectam,
Iste uiri pignus, quem traho, amoris erit.

E GRAECO.

Qui rapuit sponsam, conuiuas sustulit orcus,
Qui læti multis accubuere toris.
Vnus hymen tumulos uiginti quinque repleuit,
Vnus cæsorum publicus est thalamus.
Penthesilea & tu nati diro omine Pentheu,
Multiplici est diues funere uester Hymen.

E P I T.

Nirea, & Antinoum, specie & qui uicit Alexim,
Quiq; sinus gelidos ureret Artemidis.
Tænarias petijt Baptista britonius umbras,
Iustitiam ut crissam concitet in dominum.
Per quem contusus loris sua lactea membra,
Noctis & hybernæ frigore uictus obit.
Sic etiam insontem uult castigare Learchum
Impius, heu, pater, ac improba mater Ithym.
Cerbere ne adlatra, si non mutauerit illum
Purpureum in florem Cypria pulchra suum.

E GRAECO.

Rusticus hoc, nauta oppositum tenet iste sepulchrum,
Quod commune solum mors habet, atque mare.

E GRAECO.

Sum similis pelago Strymon latissimus inter
Amnes Aemathiæ dulce tamen pelagus.

*Atque altum bonitate & aquæ, & telluris habundo,*
*Nam Cereris fructu dulcibus & tribulis.*
*Estq; ferax humus Aemathiæ, Nile inclyte nobis*
*Quæ spicam emittit, quàm quæ alit, est melior.*

DE GRACCHIS.

*Gracchus mentis inops agitatus Erynnibus atris*
*Clamabat, fratris sensit ut interitum.*
*Quo nam me uertam? Capitolia ad alta? redundant*
*Germani tepido sparsa cruore mei.*
*Ibo domum? ut uideam uiduam, miseramq; parentem,*
*Fata incusantem questibus, & patriam?*
*Dixit, & ille tamen simili cadit ense, parentis*
*Vt luctum & fratris aggrauet inuidiam.*

E GRAECO.

*Venari ualidum hirsutos Panopea leones,*
*Cuspide Pantheras figere, Parca tenet.*
*Scorpio quem furtim fossa tellure peremit*
*In pede demorsum, dum iuga montis habet.*
*Eheu damarum audentum ludibria, nanq;*
*Hac terra infelix lancea, & hasta iacent.*

E GRAECO.

*Sacra auis hic celeres faciet requiescere pennas*
*Dulcibus insidens frondibus his platani.*
*Mallius interijt Pimander, ne ue reuerti*
*Plus ualet, ut uiscum fundat arundinibus.*

DE HELLE.

*Indom itam fugiens Helle cum fratre nouercam,*
*Quum biberet salsam naufraga uirgo necem.*

*Fertur, ut extremis dixit lachrymosa querelis,*
*Innocua, heu, patrem deserui, & patriam.*
*Ira nouercalis dum placaretur, at in me*
*Pontum eadem, & uentos atque acheronta mouet.*

E GRAECO.

*Balneum erat nullũ quondam hic, ubi nunc manet, immò*
*Expositus fuerat sordibus iste locus.*
*At nunc perpulchrũ, atque decens, magnumq; secundus*
*Struxit Alexander non sibi, sed populo.*

E GRAECO.

*Defunctum cruciabit adhuc, antroq; sepultum*
*Deserto lisim me mare pestiferum?*
*Auribus horrendum usque fremens, iuxtaq; sepulchrũ*
*Surdum quid facitis me hic habitare uiri?*
*Naufragus occubui, quærensq; ex æquore uitam*
*In pelago inueni mortis amaritiem.*

E GRAECO.

*Sum tumulus mersi, curras mare, nam pereunte*
*Me reliquæ naues uela dabant pelago.*

DE PERILLO.

*Ne credas mugire bouem, bos æneus iste est,*
*Deplorare huius sed bouis artificem.*
*Quid dolet? ingeniũ, et munus, quo monstrat (ut audis)*
*Emugire hominem, mutaq; signa loqui.*

E GRAECO.

*Auceps mollis adhuc luco in frondente uolucres*
*Fallebam, quum uitandum, turbasq; cientem*
*Inspexi Veneris natum buxo ipse sedentem.*

*Credidi auem magnam lætus, mî apparuit ales,*
*Vna omnes calamos iunxi insidiatus Amori*
*Saltanti huc illuc, sed nullo fine reperto*
*Indolui, in terram & proieci tristis auenas.*
*Veni ad aratorem uetulum, nanque ille magister*
*Edocuit puerum, uolucres me fallere uisco.*
*Narraui aligerum stantem super arbore Amorem.*
*Tunc senior ridens moto capite ista repente*
*Verba mihi dixit, prædam hanc dimitte, uolucri*
*Ne accedas fuge perniciem longámq;, ferámq;,*
*Faustus eris si non capies, ubi uenerit ætas*
*Firma tibi, qui nunc fugit impetuosior, ultro*
*Accedet, ueloxq; tuo capiti ipse sedebit.*

E GRAECO.

*Olla hæc ad carnes, & opercula fumida quáq;*
*Vertenda, è fuso factus & ære lebes.*
*Et flabrum è plumis, graue coclear atque fabarum,*
*Et qui balantes conficit ensis oues.*
*Et quod sub uerubus uas sistitur, atque securis,*
*Et coniuncta leuis spongia falce graui.*
*Pistillusq; biceps, salis & mortaria facta*
*Marmore, tum lances carnis, & hæ patinæ.*
*Symbola Atlantiade hæc tibi sint, coquus obtulit artis,*
*Exutus spinter pondere seruitij.*

AD M. TVLLIVM.

*Tu ne preces Cicero ob uitam dignissime fundes?*
*Et flectes hostem num genua ante tuum?*
*Iam periere tui, & perierunt fortiter omnes,*

Turpiter ut uiuas, suppliciter ne cades?
Quin potius fortem constans imitare Catonem,
Ne roget, & uitam debeat, occubuit.
Vixisti nimium, si ad tempora respicis, atsi
Ad laudem, & nomen, non potes ipse mori.

E GRAECO.

Dum populatur apum liquentia mella Cupido,
Cæca apis in digitis spicula fixit Amor.
Is dolet, & terram pedibus quatit, & genitrici
Ostentat tumidum uulnus, & illachrymat.
Atque incusat apem tam paruam, & magna ferentem
Tela, uenenato tincta dolore graui.
Cui Venus arridens quid tu, tam paruulus, & tam
Grandia tela gerens illita cæde, facis?

E GRAECO.

Ne quæras cui nam positum sim nauta sepulchrum,
Sed meliore fretum consequere auspicio.

AD DELPHINVM QVI EXPIrauerat in littore.

Quid tibi opus tumulo, & titulo placidissime Delphin?
Quumq; homines, & Di dent monumenta tibi.
Nam canit elogium in terra seruatus Arion.
Seruatusq; suis Ennosigeus aquis.
Quod magis est laudi dandum, cœlo ipse sereno
Inter & heroes, inter & astra natas.

E GRAECO.

Carmina grammatices quid quinq; priora minantur?
Nil nisi dira, iram prima, secunda, grauem.

Vnde ruunt tanti in Danaos, uariíq; labores,
 Tertia detrudunt sub stygis antra animas.
Dilaceratq; canes celeres quarto, atque uolucres,
 Sæuit enim quinto carmine & ira Iouis
Post maledicta potest quinque hæc totidem quoq; casus
 Grammaticus luctum non nisi habere grauem.

ALLVSIO.

Grammatices inter casus, sterilemq; poesim
 Atroci, heu, fato Cosmicus occubuit.
Vrbis in excidio, semper uersatus in ipsis
 Versibus, atque malis Iliados latiæ.
Nam tenet arma uirum primus, profugumq; secundus,
 Iactatum terris tertius, atque mari.
Vim superum quartus, sæuæ Iunonis & iram,
 Et bello passum plurima quintus habet.
Vi superum arma pati profugum, terrisq;, mariq;,
 Vsque erat atrocem sollicitare necem.

E GRAECO.

Hic ubi terra aperit latum discreta profundum,
 Fluctus ubi & refluis littore ludit aquis.
Excelsa uxori palatia & aurea consors
 Reginæ illustri Rex posuit sophiæ.
Dignum Roma, potens decus hoc te principe, nam tu
 Ex Europa ipsam prospicis usque Asiam.

DE SE IPSO.

Dum supero Illirij quendam sub uirgine montem,
 In quo nulla arbos, ulla nec herba fuit.
Irruit in me Aquilo, rapit & me, & tollit in auras,

Vna & equum, exangues nos spatiando ferens.
Deposuit tandem lata regione uagatus
Ad placidas gelidi leniter amnis aquas.
Seruatus casum incidi hoc in cortice raptim,
Constet ut absque alis posse uolare hominem.

IN IDEM.

Fas erat ex Fausto me dicere Persea, equumq;
Pegason emensam post per inane uiam.
Sed mihi quum desint insignia, & ægis, & arpe
Et uiua & sæuit nostra Medusa magis.

DE MVTIO SCEVOLA.

Quum tua magnanimæ ægisti spectacula dextræ,
Et quum sponte in te Scæuola sæuus eras.
Vel caruisti ipso sensu, uel flamma calore
Torpuit, aut uictus ignis ab igne tuo.
Nam pœnam, & mortem uiolentam inuictus amasti
Flammarum obiurgans in tua damna moras.
Qualis in Hetruscos, si captus, inermis, adustus,
Debilis armatos tam metuendus eras.
Raptus es ardenti, sed nolens raptus ab igne,
Quum leuam, atque ulnas, teq; cremare paras.
Vre tamen, iuuat errantem te exurere Muti
Nam facis esse hostes impietate pios.

VERBA QVAE POTVIT SEMIramis dixisse filio.

Dixerat hæc nati peritura Semiramis ense
Hoc meruit noster prodigiosus amor.
Quem peperi, rursum tentaui includere in aluum

Naturæ maculans iuráq; sancta tori.
Non sat erat corpus mortalibus, & iumentis,
Nato etiam uolui prostituisse meum.
Occumbam merito, mecum & mea gloria, honorq;,
Fœmina tam infamis, quam scelerata parens.

IN MORTEM LAMPRIDII CREmonensis Poetæ, & Oratoris.

Quod narras mihi uulnus, altum, & ingens?
Tu me hoc nuntie nuntio enecasti
Quod peius poteras referre fatum.
O fatum improbum, & impium, & nefandum.
Illæ delitiæ meri lepores,
Illa illa & Charitum, domusq; Phœbi
Orator bonus, elegans Poeta,
Sublatus nece tam nece execranda
Est Lampridius, ò scelus scelestum,
O factum male pessimæ ò sorores,
Virum tam egregium, optimum extulistis,
Et spem maximam & inclytam abstulistis,
Secum me quoq; prorsus enecastis.

DE LVCRETIA.

Magnanima incumbens casto Lucretia ferro
Inuitum excusat sanguinolenta nefas.
Nanque cadens proprium armauit, patriæq; dolorem,
Quum fodit oppressum corpus adulterio.
Sic prudens matrona urbis simul, ulta suamq;,
Libertatem ense est, morte pudicitiam.

# CASVS MISERABILES VRBIS Romæ expugnatæ.

## De quadam fœmina Romana.

*Vrbis in excidio mulier Romana recenti,*
*Ne captiua hostis iussa nefanda ferat.*
*Confugit ad molem Adriani miseranda, Quiritum*
*Ante fores clausas stansq; uocabat opem.*
*Exululansq; ferit ualuas, & planctibus auras,*
*Lamentisq; homines, sollicitatq; Deos.*
*Omnia surda uidens, aduersa & numina, ad hostes*
*Ne redeat, statuit libera uelle mori.*
*Et pontem ascendens multis clamantibus ah ne,*
*Tunc sese in rapidas præcipitauit aquas.*
*Debebat uictor tunc, quanuis barbarus, urbi*
*Parcere, & inuictos ingemuisse animos.*

## ALIVS.

*Hoste sub immani quum multa indigna nequirem*
*Ferre, sub obscura nocte fugam arripui.*
*Delituiq; diu speleo impastus opaco,*
*Tandem me è tenebris expulit alta fames.*
*Denuo ab hoste tuli captus peiora priori*
*Et quum non possem soluere, quæ pepigi*
*Arripui ferrum, latebras uitæq; reclusi,*
*Et pretium exiuit sanguis, & aura animæ.*

## ALIVS.

*Virgo animi ingentis Romano & sanguine oborta,*
*Seruitij impatiens, atque pudoris amans.*
*Scandere iussa torum, captiua sub hoste superbo*

*Impegit muro magnanima ipsa caput.*
*Et cadit, & casu quòd sit tutata pudorem,*
*Testatur paries sanguine, tum cerebro.*

ALIVS.

*Sanguinis innocui pecudum sitibundus in hostem*
*Incidit, & captus non toleranda ferens.*
*Strinxit, & impegit ferrum in sua guttura, & ambas*
*In plagam iniecit, sæuit & ipse suas.*
*Et tardantem animam latebris exire coegit,*
*Otyus ad Manes tam iuuat ire Deos.*
*Quam grauis hostis erat, disce his, occumbere mauult,*
*Et styga adire, istud quàm tolerare iugum.*

ALIVS.

*Fœminæ erant una multæ, pulcherrima uirgo*
*Inter quas ueluti phosphoros una fuit.*
*Miles ut hanc uidit, subito dilexit, aperto*
*Fur licet, erubuit hanc uiolare loco.*
*Hancq; uocat thalamo secretum in limen, & aurum*
*Quærere se fingit, uel pretiosa magis.*
*Fraude intellecta tamquam sit causa malorum,*
*Virginem in hanc cunctæ lumina conijciunt.*
*Tunc pia facta alijs, sibi at impia uirgo, fenestra*
*Præcipitem sese deijcit in puteum.*
*Et se se, & socias, & amantem liberat hostem.*
*Obprobrio, inuidia, nequitia emoriens.*

ALIVS.

*Nec te canicies, nec deueneranda uetustas,*
*Indignam seruat, ne paterere necem.*

*Hostibus*

*Hostibus occurrens placido sic ore profatur,*
*Vestræ hæ sunt ædes, quicquid & intus habent.*
*Omnia do uobis in prædam, uos parcite tantum*
*Non auro, aut gemmis, parcite sed nuribus.*
*Contra illi, imponis leges uictoribus, & quæ*
*Nostra insunt iure, hac conditione dabis?*
*Hunc subito arripiunt, altis iaciuntq; fenestris,*
*Clamantem surdos in sua uota Deos.*
*Diues honoratus, stratæ pars maxima & urbis*
*Vir cœno, atque uia putruit in media.*

ALIVS.

*Morum erat, & præstans animi pulcherrima uirgo,*
*Non indigna tuis Martia Roma atauis.*
*Vrbe ruente, hostis quum capta quiescere nollet*
*Turpibus illecebris, atque cupidinibus.*
*Feruido, & immani, potius me interfice dixit.*
*Quàm tibi prostituam uirginitatis opes.*
*Paruit illi hostis, factum celebretur in orbe,*
*Barbara & hæc pietas, barbarum & obsequium.*

ALIVS.

*Audite hoc gentes, tuq; admiraberis ætas*
*Postera rarum, atrox, impietatis opus.*
*Vrbe in direpta quidam celauerat aurum*
*Visceribus, pregnans illius aluus erat.*
*Tortus ab immani crudeliter hoste fatetur*
*Intestina auro plena tenere graui.*
*Non expectato maturo pondere uentris,*
*Viuus, & inspiciens uiscere cæsus erat.*

*Exectum'q; aurum cum auro ſpiritus, & cum*
*Spiritu, & ipſa anima, uiſcera, corda, iecur.*

ALIVS.

*Imperio mulier generoſa retenta ſuperbo*
*Deſtinat immani ſoluere colla iugo.*
*Et ſpecula auerſam ſe ſe deturbat ab alta*
*Carcere & à gemino liberat illa animam*
*A quo nec minimum poterat ſperare leuamen,*
*Extorſit lachrymas mortua ab hoſte pius.*

ALIVS.

*Hoc ne tacebo inopem, atque ſenem ſuſpendere, ſed non*
*Vt mos eſt fracto gutture, uel pedibus.*
*Spectaclum infame annexis, ſed teſtibus alta*
*De trabe pendebat quod fuit æris egens.*
*Hoc uos patraſtis ſæui & peiora latrones,*
*Immo carnifices carniuoræ immo feræ.*
*Quum'q; uerenda graue hoc pondus tolerare nequirent*
*Heu miſer auulſis concidit inguinibus.*
*Veſtra trophœa hæc ſunt, & gloria ſumma latrones,*
*Impietate omni conſcelerare manus.*

ALIVS.

*Sed nec prædonum dira, atque inſana libido*
*Sacratis potuit parcere uirginibus.*
*Quæ'q; repertæ inerant, trepidæ nam altaria adibant,*
*Sperantes ſuperum proſtituuntur opem.*
*Nec clamare iuuat, nec deplorare, nec aras*
*Amplecti, ultorem ſollicitando Iouem.*
*Infame omne genus, ſpecies'q; libidinis acta eſt,*

*Numinum, & ante aras, numinum & ante oculos.*
*Tunc sunt uisa Deum à multis, & simulachra Dearum*
*Sudare, ingemere, collachrymare, loqui.*
*Si Dij ignominiam merito ulciscantur in horas,*
*Pestis, turca, fames, naufragiumq́; sciunt.*
*Et si quis superest, peiora prioribus ipsis.*
*Turca, peste, fame, naufragioq́; timet.*

ALIVS.

*Tu quoq; ternigenis mater mitissima tellus*
*A sæuo facta es milite sæua uiris.*
*Nam qui non poterant pretium persoluere multi*
*Vsque ad colla homines contumulantur humo.*
*Vermibus abrosi nascentibus undique uiui*
*Sensim putrescant quàm miserabiliter.*
*Et non debemus mente ista tenere perenni*
*Prosequi & æterno supplitia alta odio.*
*Vlcisci si non datur hic tot iniqua, sepulti*
*Arma resumemus, subq́; acheronte faces.*

E GRAECO.

*Psitacus humanas imitatus gutture uoces*
*E cauea in syluas, & nemora alta uolat.*
*Cæsaris excelsi semper meditando salutem,*
*Per montes tanti nominis usque memor.*
*Et dociles cunctas uolucres studiosus adibat,*
*Quas poterat, monuit dicere, Cæsar aue.*
*Orpheus ipse feras docuit iam in montibus, in te*
*Cæsar sponte auium nunc strepit omne genus.*

E GRAECO.

*Quæ prius in ſyluis ingrata, & acerba piraſter*
*Truncus eram ipſa ferax, expoſita uſque feris.*
*Viribus externis alieniſq; inſita ramis,*
*Nunc onus haud noſtrum mitia poma fero.*
*Ruſtice dure tua charite, atque labore piraſter,*
*Inter adoptiuas ſum numerata piros.*

AD MORTALES.

*Fallimur, heu uotis, ſpe uana & ludimur omnes,*
*Victuri ut ſemper currimus hoc ſtadium.*
*Tanquam mortales miſeri nos cuncta timemus,*
*Tanquam immortales omnia concupimus.*
*Optata ille ſenex ſecedere in otia ad annum,*
*Vultq; laboratos deſtituiſſe dies.*
*Longius ut uiuas, quis erit tibi pignus, & obſes?*
*Ire ut diſponas, quis patietur iter?*
*Incipit à ſenio qui uiuere tempora ludit.*
*Certa quidem incertis, & ualida inualidis.*

E GRAECO.

*Surriperet dum mella fauis immixta Cupido*
*Læſa apis in dextram fixit aculeolum.*
*Indoluit conqueſtus Amor cum matre, uolucris*
*Tantula quod tanti uulneris illa foret.*
*Et tu tantillus, uolucriq; ſimillimus, inquit*
*Cypria, & intorques grandia tela manu?*

IN COCLEAM ET VIPERAM.

*Lenta gradu, nam fert ſecum clypeumq;, laremq;,*
*Cornibus & cæcum coclea tentat iter.*

Dura licet mollis serpitq; arbusta relambens,
Quæ casum haud metuit quælibet alta petens.
Errabat uidet, aggrediturq; hanc uipera, & arcis
Coclea in obductæ se trahit antra latens.
Quærit eam serpens, gemmisq; palatia, & auro
Picta uidens, hostem persequiturq; magis.
Testaceæ in nassæ ambages caput inserit altum,
Angusti Explorans interiora caui.
Quum non ulterius posset penetrare, reuerti
Nititur, in uanum est exeruisse caput.
Nec fuit arte illud nec ui exarmare tenaci
Casside, uiuentem ponere nec tumulum.
Ambæ infelices moriuntur dispare casu,
Vna metu, una animis, utraq; ob esuriem.

IN BALNEVM VBI LAVANTVR uiri, & mulieres.

E' GRAECO.

Proxima amori est spes, nec fas rapuisse puellas
Porta quidem prohibet maximæ Acidaliæ.
Iucundum tamen hoc; uero, quum optaueris, est spes
In desyderijs dulcior ipsa tuis.

E GRAECO.

Ferrum quo calami raduntur labra, tabellis,
Atque teres plumbum, linea quo trahitur.
Regulam & oblongam petra cum pumice ponti
Quæ natat ad littus plena foraminibus.
Callimanes posuit Musis claudentibus hircis
Lumina iam fessus membra labore graui.

E GRAECO.

*Præcipiti in tecto Lysippes paruulus errans*
*Mortis erat iam iam proximus exitio.*
*Matre uocante, illi nudato & pectore, liquit*
*Ille uiam, & casum reppulit, atque famem.*

E GRAECO.

*Lertiade usque tibi est inimicum, nam mare mersit,*
*Vnda, & deleuit de tabula effigiem.*
*Quid plus Mæonidæ in libris cælatur imago,*
*Quam non delebunt ferrum, aqua, flamma, dies.*

EPIT.

*Passa puella diu uentos, & frigora, & imbres,*
*Errabat, manibus per mare nexa trabi.*
*Merserat in ponto boreas cum puppe maritum,*
*Tandem succubuit uicta labore neci.*
*Applicuitq; solo, iacuitq; in littore, donec*
*Nocturni inuentam desecuere lupi.*
*Mater ut inspexit, uestem cognouit, & ora,*
*Ossa super natæ flensq;, cadensq; refert.*
*Te peperi, ut condam, atque alui te, filia ut esses,*
*Sic iugulata ab aquis, post laniata feris?*

E GRAECO.

*Dignum habuit podagra sero quandoque podagra,*
*Centum annis qui iam dignus erat podagra.*

IN QVENDAM.

*Lenta manus gressusq; piger, quum poscit amicus.*
*Est tibi, conquereris tunc podagram, & chiragram*
*Dextera prompta, gradus celer est, quum lædis amicũ,*

*Et podagræ, & chiragræ tu sapis antidotum.*

EX GRAECO.

*Dum rapit alueolo è dulci flauentia mella,*
*Est apis in dextram cuspide læsus* Amor.
*Illachrymans matrem petijt, monstratq́; tumentem*
*Ille manum, incusans exiguam uolucrem.*
Cui V*enus arridens, quid tu, tam paruus, ut ales,*
*Exigua iaculans spicula magna manu?*

AD CORVINVM CATELLVM.

Q*uid tu te excrucias, tuosq́; ocellos*
*Largis fletibus irrigas Catelle?*
*An nescis? tibi quotquot apparantur*
*Risus, delitiæ, ioci, salesq́;*
*Et conuiuia lautula, atque læta,*
*Et quam diuite dormies cubili?*
*Nescis, quæ cupit, & petit te habere,*
Q*uam præstans mulier, potensq́; rerum,*
Q*uam tui similes amat catellos;*
*Et quam maxime amatur à catellis.*
*Illa te excipiet, sinu & fouebit,*
*Tractabit niuea manu, & uocabit*
*Festiuum, lepidum, eruditulumq́;*
*Tunc huius studio cohors clientum*
*Te mirabitur, & tibi inuidebit,*
*Iste applaudet, & ille blandietur.*
*O quot basia, morsiunculæq́;*
V*ltro, ac undique, & usque murmurabunt.*
Q*uare si sapis ut soles, Catelle*

*Pelle lachymulas tuis ocellis,*
*Et linquas mihi quicquid est dolorum.*
*Nam te plus oculis meis amaui,*
*Tecum ludere, & incitare morsus,*
*Mecum tu quoque ludere, & iocari,*
*Et depellere cogitationes*
*Tristes, atque animum sereniorem.*
*Tu mi inducere blandulo adlatratu,*
*Quum circumsiliens manum appetebas,*
*Sæpe & nescio quid ferum minari*
*Iracundulus, ut feroculusq;.*
*At quum rideo, blandior, uocóq;,*
*Totum ponere quod fuit minarum,*
*Immo ad nequitias tuas reuerti*
*Multo blandior, elegantiórq;,*
*Multo simplicior, modestiórq;,*
*Quis Rex, quis'ue Tetracha, & Imperator,*
*Qui me Pontifices beatiores:*
*Quum tecum fueram unus omnium ille*
*Hoc solatiolo beatus uno,*
*Sub tam paupere penula, penúq;,*
*O Coruinule blande, delicate,*
*Delicatule, blandule ò Catelle,*
*Discedens mea gaudia inuolasti,*
*Et mentem atque animam, meósq; amores,*
*Et memet mihi prorsus abstulisti.*

E GRAECO.

*Frigus ob hybernũ obriguit iam molliter Hebrus,*

Quum puer infractis Thrax cecidisset aquis.
Qui dum bistonio traheretur ab amne rapaci,
Desecuit glacies lubrica molle caput.
Cætera uorticibus rapiuntur cuncta; creatrix
Hoc solum inuentum dum daret inferijs,
Ingeminans fili fili miserabilis, inquit,
Fluctibus, & flammis, non tibi mater eram.

A L I T E R.

Non bene frigus adhuc Hebrum durauerat, infans
Quum male compactas sollicitaret aquas.
Rupit, & immersus rapido dum urgetur ab amne,
A fragili ceruix est resecata gelu.
Quam genetrix urna, fili dum conderet, inquit,
Diuisere artus ignis, & unda tuos.

A L I T E R.

Duratum uentis, diuulsum & pondere flumen
Dum puer attentat, colla secantur aquis.
Hæc tumulo condens, & quærens cætera, fili,
Mater ait, flammæ, te & populantur aquæ.

A L I T E R.

Dum puer adducto Thrax frigore ludit in Hebro,
Per caput infractis ille pependit aquis.
Inferiora premit, trahit & dum pondus, & amnis
Præter molle caput, cuncta feruntur aquis.
Quod genetrix tumulans, partus, ait ipsa, dolores
Non mihi, sed uobis ignis, & unda tuli.

A L I T E R.

Rupit onus gelidas, quas bruma coegerat undas,

*Et pueri euulsit testa gelata caput.*
*Quod mater condens fili geminata fuisti*
*Præda, una hæc flammis, altera dixit aquis.*

ALITER.

*Quum puer astrictum borea Thrax aggrauat* Hebrum
*Non bene duratas dissociauit aquas.*
*Ceruice excœpta, quam testa abrupit acuta,*
*Quod reliquum est secum detulit unda rapax.*
*Inuentam hanc mater, dum traderet ignibus, inquit,*
*Concordes flammæ, me & uiduastis aquæ.*

ALITER.

*Factus iners glacie, post pondere, & excitus ira*
*Thrax puerum læsis abscidit* Hebrus *aquis.*
*Mater ait caput inueniens non cætera, pars hæc*
*Tradatur flammis, altera fertur aquis.*

ALITER.

*Frigore bruma rigens rapidum frenauerat* Hebrum,
*Quum premit, & fregit marmora falsa puer.*
*Amnis, onus'q; suum partes dum distrahit imas*
*Abrupit durum mollia colla gelu.*
*Quæ genetrix condens, infelicissime fili*
*Non mihi, sed flammis (inquit) & ortus aquis.*

ALITER.

*Dum nati intumulat caput à ceruice reuulsum*
*Mœsta parens, duris quos secat* Hebrus *aquis.*
*Fili, inquit, te sæui ignes pascantur, & unda,*
*Quæ te habet, & lusit sæuior igne fuit.*

ALITER.

Strymonium hybernus boreas stupefecerat Hebrum,
Quum puer infregit Thrax glaciale solum.
Inferiora trahit, premit & dum flumen, onusq;
Sunt tenera à duro colla reuulsa gelu.
Quæ lacrymosa parens miseræ dum traderet urnæ,
Nate alui flammis, te peperi, inquit, aquis.

ALITER.

In geminas partes rapido est diuisus ab Hebro,
Dum puer astrictas frigore tentat aquas.
Quum caput urit ait, peperi tua membra, creatrix,
Nate superna rogis inferiora uadis.

ALITER.

Tentabat puer obductum glacialiter Hebrum,
Pondere quum fregit marmora iuncta gelu.
Dum rapidis partes imæ oppugnantur ab undis,
Frusta secant tenerum conglaciata caput.
Inuento hoc uno mihi reddite cætera, mater
Vos rapuistis, ait, uos iugulastis aquæ.

E GRAECO.

O Mars Mars & non tonsor iam desine, nil plus
Falce quid incidas sangu inolentus habes.
Ni tibi tradiderim stomachum, thoraca, femurq;
Et coleos, si non sat, tibi nudo nates.
Muscarum agminibus resonant nunc omnia, iam iam
Et coruos uideo, uulturiosq; simul.

AD LECTOREM.

Ne secreta tuo tentes committere amico,
Ne metuas illum, si tuus hostis erit.

DEPLORATIO TRIVM LIBRORVM de Amoribus amissorum.

Num dulces patiar latere flammas,
Et nostros penitus perire amores,
Quos lusi in tenera canens iuuenta,
Et nunc in gelida fleo senecta,
Ereptos mihi fraude, furto, & arte?
Nam quum me Leo maximus sacerdos
Vellet mittere nuntium, rigentis
Ad Reges Aquilonis, & Tetrarchas,
Vt libros redimam situ, & tenebris
Musasq; in latium exules reducam;
Tres libros epigrammatum meorum,
Si minus lepidos, tamen facetos,
Aspersos lachrymis, doloribusq;,
Verum dulcibus, immerentibusq;,
Non scriptos calamo, sed & sagittis,
Fuso & sanguine uulnerum meorum,
Commendans sotio meo reliqui,
Tanquam delitias, meosq; ocellos.
Post longum spatium reuersus urbem
Cum multis spolijs, uelut triumphans,
Quos liqui sotio libros requiro;
Tunc impalluit, & tacet poeta,
Admirans repeto meos libellos,
Audacter negat, impudensq; iurat,
Non tres non habuisse, sed nec unum.
Impugno magis, ille plus negabat,

*Clamans clamito, rursus atque rursum*
*Impugno, tono, redde mihi latro*
*Libros non modo, sed meos ocellos.*
*Tunc me somnia somniasse dicit.*
*In ius meq; uocare comminatur.*
*Infelix quid agam? sinam ne flammas,*
*Et meos penitus perire amores?*
*Saltem reliquiæ furentis ignis,*
*Quæ duratis adhuc meis medullis,*
*Extra erumpite languidæ ò fauillæ,*
*Nil preter cinerem mihi relictum,*
*Sopitum cinerem, aridum, & sepultum,*
*Consultissime Apollo consulas mi,*
*Tu uero arcitenens puer rapinam*
*Communem face uindica, & sagittis.*
*Vos ò Pierides piæ, & pudicæ,*
*Quòd uos prostituit malus poeta,*
*Redde dicite quos rapit libellos,*
*Furta non faciunt bonum poetam,*
*Nam rarissimus est bonus Poeta:*
*Quaque ex arbore non dolatur Hermes.*
*Nec ex floribus omnibus, uel herbis,*
*Mella nectàreæ legunt Melissæ.*

DE FONTE MACARIA.

*Macariæ huic fonti est nomen de uirgine nata*
*Herculis, ista cadens Hercule digna fuit.*
*Pro patria occubuit, palma & ditauit Athenas,*
*Et sibi, & æternis nomina fecit aquis.*

DE EODEM.

*Felici titulo, dulciq; liquore uiator*
*Te uocat, & blando murmure lympha fluens.*
*Pelle sitim, atque æstum, curas tibi denique edaces*
*Blanda fluentisonis Nympha lauabit aquis.*

AD PSYCHEM.

*Quo te uirgo trahunt curæ? nam mœsta uideris,*
*Errabunda uiam sola gemens'q; uoras.*
*Perdidi amatorem, quem dum male cauta cubantem*
*Dulciter admiror impatienter amans.*
*Immo deperiens, scintillam immisit in illum,*
*Et tetigit pueri dira lucerna, manum.*
*Excitus è somno, subita quoque concitus ira*
*Me'q;, torum'q; uolans liquit inermis Amor.*
*Quæ'q; hominum & Diuum mentes letaliter urit,*
*Tantillo afflari noluit igne manum.*

DE FONTE PIRENE.

*Quæ fluit unda fuit uirgo lachrymosa Pirenes,*
*Vnde Corinthiaci prouenit æris honor.*
*Flebilibus defecit aquis, ubi & unda resurgit,*
*Ex illo resonæ plus oriuntur aquæ.*

EPIT.

*Nescio quid fuerim, nisi pondus innutile terræ,*
*At scio, quid nunc sum, uel nihil, aut minimum.*
*Et quod sum, tu Cæsar eris, cinis omnia adæquat,*
*Nascimur imparili sorte, pari morimur.*

CASVS.

*Architectus eram dextro pede claudus, ab alta*

*Quum caderem specula non mage claudus eram.*
*Si qui debuerat distrumpens soluere, casus,*
*Non modo crura, pedes, sed mea colla iuuat.*
*Rursus ab arce poli fabrum Di mittite, turpi*
*Pulchra uiro ut careat Diua, uel obprobrio.*

AD LIBRVM IMMORANTEM *adire lares* Ioan. Petri Ferretti Rhauennatis Laualinatum Episcopi.

*Adhuc lentula, & ociosa charta,*
*Tardas chartula adire tam cupitum,*
*Et desiderio intimo expetitum*
*Vatem, rhetora, candidumq; amicum,*
*I, uade & propera, uola, inuolaq;*
*Nostro & nomine Episcopum saluta*
*Tu scis, quod tibi dixerim, est Ferettus*
*Vnus, quem unice amo, colo, & uni*
*Inter Pontifices disertiores*
*Cui me consecro, dedo, dedicoq;*
*Et tu rustica, pigra, tuque inepta,*
*Sic differs mea gaudia immorando.*
*Vah non amplius ibis, immorare*
*Quantum uis, egomet uiam uorabo,*
*Insulsa, illepida, infaceta charta.*

E GRAECO.

*Amne trahi rapido iuuenis quum cerneret urnam,*
*In qua maiores somnia longa trahunt.*
*Fluctibus occurrit, tutatur & ossa parentum,*
*Ne tumulata ab humo contumulentur aquis.*

*Et iam naufragio manes seruauerat audax,*
*Verum illo infelix naufragio ipse perit.*

AD LECTOREM.

*Quum licet egregiam mortem tunc arripe, post hac*
*Continget raro tam bene posse mori.*

IN FATVVM ET FORTEM

*Si tibi contingit robur sine mente superbum*
*Trade illud tumulo, ne tibi sit tumulus.*

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

*Dicta mihi numeris ad te conuersio Pauli,*
*Paule orbis columen prodigiosa uenit.*
*Conuenit ista dies tibi iam celebrata quotannis,*
*Ast athleta magis, rhetor & alta tonans.*
*Nomine nanque estis patria, uirtute, labore,*
*Officio, & gemini relligione pares.*
*Differtis, qrod Paulus inops, tu diues abundans*
*Vt pascas pastor iure teneris oues.*
*Dissolui optabat Paulus, tu uiuere quod sis*
*Vtilis ad pacem Regibus, & populis.*

DE CYPARISSIS.

*Hæ Cyparissi altas, quas cernis surgere in auras*
*Pulchræ, ac audaces nomine erant charites.*
*Aemula adæquantes choreas duxere Dearum,*
*In putei occultos quum cecidere lacus.*
*Terra puellarum casus testatur, & annos*
*Fragmine funesto, perpetuisq; comis.*

## IN FRVGALITATEM.

*Præparat oppiparam uirgo Rhanusia mensam,*
*Sufficientem autem dat tibi frugalitas.*

## E' GRAECO.

*Arcebam longe sturnos prius altiuolantes,*
*Semina quæ euellunt, bistoniasq; grues.*
*Contortam uibrans fundam, ualidisq; lacertis*
*Saxa, fugaui auium nubila ego Alcimenes.*
*Me talos iuxta sitibunda momordit echidna*
*Et cordi immisit uirus ab ore feram.*
*Et uitam rapuit, stultus quod in aera cernens*
*Non uidi ante pedes, quæ nocuere mihi.*

## E' GRAECO.

*Venari nam solis iter Phaetonta coërcens*
*Nititur harmonicoq; gnomone mechanica.*
*Horarũm & numero aggreditur spatia alta diei*
*Aurora ab rosea dicere parua silex.*

## DE DIAGORA RHODIO.

*Tres dedit una dies uario certamine natos*
*Cernere uictores Diagoræ Rhodio.*
*Accurrunt patri affines, gratantur & omnes*
*Occurrunt læto pignora terna seni,*
*Iniiciuntq; rosas, uiolas, & lilia, & inter*
*Oscula, tum flores Diagoras obiit.*
*Inuida sors, & tu mors ingeniosa, latensq;,*
*Vnde etiam reperis gaudia & ipsa necant.*

## E GRAECO.

*Sermo opus exornat, sermonem complet opusq;,*

*Alter enim alterius nititur auxilio.*

DE DELPHINO.

*Vocis amans nostræ, qui gaudet amare, & amari,*
*Illæsum per aquas ferre & amantis onus.*
*Ac parere illi, iacet hac delphinus arena,*
*Multo maiori dignus honore fuit.*
*Qui puerum frustra expectans in littore amatum,*
*Hic ubi habet tumulum, liquit amore animam.*

E GRAECO.

*Qui nidum amplectens soli diuiserat omni*
*Gnomonis in partes, quam sapit iste lapis.*

E GRAECO.

*In phialam cum uiuis piscibus.*

*Vt Thetis excœpit Bacchum, iam fabula Homeri*
*Tarda licet, ueram cœpit habere fidem.*

QVAE VERBA POSSET DICERE BIBLIO *theca Vaticana ad Clementem vij. Pont. Max. post direptam urbem.*

*Ne timeas, quamuis ueniam uultu ipsa timenda*
*Pauperie & grauior, turpior atque fame.*
*Thesiphone horridior, Tityo mutilatior, alga*
*Vilior atque olido sulphure pallidior.*
*Quid monstrum miraris? adhuc miraris, & usque,*
*Non ego sum aspectu digna, sed auxilio.*
*Ne me forte putes stygijs uenisse tenebris.*
*Aut a Cimerijs, Antipodumq; solo.*
*Non externa ego sum, nec barbara, dicere nomen*
*Erubeo, & quo plus me petis erubeo.*

Sed postquam ipsa meo infandissima crimine non sum,
Illa ego Pontificum Bibliotheca uocor.
Non dicam illa tua, hoc ne te te exulceret, hoc ne
Ora uerecundis sint tua tincta rosis.
Dicere nec possum quod sim tua, uisere quam non
Hactenus ipse uelis Septime, nec pateris.
Hinc gemo, & illachrymor, quod sim tibi uilior alga,
Sordidior cœno, Thesiphone horridior.
Hac ratione tuum petij ipsa coacta tribunal,
Quamuis erubeam tam misera, & lacera.
Ne me ne extrudas, oculos ne auerte, nec aures,
Se præstare pium Principis officium est,
Ad te Pastorem tanti gregis illa recurro
Vna ouis, ad te illum Pontificem, & Medicum.
Quæ distenta habui, spumanti iam ubera lacte,
Nec deerat cunctis lac mihi temporibus.
Quo innumeros paui illa agnos, multumq; premebant
Caseon inde alij, post alij, atque alij.
Pastores, seruiq; etiam, tunc una uocabar,
Cædere cui possent & Latiæ, & Danaæ.
Atque aliæ pecudes necnon & ouilia cuncta,
Et per me est celebris Tityrus, & Lycidas.
Per me formosæ Galatea, Amaryllis habentur,
Pastoresq; alij, Nymphæ aliæ, atque aliæ.
His ego præbebam milesia uellera, lunam
Quis potuit captam pellicere Endymion.
Nunc misera, infelix, nec lac, nec lana, nec agni
Sunt mihi uix Gallus, hic strepit aut Corydon,

Vbera nunc palmis frustra exsiccata premuntur,
Me nudam nuda hæc uix tegit ossa cutis.
Ossibus ossa hærent uix, uulnera & ulcera cribrum
Me fecere, mihi quod superesset miseræ.
Corrosit scabies, formicarum ut magis antrum
Heu uidear, me me ut noscere uix ualeam.
Semianimis, moribunda, pudens te postulo Clemens,
Te precor ò Pastor, te medicumq́; peto.
Pastor ouem miseratus, opem mitissime Clemens
Porge machaoniam (concido) porge manum.
Depereo, succurre, potes, debesq́; quid inde
Si affectam Clemens me mihi restituis?
Pastores tibi constituent solennibus aris.
Sacra, tuamq; manum, & nomen ad astra ferent.
Gloria maior erit, quam si deuiceris Indos,
Hi sunt, qui laudem dantq́; adimuntq́; uiris.
Quod si chara tibi curæ est Florentia, siq;
Est extructa tua Bibliotheca manu.
Ne tibi sordescat mundi Regina, Tonantis
Aemula, quæ impleuit æthera Cæsaribus.
Et quæ Pontifices tot misit ad astra beatos
Roma, hominum, ac Superũ, Pontificumq́; thronus.
Plura ego dixissem, cor & uox desit, imago hæc
Tam miseranda tibi, quæ taceo, referat.

E GRAECO.

Templa Deum reserata pijs, sunt clausa scelestis,
Sanctum hominem prauum non scelerabit opus.

AD SVPERBVM.

*Ne tu te extollas quum sis humus, umbra, nihilq;*
*Magnus enim est, qui se iudicat esse nihil.*

AD LECTOREM.

*Principe cum magno, ueluti uersaberis igne*
*Si procul est, friges, si prope, flamma cremat.*

THRENI GALLINAE AMISSAE.

*Quid prius extiterit quondam gallina, uel ouum,*
*Lis torsit multos, nec resoluta fuit.*
*Illa eadem, non lis, sed galli filia, & uxor,*
*Et soror, & mater perdita me cruciat.*
*Quæ studijs lassum recreabat sæpe gracillans*
*Meq; loquebatur blandula, acuta, grauis.*
*Meq; sequebatur comes, atque reuersa uolebat*
*Non nisi de nostra lauta alimenta manu.*
*Quam formosa fuit, nam uersicoloribus alis,*
*Collo ut anas, cauda gemmea ut argus erat.*
*Vnguibus auratis, rostroq; superba superbo,*
*Nulla illi uolucrum par mihi uisa fuit.*
*Luce omni enixa est oua ut Lædea, repente*
*Ad partum Choris meq; uocabat ouans.*
*Chori meæ mentis solatia, gaudia uitæ,*
*Delitiæ o rapte quo nam abiere meæ?*
*Quis mihi te rapuit prædo ex mortalibus, aut Dis?*
*Num ganimedei raptor honoris erit?*
*Ille inquam, ille fuit, nimio tentiginis œstro*
*Quondam aquila, & cycnus, nunc mea Choris erit.*
*Qui dum nostra Charis gremio fouet inscia Chorim*
*Induet, heu Chorim, decipietq; Charim.*

ANATHEMA.

*Phyllidis unus amans, & amans erat alter Abellæ,*
*Vnus opum diues, pauper & alter erat.*
*Vastatorem ouium gallinarumq; rapacem*
*Cœperat hic uulpem, strauerat ille lupum.*
*Iste domi, ille foris, luce hic, nocte ille profunda,*
*Lycius unus erat, Cnosius alter erat.*
*Filius unus api, generatus ab Agmone & alter,*
*E fune hic laqueo, spiculo & ille graui.*
*Sacrat Atlantiade, iaculatriciq; Dianæ,*
*Antigenes pellem, sositenesq; caput.*

E C H O.

*Hic est raptus Hylas, & amator lusus ab Echo*
*Dum puerum inclamat, & puer haurit aquas.*
*Nam iuga montis Hylan et Hylam dum plana sonarēt,*
*His respondebat garrula Nympha notis.*
*Qua dilecte puer erras regione uiarum?*
*Harum, quo ue loco te inueniam? ueniam.*
*Quæ mihi te rapuit Dea, uel Deus, usta fauilla?*
*Illa, & te inuitum nunc retinet? retinet.*
*Nec potes absolui, ui, num obstant regna profunda?*
*Vnda, manus ne meæ, aut claua iuuabit? abit.*
*Irrumpam in Manes, ignita & flumina adibo,*
*Ibo, & ibi liber si retineris, eris.*
*Tunc minias liquit, stygis atque arcana profanat,*
*Non inuento & Hyla fleuit, & erubuit.*

E G R A E C O.

*Verbisequa est Echo, fex uocis, cauda loquelæ.*

IN STATVAM LAOCOONTIS.

*Audi hospes, lapis hic clamat, lachrymatq; doletq;,*
*Si non horrescis, da lapidi auxilium.*
*Immo uiro, & pueris hinc inde gementibus, angues*
*Innodant natos cum genitore duos.*
*Et lacerant, senti morsus, natiq; parentem*
*Frustra infelices respiciunt miserum.*
*Iamq; animam emittunt pariter cum uoce perempti,*
*Inq; suis natis emoritur genitor.*
*Mira manus fecit te Laocoonta peremptum*
*Sic gemere, & uiuum sic nece posse mori.*
*Immo magis mirum, depasci marmor ab hydris,*
*Et formidari e marmore sic colubros.*
*Et multo maius lachrymari, & uiuere, mirum,*
*In lapide hos pueros, hunc lapidem in pueris.*

EPIT.

SYLVESTRI FERRARII.

*Sint pretiosa licet, tibi erunt non saxa sepulchrum,*
*Ne cumulus terræ, sit licet illa parens.*
*Nec numeri alterius scribent tua nomina saxo*
*Eximij quanuis, sit manus & Phidiæ.*
*Quæ te dilexit, quæ te celebrabit in æuum,*
*Roma tibi est tumulus, & probitas titulus.*

IN TABVLAM AEREAM.

*Hic Itys, hæc Progne, philomela est illa, nefandam*
*Hic pauet, hæcq; parat suadet & illa necem.*
*In genetrice uides pietatem agnoscis & iram,*
*Insonti in puero spemq;, metumq; simul.*

Pellicis arrident ungues, & lumina mordent,
Tam furit in læsa uirgine raptus honor.
Quæ ni muta esset, pereant, clamaret in aere,
Progenitore puer, in puero & genitor.

EPIT. HERILI REGIS.

Mole hac tergeminus iam corpore, nomine, & arte,
Stratus ab Euandro cæde iacet triplici.
Fulto, Herilus, Dropax, turbauit, terruit, ussit,
Cete, hostes, diuos, retibus, ense, lyra.

E GRAECO.

Excubat hic frenesi, lento iacet iste ueterno,
Aeger uterq; uno decubuere toro.
Surgit inops somni lecto, somnoq; iacentem
Excitat, & pugnis calcibus atque petit.
Sic labor, atque dolor leuat hos, mutantur in illis
Excubiæ in somnum, somnus in excubias.

AD MORTALES.

Cedimus orbi omnes, finem acceleramus ad unum,
Inq; parati altas trudimur in tenebras.
Subtrahimur ueluti furto, licet ista uidemus,
Ille heri, & iste hodie, cras alij, atque alij.
Verum pone sequens uigilando estote parati
Qua non credetis hora, & ait, ueniam.

AD CHARITEM.

Duriciem dum ploro tuam, tu tergere fletus,
Et consolari me Chari sæpe soles.
Excipio tua uerba libens, quia dulcia, uerum
Quod peto, si dederis, dulcius ore dabis.

IN LIBANVM PVERVM.

*Hæc Libanus, Syrijs quæ surgit montibus, arbor*
*Gratus erat Superis relligione puer,*
*Assiduus cultu templis quia stabat, & aris,*
*Impij ob inuidiam dilaniare parant.*
*Terra in honore Deum in plantam mutauit, & illa*
*Plus auro Diuis facta corona placet.*
*Ne indignare puer fato, nam cæde bearis,*
*Semper amande Deis, & uenerande uiris.*

DE DIOGENE CYNICO ET PRODIGO.

*Qui genitoris opes absumpsit prodigus amplas*
*Accessit cynicus Diogenes iuuenem.*
*Atque decem dragmas poscit, cui prodigus à me*
*Tantum, alios obolum qui petijsse soles.*
*Spero alios obolum, canis inquit, sæpe daturos*
*A te nil posthac spero, nec ulla petam.*

DE PLATONE ET PRODIGO.

*Hæc Plato, dum panem cum lympha cernit edentem,*
*Qui patrias hausit luxuriosus opes.*
*Non sic cenares, si sic iam pransus inesses*
*Hæc ubi sensit inops, ingemit, & rubuit.*

E GRAECO.

*Quod commune etiam scortis non insequor aurum,*
*In uili est uilis res pretiosa manu.*

E GRAECO.

*Hic phrenesi fuerat correptus, & ille ueterno,*
*Et gemini in solo tunc iacuere toro.*

*Vnus enim insomnis, somno fuit iste sepultus,*
*Vicini fatis decubuere suis.*
*Quum uigil aggreditur pugnis & calce cubantem*
*Sic labor, atque dolor sanat utrunq; grauis.*

DE IVLIA ET MARITO.

*Iulia mi dicit mala multa, & plura precatur,*
*Nec præsente unquam uult reticere uiro.*
*Ipse autem ridet, credens quod corde precetur*
*Tot mala, sincero dicat, & ex animo.*
*Nescit enim fatuus nostri ꝗ amoris ab œstro*
*Acta furens loquitur Iulia, & obloquitur.*

E GRAECO.

*Dum piscaretur iuuenis formosus, inopsq;*
*Virgo opulenta illum cernit, & ardet amans.*
*Suscipit inq; uirum de piscatore senator,*
*Deq; inopi factus ditior, intumuit.*
*Tunc Veneri assistens lætæ Rhannusia uirgo,*
*Non hæc cura tua est, sed mea dixit, abi.*

EPIT.

*Ne mors, ne extendas dextram in tam nobile munus*
*Naturæ, est æui gloria Græca sui.*
*Parcere si solita es, parces formæ, atque decori,*
*Atque emendatis moribus, & meritis.*
*At si illam excindis, lux non obolebitur unquam*
*Lucifer illa inerit, quæ modo uesper erat.*

AD IVLIAM DE FIDE SERVATA.

*Certe ego si scissem bona plurima habere, pudorem*

Non deflorassem te lachrymante tuum.
Et si plus oculis charis te Iulia amabam,
Plus erat ipse oculis te quoque charus amor?
Non ui, uerum animo gaudet generosus amator,
Sola est grata fluens mutuo amore Venus.

E GRAECO.

Consulo quod fugias Venerem, sin uictus ab aestu es,
Te'q; priapismus fregerit, & tunicam.
Nube pari, sed non puero, infoecunda Cythere est
Mascula, turpis, iners, altera nostra parens.

AD IVLIAM.

Lux mea iucundum promittis Iulia amorem
In me ex parte tua, perpetuum'q; fore.
Viridici hoc facite ò Superi sine fraude quod ipsa
Promittat, puro dicat & ex animo.
Vt fas sit nobis, quod raro euenit amori,
In longa & dulci uiuere amicitia.

E GRAECO.

Caecus amor, castus'q; pudor coniurat, ut unus
Phedram disperdat, alter ut Hippolytum.
Phedram amor ad laqueũ impatiens nã compulit ipsam
Axe pudor postquam traxerat Hyppolitum.

AD CHARITEM SOMNIVM.

Dicebam insomnis, tecum hac dum nocte iacerem,
Lux mea, cor'q; meum da basia, basia da mi,
Nullus adest, soli'q; sumus, nisi amica lucerna
Ipsa dabas, rursum petij, rursum ipsa dedisti
Haesimus ut'q; hederae, certauimus ut'q; columbae,

*Gaudia & amplexu in falso ingrata fuerunt.*
*Suauiolis etiam in uanis iucunda uoluptas.*
*Cætera dum tento, eripuit tua imago recedens.*

E GRAECO.

*Filiole atque pater Nico longæuus aristas*
*Messorum è manibus, quæ cecidere, legunt.*
*Quum Nico uitam efflauit, tristesq; puellæ*
*Ex stipulis bustum tunc posuere seni.*
*Ne graue sit tibi sancta Ceres, si fructibus illi*
*Terreno è terræ constituere rogum.*

DE LAIDE MERETRICE.

*Græciæ eram iaculum, faxq; ardentissima Lais,*
*Nam qui me inspexit, uictus, & ustus erat.*
*Et nunc non alijs, sed nec mihi nota, meóq;*
*Sum speculo ò fallax, & breue forma bonum.*

AD AMICAM.

*Et licet unguentum spiras, & cinnama Philli,*
*Hoc sertum dulci suscipe chara manu.*
*Symbolon ætatis nostræ, formæq; uidebis*
*Nam uiret, & uernat, deperit atque breui.*

E GRAECO.

*Hic terra arridet uiridanti picta colore,*
*Nam folia, & fructus splendida fundit opes.*
*Hic & in umbrosis nidos texere cupressis*
*Pignoribusq; suis dulce queruntur aues.*
*Iucundum recinunt & acanthides hic ololygon*
*Stridet, in herbosis degere sueta uadis.*
*Ad me quid tamen hæ species? audire uolentem*

*Verba tua, & cytharæ carmina Deliadis.*
*Igne uror duplici, tu nostra es cura beata,*
*Bucula tu dulcis, cernere quam cupio.*
*Torqueor illius flamma, leges tamen arcent,*
*Dorcadis ut placidæ sim procul ore meæ.*

IN VETVLAM.

*Morbida anus quum sis, fœtens, edentula, uincens*
*Tempore nutrices Nestoris, & Priami.*
*Seplasiam superas, Arabes, messemq; Sabæam,*
*Suffitu & Cypriæ regna beata Deæ.*
*Te tamen eultant omnes, licet allicis omnes,*
*Blanditijs, risu, lusibus usque procax.*
*Mitte has nequitias, unguenta, & ludere, ludens*
*Mortem anus oblectat, & bene olendo uocat.*

E GRAECO.

*Cordis in imo animam te animæ Eliodora loquentem*
*Dulce mei impressit ingeniosus Amor.*

DE DIDONE.

*Non consumpta rogo Dido est, experta Sichei*
*Ante fuit flammas, continuumq; rogum.*
*Nec minus Aeneæ gladio, quem strinxerat, ipsa*
*Occubuit, maius pectore uulnus alens.*
*Flamma parum nocuit, multo minus ensis amanti,*
*Quid plaga in plagas? ignis in igne potest?*

E GRAECO.

*Sæuus Amor, sæuus, quid plus si dixero rursum,*
*Et rursus lachrymans, sæpeq; sæuus Amor.*
*Nam puer hic ridet, quod si illi & dixero sæpe.*

*Iurgia, & his gaudens inde alimenta capit.*
*Quo fieri id possit uisu est mirabile, flammam*
*Ceruleo enixa es tu Venus orta mari.*

DE CAPANEO ET EVADNE

*Istud adhuc calidum est, spiratq; incendia marmor,*
*Et diri inde cadunt, atque pij cineres.*
*Vna est Euadnes, Capaneiq; altera flamma.*
*Omnipotente manu est utraque facta Deum.*
*Illum dextra Iouis, demum arma Cupidinis illam*
*Demisere neci dispare fine iacent.*
*Vir merito, sponsa immerito, quæ sponte per ignes*
*Ad nigra tranantem stagna sequuta uirum.*
*Vade ubicunq; aderis uiues, Manesq; fauillas*
*Extinguent lachrymis umbra beata suis.*

IN CVPIDINEM E GR.

*Aut moderare meam flammã, aut extingue, uel ambos*
*Vrere Amor si uis, ure sed igne pari.*

IN STATVAM HYLAE.

*Tam similis uiuo recubans sub fontis amœni*
*Murmure erat pario marmore fictus Hylas.*
*Quod nisi dormiret, potuisset dicere, ab undis*
*Effugi, & facerent humida membra fidem.*
*Nais ut inspexit, spatiando exterrita uisu*
*Credit Hylam liquidas deseruisse domos.*
*Adcurrit, puerum aggreditur, tenet, instat, inhæret,*
*Et somno ut surgat, sæpe uocauit Hylan.*
*Frigidulum at tactu inueniens expalluit, illum*
*Extremo uictum Nympha sopore timens.*

*Altius inclamat, nec Hylas tamen excitus, & tunc*
*Basia dans lapidi languidula erubuit.*
*Erubuit quanuis, errorem diligit ipsum,*
*Illudi & uana gestit in effigie.*
*Sic stupet hanc, & amat suspirans torqueat ut plus,*
*Quam iam pulcher Hylas, Naiada fictus Hylas.*

E GRAECO.

*Et licet ad senium; Melite est gratissima, uergat*
*Nam charis à uultu nescit abire suo.*
*Splendet adhuc malis, & adhuc sunt sidera ocelli,*
*Quanquam habeat multas temporis hæc decadas.*
*Allicit oris honor iuuenes, iuuenilis odorq;*
*Vincere naturam nulla senecta potest.*

AD CHARITEM DE QVODAM SOMNIO.

*Tota nocte fui tecum Chari chara, nec illa*
*Nocte unum potui carpere basiolum.*
*Nescio quid sperem, si in lecto, & sola repugnas*
*Si mihi & in somnis gaudia uana negas.*

IOCVS IN QVENDAM HELIODORVM

*Coniuge adhuc tenera iam parturiente puellam*
*Filiolã, tristis Heliodorus erat.*
*Vt consoletur sponsum festiua Philene,*
*Ne tristare, marem iam tibi, ait, pariam.*
*Venter adhuc tumidus fuit, expectatio & ingens*
*Spes, quum mas uentris soluitur in crepitum.*

E GRAECO.

*In largitorem gratia grata redit.*

E GRAECO.

*Illic ante fores pendentia serta manete,*
*Nec folia hæc temere concutienda uelim.*
*Luctu hument nostro, sunt humida lumina amantum,*
*Limine aperto at quum prospicietis heram.*
*Illius imbre meo caput irrorate, capilli*
*Flebilibus nostris ut saturentur aquis.*

DE CHARITE.

*Graculus, inda & auis uariata coloribus, & tu*
*Pica salutastis ore loquente Charim.*
*Non ergo hanc tota uenerabor mente? uolucres*
*Quam sponte ut celebrent edidicere loqui.*

E GRAECO.

*Si tua adhuc ueri alterius uindemia præstat,*
*Aestate alterius plus tua feruet hyems.*

AD MANVS CHARITIS.

*Pulchra quidem, sed auara nimis, quæ te undiq; cælas,*
*Plus tibi quam nobis inuidiosa manus.*
*Cur non te ostentas Charitis pars inclyta, & ingens?*
*Nanq; manum ob gratam sunt Charites Charites.*

E GRAECO.

*Nescit Amor pugnax leges, nec lucra mouebunt*
*Vlla sinu à Dominæ multiplicata uirum.*
*Non legum curæ prohibent, nec condere leges,*
*Est tibi si uenas imperiosus Amor.*
*Qualis amor? si te absentem breuis unda profundi*
*Tam procul à chara uirgine detinuit.*
*Olcades & tibi sunt, placet at tibi amice Minerua,*

Plusq;

Plusq; illi inuigilas, quam placidæ ueneri.
Pallas habet leges, cœstum Venus aurea, quis nam
Vna miles erit Pallados, & Veneris.

AD CAROLVM LOT.

Audierat Paulus, quantum aurea, & ignea uirtus
Præsenti ornaret, teq; foueret ope.
Vt te conspiceret, frueretur & ore, uocauit,
Intuitu obstupuit, colloquioq; graui.
In signum quanti ualeas, quantumq; mœreris,
Virtutisq; tuæ Carole, & ingenij.
Murice te ornauit, dicens sacer esto Senator,
Moribus, atq; tuis conuenit hoc meritis.

DE AMICA.

Dum mea cura Egle nitido se in fonte lauaret,
Inuicti impaciens illius ignis eram.
Sole sub ardenti strepitabant rura cicadis,
Ast ego quærebam quo mea flamma foret.
Lassa calore graui fuerant mea membra, quietem
Optabam, & dulci fonte leuare sitim.
Altera quum occurrit sitis, & calor alter, in undis
Ecce Egle, ut uisa est murice tinxit aquas.
Mergit se, & uitreis, ueluti sol, splenduit undis,
Quo mage & omne latet, prodita ab amne fuit.
Desilui in fontem, pugnantia & oscula sumpsi,
Cætera uos gelidæ surripuistis aquæ.

E GRAECO.

*Quid mirum, arcitenens lepidis si ridet ocellis,*
*Ignea si neruo spicula torquet Amor.*
*Mater amat Martem, Vulcano iuncta marito,*
*Communis nanque est ignibus, & gladijs,*
*Vnda marina auia est, uentorum agitata flagello*
*Stridet, quis patrem dixerit, & patriam.*
*Ex Vulcano ignem, pontiq; ex fluctibus iram,*
*Atq; ex Marte puer tela cruenta gerit.*

ALITER.

*Ignea quid mirum, si tractas arma Cupido?*
*Si rides multis insidiose oculis,*
*Non ne parens Martem stringentem tela perurit?*
*Non ne tuus flammas uitricus acer amat?*
*Et mare uexatum uentis est matris origo,*
*Incertumq; tibi est, & genus, & genitor.*
*Ac ratione ignem Vulcanus, pontus & iram,*
*Et Mars arma tibi sanguinolenta dedit.*

ALITER.

*Si iaculatur amor, non est res mira, sagittas*
*Ardentes, oculis si trahit illicibus.*
*Ardet amans Martem, Vulcano & amata marito*
*Mater, & hic flammas, hic Deus arma tenet.*
*Orta mari est Genetrix, quod remus, et asperat eurus;*
*Progeniem, atq; patrem dicere nemo potest.*
*Tela igitur Mauors, & flammas mulciber, iram*
*Deq; flagellatis dat mare semper aquis.*

ALITER.

*Non magnum, si ridet Amor, ferit, urit & una,*
*Huic sunt affines flamma mare, & gladius.*
*Vulcanus coniux, gradiuus matris amator,*
*Nata mari est genitrix deliciosa Venus.*
*Dat mare sæuitiam, Mars tela intincta ueneno,*
*Blandicias genetrix, Mulciber ipse faces.*

ALITER.

*Iram, tela, faces, risum, gerit ipse Cupido,*
*Quattuor ista uni contribuere Dei.*
*Spicula matris amans Mars, ignem uitricus, iram*
*AEquor auus, risum nequitiosa Venus.*

E GRAECO.

*Ventris enim crepitus mors est, & uita, retentus*
*Perdit mortales, seruat & egrediens.*
*Pedere si tanti est, tanti & non pedere, adæquat*
*Imperium magnis pedere cum Ducibus,*

E GRAECO.

*Per te iurauit præsens remeare lucerna*
*Heraclia ad me, non tamen ipsa redit.*
*Si quod numen habes, mendacem ulciscere, amantem*
*Quum fouet in medijs, immoriare iocis.*

ALLVSIO.

*Fida lucerna mihi & Dominæ, dum bella paramus,*
*Dumq; animosi ambo stringimus arma, paues.*
*Congredimurq; acri certamine, uulnera, & ictus*
*Crebrescunt, gemitus hinc, quoq; & inde sonant.*

Bellatrix clypeo assurgens, ego feruidus hasta,
Sæpe instauramus prælia Marte pari.
Et tandem exangues dum nos, & tela iacemus,
Deficis & tu etiam, nos periÿsse putans.

E GRAECO.

Gratiæ, & his crescunt Musæ, Veneresq; Philena
Nanq; illis iuncta est gratia, Musa, Venus.

IN SPECTACVLVM PAVLI IIII. Pont. Max.

Nox pluuiosa fuit, spectacula mane parantur,
Diuisum imperium cum Ioue Paulus habet.
Sed non est tempus partitum partibus æquis,
Clara dies Pauli est, nox tenebrosa Iouis.

IN IDEM.

An fuit ambitio quod Paulus ab arma Quirites
Suscitat, atq; animat, uel mage suspitio,
Vtcunq; est, pulchrũ est animosum hũc cernere inermẽ,
Stare per armatas, ire, redire acies,
Mane serenatum est tota quum nocte pluisset,
Spectaclum ut uideat Iuppiter, & stupeat.

DE STATVA MARMOREA Antinoi.

Quo magis admiror puerũ hunc, mage clamito in astra
Iuppiter ipse tuo cum Ganymede uale.
Quod si erat Antinous talis, quem monstrat imago,
Hunc merito arsistis, & rapuistis aquæ.

AD EANDEM.

*Dum natat Antinous, Nili resplenduit æquor,*
*Et sub aquis gelidæ concaluere Deæ.*
*Iniiciuntq; manus prædæ, & rapuere quis illi*
*Et nudo, & tali parceret, & puero?*

LAOCOON PALATINVS AD Franciscum Regem Galliæ.

*In te quid potui committere maxime Regum,*
*Quod mea stat cordi fata nouare tuo.*
*Tristia, iniqua, acerba, potes tu ne illa uidere,*
*Audire & natos flere, dolere, mori?*
*Parce pios scelerare oculos, crudele theatrum*
*Effuge, nanq; feras cogeret esse pias.*
*Marte exorta truci, nutrita & lacte ferino*
*Roma licet, nostro sæpè dolore dolet.*
*Sat gemimus saxo, tu nunc nos fingis ahenos*
*Durior ut fiat noster in aere dolor*

FRANCISCVS REX GALLIAE ad Laocoontem.

*Nil potuisti in me infœlix committere tantum*
*Laoocon, quòd te sic renouare uelim.*
*Aspera fata libens, quis enim fata aspera gaudet*
*Cernere, & insontes flere, dolere, mori*
*Non scelus, immò pium est misereri, & uelle mederi*
*Cumq; feris casus ingemuisse tuos.*
*Sanguine tuncta dolet tibi Roma, externus at ipse*
*Cum pueris ne ultra discrutieris, agam.*

Nam qui uos laniant, ad me quum Veneris, angues
Ne noceant uobis ore. sub ære tegam.

DE HYLA, ET ANTINOO.

Plus nocuit pueris quam iuuit forma duobus
Pulcher Hylas fuerat, pulcher & Antinous.
Raptus ab audaci diuersa & Naiade in undas,
Herculis unus erat, Cæsaris alter amor.

PRO IO.

Terra nouos flores fundit miserata puellam
Quæ uersa in turpem tam speciosa bouem.
Et uiolas uiolata illos de nomine dixit.
Et pinxit uario murice, honore, & acu.
Qualis erat, nam mõstrat odor, nix, purpura, & aurũ.
Si Ioue, si uiolis, non boue digna fuit.

AD BERNARDINVM SCOTVM
Card. digniss.

Dum uocat ad summos Paulus te, & cogit honores,
Inter honoratos collocat & proceres.
Addit opes, amplasq; ædes, aulea, gregemq;
Seruorum, uestes murice bis saturas,
Vndiq; fulgentes mulas, & murice, & auro,
Et mensam undantem lancibus, & Bromio:
Pannosum tamen inuitus deponis amictum,
Spelea & nolens deseris, atq; olera,
Fles & egestatem amissam, ieiunia, & imbres,
Qui cecidere tuis, nec periere oculis,
Et leue, dulce tamen pondus Crucis, immo trophæum

Subtractum tacita mente, animo, & manibus.
Mirantur qui non norunt quam pauper eremus
Diuitias pariat, mœstaq; lætitiam,
Quam ueluti regnator opum, uictorq; triumphans,
Et tenuisse soles, & coluisse lubens,
Nam qui squalentis mirator & incola eremi est,
Cum dis uersatur, iubilat, & loquitur.

LVSVS IN PERLAM CATELLAM repertam Virginis Vestalis.

Huc o, deliciæ, ioci, lepores,
Risus sobrij, & æbrij cachinni,
Et quicquid lepidi, & facetiarum
Venite, & properate, & aduolate.
Perla delitiarum piæ puellæ,
Cuius turgiduli madent ocelli
Adhuc lachrymulis. catella & illa.
Solitudinis unicum leuamen,
Et solatiolum sui laboris
Non inuenta catella, nunc reperta.
Ad domum redijt, diu cupita
Diu & perdita, nunc domum reuersa est.
Festiuissima, blandula, & iocosa.
Totaq; atria circuit requirens
Latratu Dominam, usq; lachrymando.
Inuentam insilit, impetit, uoratq;.
Illam basiat, illiusq; in ora

*Linquit lumina, spiritum, atq; uitam.*
*Et nescit saciare se latratu.*
*At parte ex alia sacrata Virgo*
*In sinu retinens suam catellam.*
*Meæ o delitie, inquit, & lepores.*
*Tota nequitiæ, elegantiæq;,*
*Tota & blanditiæ, ioci, salesq;,*
*Quis te mi rapuit meos amores?*
*Perla perlula, corq; corculumq;:*
*Perlam suauiat, imbibit, uoratq;,*
*Illiq; illecebras facit, refertq;,*
*Colludunt simul, & simul iocantur,*
*Cum desyderio intimoq; amore.*
*Nam iunctis animis amant, amantur;*
*Quis inter catulos parem catellam,*
*Mille in uirginibus parem puellam,*
*Vnquam & uiderit auspicatiorem?*

DE CATONE VTICENSI.

*Vos quibus est cordi uitæ tenor unus, & idem.*
*Quum fortuna uiros imperiosa agitat:*
*Stoica magnanimi sunt facta imitanda Catonis,*
*Qui pace & bello tristia cuncta tulit.*
*Constanti ille animo, & uultu nam semper eodem.*
*Dux, prætor uictus, atq; repulsus erat.*
*Exilium sub Pompeio, sub Cæsare lethum.*
*Inter utrumq; illi bella timere fuit,*
*Quæq; extrema ferens fortunam uicit iniquam,*

*Nanq; illa inuita uixit, & occubuit.*

AD MARCVM TVLLIVM
Ciceronem.

*Tulli Marce tuam quamuis Antonius optet.*
*Quam sapiens temnit, ne uereare necem.*
*Nam syllana sitis redijt mortesq; locantur*
*Magna rependuntur & capita ære graui;*
*Cum moriere, breui dices uixisse, parumq;,*
*Si tua respicias maxima gesta satis.*

EPIT. POMPEI ET FILIORVM.

*Pars Asiæ, pars Europæ, Libyesq; sepulchrum*
*Pompeio, & natis, cum cœcidere, fuit.*
*Nil mirum, si tres uario tumulantur in orbe.*
*Vno non poterat tanta ruina tegi.*

AD ECHO DE FRANCISCO
Rege Galliæ.

*Diua sed humanæ studiosa atq; æmula uocis.*
*Dic recolens Echo littora, & antra mihi.*
*Nũ nostri esse memor post tot Rex carmina uult, uult,*
*Hæc ne hilari capiens ore legit? relegit.*
*Sperandum ne aliquid? quid? congrua munera utriq;*
*Quæ? mihi. tum Regi conuenient. ueniet:*
*Interea esurio expectans id muneris. æris.*
*Inq;. fame, inq; ipso dure in amore. moræ.*

E GRAECO.

*Nudatum stringens gladium Medea parabat.*
*Vlcisci in natis læsa furensq; uirum.*

*Verum Timomachus casum miseratus iniquum,*
*Suspendens ensem tardat ab ense necem.*

AD TIMOMACHVM.

*Et quid agis pictor.dum tardas uulnus, & ensem,*
*Ingenitrice furor, spumat & ira magis*
*Sæpe metu pueri moriuntur. fata uidere*
*Vsq; magis torquet, quam semel illa pati.*

AD IO. BELLEVM
Card.

*Non belle Bellæe facis, quòd munera differs:*
*Nanq; alas famæ ne uolet alta secas.*
*Regis & inuicti ne facta, trophea, triumphos,*
*Quos pinxi, finxi, portet ad ora hominum.*
*Publicem ut ære tuo, promissa pecunia, quam si*
*Subtrahis, ærumnæ tot periere meæ.*
*Tot Diui, Heroes, tot amici, & turba sophorum,*
*Totq; oscurantur, quos colis, acta ducum.*
*Da, dare quod solitus; uel quod promiseris aurum,*
*Vel quia das alijs, uel quia promerui*

DE STATVA AENEA PAVLI III.
Pont. Max.

*Si quis inest sensus cineri post fata sepulto,*
*Non hominem totum persephonea rapit.*
*Tolle caput, reclude oculos, teq; erige Terti*
*Intueare isto quantus in ære micas;*
*Te tua imago omnem reddit, quòd magna, nitensq;,*
*Formosa, & nullo deperitura die.*

*Paule tuis posita est meritis, te Principe rerum*
*Copia, pax, uirtus floruit; & pietas.*

DE EADEM.

*Quam cernis Pauli statuam, posuere nepotes,*
*Non ut auo: uerum Pontifici ut merito:*
*Quantus erat dicant hæc tristia tempora, iniqua*
*Desolatæ Vrbes, bella cruenta, fames.*
*Dum uixit, tenuit pax alta solumq́; salumq́;,*
*Terra dedit fructus Dij & coluere solum.*
*At postquam Paulus decessit ab orbe: recessit*
*Pax, Astrea, Themis, tum peregrina Ceres.*

IN VOTI COMPOTEM.

*Reddens uota Deos cumulabat plausibus Alcon.*
*His respondebant littora, & antra notis.*
*Ille quidem infœlix, & constantissimus Alcon*
*Quem torsit longo Phyllidis ardor, eram:*
*Et nunc tam fœlix, quam iam miserandus amator*
*Me Regem haud cupio, nec cupio esse Deum.*
*Optaram recipi. læta sum fronte receptus.*
*Oscula ferre: tuli, cætera habere, habui.*

## AD PIVM LECTOREM.

Si qua pie o lector lædunt te in carmine noſtro,
  Hæc uel prætereas, uel mihi da ueniam.
Non ideo cecini, tu ut triſtarere legendo,
  Ah potius pereant & numeri, & calami.
Errare eſt hominis, uerum indulgere Deorum,
  Solus enim mendis, qui tacet, ille caret.
Mitius emenda tanquam communia; quum ſint
  Edita, non mea ſunt carmina, ſed populi.

FINIS.

ROMAE.

*Impressum apud Valerium, & Aloysium Doricum.*

*Anno* MDLVI.




*Errata ſic corrige.* Pagina. Verſus.

*Paina* 4.*uer.* 3 *dieſq;* 20.6 *nunc* 50.9 *nouere* 58.21 *ſpicea* 60.10 *Deo* 61.23 *prolem* 67.8 *aera* 75.17 *deſtitit* 122.20 *Stymphalidas* 122.23 *Telephidas* 124.4 *coma* 130.23 *nō nudū* 141.17 *ſaona* 145.12 *ſtigis* 148.5 *ſatis* 162.4 *thyrſum* 176.15 *deprimit* 182.9 *pfunda* 188.8 *reſonat* 190.2 *Oedipodis* 193.1 *Leſpiadiſq;* 226. 22 *poſq;* 237.18 *temerati*

245.13 *tereté* 249.25 *genuitq;* 250.23 Anna 259.27 *ubi* 269.3 *Temistoclea* 287.3 Heraclete 294.22 *largire* 295.3 *ille* 283.6 *dulcissima* 307.4 *ignipedes* 310.13 *putri* 318.18 *mersas* 323.28 *soluere* 325.21 *uis* 330.4 Euripedes 331.21 *insidiosa* 333.1 *descendit* 334.5 *illi* 334.16 *propter aquas statuam* 337.9 *tantulus* 338.6 *condens* 341.16 *phalerica* 344.20 *germanã*.25 *hac* 345.7 *fero* 351.20 Antigenes 356.7 *stenelius* 359.2 *extruxisse* 361.4 *iudicij* 10 *quẽ* 366 18 *hic* 368.24 *uenies* 24 *bibes* 371.26 *uidens* 380.3 *uadi soni ipse maris* 381.9 *ni* 22 *cantu* 27 *cupis* 411.13 *nec* 14 *egeo* 422.20 *at*.423.1 *accessi* 424.25 *ipse* 437.16 *tum* 450 14 *potes* 463.27 *nostri* 475.17 *intepuit* 476.9 *crater* 28 *luco* 484.15 *num* 485.23 *ut* 486.2 *cur* 488.23 *amãs* 490.5 *dominũ* 27 *at* 491.1 Trasimache.6 *quãta* 18 *prodere* 502:20 Colchidos 504.26 *tui*.521,13 *mortuus est sine lux etc.iocus ex industria* 526.19 *numeri* 538.17 *caput*. 540.12 *fixit* 543.27 *ego* 545.5 *flauentia*.547.28 *pro* 555.20 *reuersum* 560.2 *garrula* 563.16 *quũ* 576.5 *et* 587.27 *dederis* 594.6 *refinis* 599.6 *dicta* 606.21 *nã* 617.24 *uiulda* 622.15 Anaxereten 629.8 *doles* 634 25 *latitat* 657.4 *Atq;* 8 *fingeret* 661.21 *enatat* 663 .7 *inculca* 673.26 *fundito* 674.3 *eufrãte* 693.8 Furtiuam 700.19 *fouens plantã araneolus* 724.2 *mergitur* 727.27 *distentas* 730.22 *sono* 745.9 Aerium 749 .3 *cholentia* 752.9 *uenient* 762.23 *nautam* 767.21 *descendimus* 772.8 *mugis* 774.23 *uenies* 782.2 *ualentẽ* 24 *liquidã* 795.28 *uidit* 812.21 *paruo non parua* 816.26 *æquoris* 824.8 *grãmatices* 831.9 *terrigenis* 838.26 *at* 839.21 *q[illegible]* 842.28 Arcadius *fuerã* 844.17 *quod* 848.4 *superest* 861. *amne* 864.15 *ad* 867.15 *delitium*.